UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicationis, Patrocinij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum, ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

urn:nbn:de:hbz:466:1-48347

Visual Library

Th. 2829 7.

J. VII
Πο

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INSTRUCTIO PRACTICA SEPTIMA DE MUNERE CONCIONANDI, EXHORTANDI, CATECHIZANDI,

Continens non tantùm præcepta ad artem concionandi diſcendam accommodata, ſed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Feſtis B. V. & SS. Dedicationis, Patrocinij, Novi Anni, Paſchatis, Paraſceves; item in Primitiis Sacerdotum, Peregrinationibus, Congregatione Roſarij, Funeribus & Sepulturis, & apud Ruſticos inſtituendis.

AD NEOPAROCHORUM, ALIORUMQUE curam animarum gerentium uſum, & utilitatem compoſita, typóque data

à

R. P. TOBIA LOHNER,
SOC. JESU SACERDOTE.

Cum Gratia, & Privilegio Sacræ Cæſ. Majeſtatis, Et Facultate Superiorum.

Soctis IHS JESU Paderborna

DILINGÆ
Typis & Sumptibus JOANN. CASPARI BENCARD, Bibliopolæ Academici.
Per FRIDERICUM SEVERINUM GROCH.

Anno M. DC. LXXIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDISSIMO,
NOBILI, ET CLARISSIMO
DOMINO

FRANCISCO ZIEGLER,

SS. Canonum Licentiato, Reverendissimi & Celsissimi Principis, Episcopi Augustani in Spiritualibus Consiliario, & Vicariatûs Generalis Commissario, Pœnitentiario, & Consistorij Assessori.

NEC NON

Insignium Collegiatarum S. Mauritij Augustæ, & S. Cyriaci in Wisensteig respectivè Canonico & Parocho.

DOMINO MEO OBSERVANDISSIMO ET GRATIOSO.

QUod olim Divus Petrus Apostolus Luc. 5. fecisse scribitur, dum post captam piscium multitudinem copiosam annuit Sociis, ut venirent, & adjuvarent illum, hoc ipsum etiam Tu, REVERENDISSIME, NOBILIS & CLARISSIME DOMINE, erga me fecisse quodam modo videris. Es nimirum & Tu vero Apostolico Spiritu præditus, quia dotibus ad talem Spiritum requisitis apprimè instructus; si e-

nim geminas plerumque ad illum dotes exigunt periti rerum Æstimatores, Scientiam videlicet, & Zelum seu Charitatem ardentem, per linguas igneas, quæ super Apostolos in Festo Pentecostes descenderant, & non solùm luce sua alios illuminaverant, sed etiam calore suo igneo accenderant, indicatas, quis Apostolico te Spiritu plenum negare ausit, si sive scientiam tuam multiplicem, & copiosam assiduo studio, praxíque, & experientiâ continuâ comparatam, sive charitatem variis, iisque clarissimis documentis demonstratam accuratiùs perpendat? Et scientiam quidem quod attinet, non exiguam profectò à te sed eximiam prorsus fuisse collectam, testabitur inprimis Academia Dilingana, quæ propter eandem Academicos tibi honores in pleno doctissimorum virorum consessu, unanimo voto & consensu, juréque meritissimo decrevit, contulítque: testabitur deinde REVERENDISSIMUS & CELSISSIMUS PRINCEPS ac EPISCOPUS Augustanus, qui Reverendissimo Vicario Generali Adjutorem & Commissarium, ad quem velut Oraculum universi Sacerdotes Diœcesani causas suas controversas, aut dubias referrent, quærens, non alium profectò te aptiorem judicavit. Testabuntur denique omnes ij, qui sive de Philosophicis disciplinis differentem; sive de Theologicis subtilitatibus disputantem; sive propositas causas ad libram Juris Canonici examinantem, decidentémque audiverunt. Sed nimirum parùm æstimâsses hanc quantumcunque scientiam, nisi alteram Spiritûs Apostolici dotem, Zelum scilicet & charitatem junxisses, non ignarus videlicet, quid S. Apostolus 1.Cor.13. sapienter pronunciaverit, dicens: *Si habuero Prophetiam, & noverim mysteria*

mysteria omnia, & omnem scientiam &c. charitatem autem non habuero, nihil sum. Atque adeò *vanum esse*, teste D. Bernardo, *lucere tantùm; tantùm ardere, parùm: ardere & lucere, perfectum.* Hinc geminam hanc dotem, velut duo talenta à DEO tibi concredita, ut bene collocares, aliáque duo salutem scilicet propriam & alienam, lucrareris, tam sollicitè studuisti, uti omnes, quos curæ tuæ commissos unquam habuisti, grato, benevolóque animo testabuntur. Etsi verò ad omnes, ut dixi, Subditos tuos amplissimè tuus hic Zelus se extenderit, negari tamen non potest, quòd tunc maximè eluxerit, quando super altiori Candelabro positus ad Sacerdotum præcipuè Regimen es promotus; tunc enim verò amplissimum idem Zelus tuus campum nactus, quà crebris Visitationibus, quà privatis adhortationibus, quà paternis correctionibus in id unum incumbebat, ut dicere cum S. Paulo ad Sacerdotes tibi subjectos posses: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et hinc videlicet factum est, ut, quoniam ob publica, eáque graviora negotia imparem te esse advertebas, junioribus maximè Sacerdotibus privatâ Instructione pro voto efformandis, Sociis annueres, virósque tales optares, qui vicariam tibi in hoc tam salubri negotio operam præstarent, & si quidem ob occasionis defectum oretenus efformare tales Sacerdotes non possent, impressis certè Instructionibus eosdem in functionibus suis Ecclesiasticis erudire, expoliréque conarentur. Et ecce talem in me quoque inveniſti. Eum namque in finem parvos ab initio libellos publico typo committere ausus, cùm conatum meum Sacerdotibus non displicere advertissem, ad plura,

eaque paulò auctiora opuscula animum adjeci, & primam de *SS. Missæ Sacrificio* ritè offerendo Instructionem publicam, in quam quidquid ad hanc ob rubricarum multitudinem, cantûsque varietatem, non parùm sanè difficilem praxin facilitandam conducere posse existimabam, congessi. Paulò pòst verò etiam secundam de Horis Canonicis juxta Rubricas Breviarij Romani recitandis Instructionem composui, brevibúsque easdem Rubricas notis illustravi, &, ut nihil ad perfectam hujus materiæ notitiam deesset, ipsa etiam Martyrologij nomina accentibus, ex quibus modus ritè eadem pronunciandi cognosceretur, notata, tabulisque practicis, quæ facilem recitandi Breviarij praxin efficerent, subjunxi. Has geminas Instructiones non multò pòst tertia subsecuta est, quæ de Conversatione Apostolica à Curatoribus Animarum piè & fructuosè instituenda tractabat, atque adeò post solida ac generalia eum in finem præcepta tradita, faciles, practicósque modos juvandi & consolandi diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè ægras & captivas, complectebatur.

Quia verò non parùm etiam gratum futurum credebatur Animarum Pastoribus, si, quidquid à Pastoribus talibus aut sciendum præcipuè, aut observandum foret, in uno libro colligerem, ideo quartam quoque Instructionem de Pastorum officio vulgavi, quæ non solùm doctrinas & industrias ad Pastorale munus piè, fructuosè, & securè obeundum pertinentes, sed etiam Casus frequentiùs circa idem officium occurrentes ex communiore Doctorum sensu decisos continebat. Verùm neque hîc quiescendum adhuc existimabam; sed, quoniam Con-

Confessionum audiendarum munus, sicut utilitate præcipuum, ita in praxi nonnullis non immeritò difficillimum apparere advertebam, etiam hanc difficultatem emollire studui, atque adeò brevem quidem, sed ad praxin, ut spero, non parùm accommodatam Instructionem de Confessionibus ritè ac fructuosè audiendis obtuli, in eáque non doctrinas duntaxat generales ad Munus Confessarij pertinentes explicavi, sed etiam, quid circa varios Pœnitentium Status specialiter observare debeat, indicavi. Post quas quidem Instructiones typo commissas, cùm, quæ alia adhuc desiderari à Sacerdotibus posset, accuratiùs mecum perpenderem, adverti, non modicum, nec ingratum ijs subsidium me præstiturum, si, quoniam ex una parte omnibus Sacerdotibus aliqua saltem, licet non perfectissima, quintuplicis Theologiæ, Positivæ scilicet, Asceticæ, Polemicæ, Scholasticæ, & Moralis notitia necessaria est; ex altera verò parte notum atque compertum pariter fuerat, non omnes animum, aut vires, occasionémque habere ad tales scientias perfectè addiscendas, rudem saltem doctrinarum ad eas pertinentium notitiam suggererem, id quod præstiti sextam Instructionem publicando *Institutiones memoratæ quintuplicis Theologiæ* complectentem; quæ quidem Instructio ab initio quidusdam Sacerdotibus, ijs præcipuè, qui Theologiam duntaxat moralem audiverunt, supervacanea, minúsque necessaria videbitur, sed graviter sanè decipiuntur; quid enim magis decet Sacerdotem divini Verbi Interpretem, quàm ut sufficientem S. Scripturæ notitiam possideat, atque adeò Regulas ad ejusdem intelligentiam obtinendam necessarias nôrit? quid æquius est, quàm ut

Sacerdos in altissimo, sanctissimóque Statu constitutus, majori quoque, quàm sæculares soleant, perfectioni studeat, atque adeò scientiam Asceticam, quæ modum & præcepta ad talem perfectionem consequendam necessaria suggerit, addiscere conetur? quid magis necessarium, quàm ut doctrinas à Theologis Scholasticis circa DEUM Trinum & Unum, Incarnationem Christi, Angelos, Justificationem Hominum, Gratiam divinam, & similes materias proponi solitas sine errore alijs explicare possit, atque adeò ruditer saltem cognoscat, simúlque Hæreses contrarias, & modum facilem, solidúmque ad eas refutandas imbibat? quid demum proficuum magis censeri potest, quàm ut, quoniam immensum est doctrinarum ad Theologiam moralem pertinentium pelagus, earum memoriam renovare & conservare per generalia principia, ad quæ particulares doctrinæ revocantur, studeat? cùm ergo hæc omnia in sexta hac Instructione doceantur, & præterea etiam decreta Concilij Tridentini circa morum reformationem, quorum notitia utique etiam Sacerdoti vel maximè necessaria est, in aptum, & ad memoriam juvandam perquam accommodatum ordinem redacta ibidem reperiantur, facile apparet, etiam hanc Instructionem Sacerdotibus junioribus non parùm utilem esse, atque adeò accurata, crebráque lectione familiarem ipsis fieri debere. Et hâc itaque Instructione absolutâ, typóque datâ, occurebat memoriæ, quàm frequenter à Sacerdotibus variis stimulatus essem, ut ea, quæ circa Conciones apud rudem & simplicem Populum habendas olim collegeram, pariter publici juris facerem; verùm

verùm ab hoc conatu meritò abſterrebat, quòd neque Prophetam me, Concionatorémve, nec Filium Prophetarum, id eſt, in ejuſmodi concionibus habendis admodum exercitatum eſſe nôſſem. Vicit tamen & hunc timorem, denique aliorum ſtimulatio, atque ut non ſolùm præcepta generalia ad artem concionandi diſcendam ab Exercitatiſſimis Magiſtris tradita, ſed practicas etiam Ideas pro concionibus in varijs Feſtis & occaſionibus, habendis accommodatas per ſeptimam Inſtructionem proponerem, effecit. Neque tamen adhuc manus de tabula removenda videbatur, ſed quoniam crebrâ experientiâ didiceram, Sacerdotes, quando ſive ad primum Sacrificium offerendum per ſpiritualia S. Patris Exercitia ſe præparare; ſive per eadem deperditas vires Spiritus renovare conantur, ideo præcipuè optatum ex ijs fructum non ſemper referre, quòd Meditationes, aliáque exercitia eo in ſeceſſu ſuſcipi ſolita ad ſuum Statum ſpecialiter applicata non habeant; ſed & dignam de Vocatione ſua æſtimationem non ſemper haurire, nec induſtrias & exempla bonorum Sacerdotum, aut infelices exitus malorum ob oculos ſibi proponere, ideo ut hâc etiam in parte ſuccurrerem, octavam inprimis Inſtructionem Theologiæ Myſticæ, id eſt, modum Exercitia ſpiritualia faciendi facilem, practicúmque, Sacerdotibus præcipuè accommodatum compoſui; deinde verò nonam etiam Inſtructionem de Natura & excellentia Sacerdotij, variiſque induſtriis & exemplis, quæ Zeloſiſſimi quique Paſtores reliquerunt, déque Sacerdotum reproborum peſſimo fine adjunxi, ut hinc quidem per bonorum Sacerdo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cerdotum exempla & præmia ad imitationem accenderentur; inde verò per malorum Sacerdotum peſſimos fructus à peccatis eorundem Statum dedecentibus efficaciter abſterrerentur. Cùm verò ne ſic quidem plenè inſtructus Tyro Sacerdos videretur, niſi practicas, ſibíque propriè accommodatas Juris Canonici Inſtitutiones offerrem, etiam hîc deſiderari operam meam non ſum paſſus, ſed manus arduo quantumvis operi admovens, Inſtitutiones Juris Canonici non quidem univerſales, ſed tales, quæ potiores materias reſpectu talium Perſonarum præcipuè ſcitu neceſſarias complecterentur, atque per formatos & deciſos circa eandem materiam caſus illuſtrarent, aut confirmarent, elaborare cœpi. Quibus omnibus tandem Inſtructionibus pro complemento Bibliothecam manualem majori volumine conſtantem addidi; cùm enim ob librorum pro Concionibus formandis idoneorum inopiam, grandem ſæpe juniores Sacerdotes in ijſdem faciendis difficultatem experiri advertiſſem, pergratam me ijſdem operam facturum exiſtimavi, ſi, quæ in aliis libris operosè colligere deberent, in unum licet improbo labore colligerem, atque adeò de omnibus Virtutibus & vitiis uſitatioribus, de Sacramentis item, & noviſſimis, aliíſque materiis pro ſcopo Concionum aſſumi ſolitis, inprimis earundem naturam, diviſionem, & actus; deinde ſententias ſelectas & breves S. Scripturæ, & SS. Patrum; hiſtorias item & motiva, mediáque, ac ſimilitudines, conceptúſque prædicabiles, nec non & miſcellanea, & Authores, apud quos plura de tali materia reperiri poſſunt, proponerem, ſícque

que integram quasi Bibliothecam, quam, quia ad manus haberi facilè potest, manualem vocare placuit, offerrem. Ex quibus omnibus facilè nunc, REVERENDISSIME, NOBILIS & CLARISSIME DOMINE, colliges, annuenti Tibi, & ad multitudinem piscium seu animarum copiosam capiendam invitanti (quidni enim plures animas se lucraturum speret, qui utiles & bene exercitatos Piscatores efficere conatus est?) promptè cooperatum esse, &, si conatus saltem & intentio spectetur, nulli ad finem obtinendum operæ ac labori peperciſſe. Nihil ergo supereſt, quàm ut ſtudium hoc meum, & ſeptimum præcipuè hunc partum, eâ, quâ aliorum Amicorum obſequia accipere conſueviſti, benevolentiâ, facilitatéque acceptes, &, quò fructus ex ijs hauriendus ampliùs ſe dilatet, ſubjectis Tibi Sacerdotibus, eâ, quâ apud ipſos, polles, authoritate ac efficaciâ commendes. Ego interea, ut DEUS ter Opt. Max. toti Diœceſi diu te ſalvum, incolumémque conſervet, ex animo precor, voveóque. Friſingæ 21. Novemb. 1679.

Reverendiſſimæ, Nobilis
& Clariſſimæ Dom. Tuæ

Infimus Servus

Tobias Lohner,
Soc. JESU.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Præfatio ad RR. DD. Neo-Parochos, & eorum Cooperatores.

QVàm utile, quàm præstans, quàm proprium Animarum Curatoribus sit concionandi; seu Verbi divini disseminandi munus, usque adeò quotidianâ experientiâ testatum est, ut latere neminem queat, nisi qui præstantissimos & copiosissimos fructus à Christo, Apostolis, SS Patribus, aliisque fatundissimis Concionatoribus, ex Concionibus suis relatos ignorat. Quàm verò idem etiam Prædicatoris Evangelici munus laboriosum, quàm arduum, quàm difficile sit, nemo profectò testari melius potest, quàm vos ipsi RR. DD. Neo-Parochi & Cooperatores, qui, cùm tempore Studiorum vestrorum omnes propemodum cogitationes, curásque ad necessariam Philosophiæ, Theologiæque speculativæ vel moralis scientiam comparandam converteritis, nihil minùs, quàm vel de necessario ad Conciones habendas apparatu, vel de præceptis ad artem concionandi discendam præscribi plerumque solitis, hauriendis cogitabatis. Accedit, quòd eandem Artem addiscere volentibus, non rarò etiam Instructoris, qui posset, aut vellet in ea instruere, copia aut occasio defuerit; unde necessariò consequitur, ut, quoniam hæc Ars perinde ac alia sine perito Instructore non addiscitur, ad curam Animarum, atque adeò Concionatoris etiam Evangelici munus statim post studia finita, & Sacerdotis susceptum Ordinem applicati, ingentem in tot Concionibus ad Populum habendis difficultatem plerumque sentiatis, & non rarò etiam fructum vobis & aliis desideratum non referatis. Quæ causa fuit, ut, quemadmodum pro singulari meo erga vos affectu, Instructiones sex practicas circa alias Muneris vestri functiones composui, typóque commisi, ita de hac quoque nobilissima, utilissimáque Prædicatoris Evangelici functione similem vobis Instructionem offerre decreverim. Nam, etsi non ignorem, plures hinc inde libellos de simili materia fuisse impressos, ii tamen vel plerumque ad manum vobis non sunt; vel, quia nuda duntaxat præcepta continent, meritò ad dictam concionandi artem addiscendam minùs sufficientes creduntur, cùm, ut rectè Seneca notavit, longum iter sit per præcepta, breve & efficax per exempla. Hunc itaque defectum Instructio hæc supplebit, utpote in qua non tantùm præcepta ad hanc Artem pertinentia ex optimis quibusque Authoribus collecta proponentur, sed practica etiam

Ideæ

ideæ ad materiam & Temporum, Festorúmque varietatem accommodatæ offerentur. Vnde tres præcipuè partes hæc Instructio complectetur, quarum prima Naturam, Materiam & Formam ipsius Concionis explicabit; Secunda praxin ipsam per varias Concionum exempla practica proposita docebit, & ita quidem, ut non modò unum pro quovis Concionis genere exemplar, sed plures etiam Conceptus pro similibus Concionibus frequentiùs habendis breviter indicentur. Tertia praxin utiliter tradendi Catechismum indicabit. Qui tamen ipse labor ne aut temerè à me susceptus, aut certè minùs utiliter impensus cuipiam videatur, de quinque capitibus ad intentionem meam clariùs cognoscendam necessariis præmonendos vos duxi.

Primum est, me in tota hac Instructione non id quærere, ut, quâ ratione Conciones in primariis Aularum, & præcipuarum Civitatum Cathedris haberi debeant, ostendam; pro his enim cùm exercitati in arte concionatoria Magistri plerumque constituantur imprudens sanè & temerarius forem, si vix Discipulis dignus nomine tales, tantósque Magistros instruere præsumerem: illud ergo unicum mihi propositum fuit, ut Tirones in hac arte, nihil aut perparùm instructos ruditer instituerem, & quomodo Conciones pro rudi & rustico Populo instruendo, fructuosè, facilique labore formare debeant, edocerem, ad quem finem utiq; nec conceptus ingeniosi & subtiles, neque verba exquisita, stylúsque multùm elevatus necessarii fuerant.

Alterum est, me Ideas Concionum non pro omnibus Dominicis & Festis (hoc enim minùs conforme fuisset instituto & fini mihi proposito) sed pro iis duntaxat Festis & Concionibus, in quibus adverteram, novos Sacerdotes maiorem plerumque difficultatem, conceptuúmque inveniendorum inopiam experiri (quales v.g. sunt Conciones in Festis SS. Dedicatione, Patrocinio Templi, Novo Anno, Paraseeve, Paschate, Primitiis Sacerdotum, Peregrinationibus, Congregatione Rosarii, Funeribus & Sepulturis, aut etiam apud Rusticos instituendæ) attulisse; ex his namque bene intellectis & practicatis non difficile erit, in aliis quoque Festis aut Dominicis similes Conciones formare.

Tertium est, in ipsis etiam Conceptibus, qui Concioni principali ordinariè subiuncti sunt, succinctum me potiùs, quàm prolixum fuisse, eò quòd non rarò audiverim, in conceptibus potiùs inveniendis, quàm iisdem dilatandis & amplificandis difficultatem

tatem sentire Iuvenes Concionatores, maximè circa funebres Exhortationes apud sepulturam, quæ frequenter admodum recurrunt, faciendas, quæ, quia plerumque quadrantem horæ excedere non solent, non erit operosum Exhortatori, reliquũ, quod Conceptui superaddendum erit, adiicere, maximè si Bibliothecã meam manualem, quam eum in finem collegi, typóque præparavi, quondam nanciscatur; in ea namque copiosam prolixiùs de quacunque doctrina concionandi materiam reperiet.

Quartum est, me in Ideis proponendis non modò Scopum ipsum, seu doctrinam probandam, sed etiam Syllogismum principalem ad talem doctrinam persuadendam adhibitum Concioni præmisisse, ut ex eorum inspectione clariùs cognoscat Iuvenis Concionator, quò collimare in Concionibus debeat, nimirum ut non illustret duntaxat intellectum docendo, quæ agenda vel omittenda sunt, sed movendo etiam, & persuadendo, ut actu ea facere, vel omittere decernat, id quod saltem implicitè per Syllogismum legitimè concludentem fieri oportet. Vnde quia ad talem persuasionem eadem interdum Historia & Sententia in diversis Concionibus valde conducere censebatur, mirari aut ægrè ferre nemo debet, sæpiùs easdem in diversis locis fuisse narratas aut citatas, cùm facilè contingere queat, ut is, qui uno in loco illas reperit, altero in loco eas non legerit, aut certè non sciat, vel memineri, etiam in alia concione adhiberi posse.

Quintum & ultimum est, neminem ex eo, quòd in primariis Cathedris munere Concionatoris constanter non sim functus; nec in extraordinariis etiam Concionibus famosi nomen Concionatoris sim sortitus, absterreri ab huius Instructionis usu debere, sed satis cuivis esse posse, quòd doctrinas quidem generales à celeberrimis Concionatoribus mutuatus sim; Ideas verò practicas boni Concionatores, & prudentes Æstimatores ad finem, quem præfixi, rudes scilicet & plebeios Concionatores informandos non parùm utiles esse iudicaverint, ideóque ut prælo publico eas committerem, non semel sint hortati.

Quare nihil superest, nisi ut hunc laborem vestrâ potissimùm de causa, & divinæ gloriæ, salutisq; alienæ studio susceptum boni consulatis, atq; Instructionem istam non tantùm semel, iterúmq; perlegatis, sed etiam assidua praxi in vestrã & Parochianorum vestrorum utilitatem convertatis; errores verò typographicos, quos in typũ irrepsisse adverteritis, diligenti Catalogi in calce huius Instructionis positi inspectione corrigatis.

PARS

PARS I.

DE OFFICIO IPSO CONCIONATORIS.

Proœmium.

CUm quidam legis Doctores Mathæi 22. Christum interrogarent, quod esset mandatum magnum in lege? Respondit Christus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & in tota mente tua, hoc est maximum & primum mandatum.* Ex quibus verbis rectè videtur colligi posse, mundum hunc Academiæ similem esse, ad quem Pater Cœlestis omnes filios suos ableget, ut artem illam præstantissimam amandi Deum addiscant; quia verò anima ad sustentationem cibo æquè indiget, ac corpus, ideo convenientissimum Deus Filiis suis ad Academiam hanc ablegatis cibum providit, nempè Verbum Dei; hoc enim cibum animæ esse jam olim Deus Deutr. cap. 8. indicavit, & Christus Math. cap. 4. Diabolo ipsum tentanti repetivit, dicens, *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod exit de ore Dei*: Hoc ipsum clariùs postea S. Ephrem ostendit, cum quondam, dum orationi vacaret, vocem sibi dicentem audivit; *Ephrem mănduca*: cúmque subjiceret ille: *quid manducabo, aut quis mihi cibum præbebit?* respondit eadem vox: *abi ad Basilium, hic te docebit, & panem æternum tibi porriget.* Confestim ergo surgens Ephrem quæsivit Basilium, & in templo concionantem invenit, collegitque hunc tandem esse panem, & cibum, quem vox

de cœlo delapsa promiserat. Ad hunc ergo cibum præparandum, & Filiis suis tempore constituto offerendum Deus Sacerdotes potissimùm elegit, ut adeò rectè concludatur, Concionatores esse quasi Patres familias, quorum unicum officium sit Auditoribus suis à Deo commissis suo tempore diligenter, & benè præparatum cibum Spiritualem Verbi divini proponere, ex qua similitudine omnia, quæ ad munus Concionatoris ritè obeundum requiruntur, pulcherrimè facillimèque eruuntur, uti ex dicendis clariùs patebit.

§. I.

De præstantia hujus muneris.

COnstat experientiâ, tantò majorem in munere suo obeundo diligentiam à quovis adhiberi, quantò majorem de illo æstimationem concepit; ut ergo etiam Concionator munus suum tantò majore cum fervore obeat, non parùm utique proderit, si ejusdem muneris præstantia utilitásque ob oculos ei ponatur, quæ quidem ex similitudine Patris familias congruè colligi potest; ut enim hic munus suum ob triplicem potissimùm finem magni æstimat, & amat, nimirum quia optimam habet occasionem per illud sibi demerendi Parentes suorum Convictorum, ipsorum verò Convictorum, amorem in longum tempus duraturum conciliandi, & tandem proprium suum Commodum non leviter promovendi; Ita meritò quoque Concionator munus suum magni facere debet, utpote per quod ei egregia occasio offeratur, amorem suum erga Deum, proximum, & seipsum Demonstrandi, in quo triplici amore tota hominis dignitas felicitásquè consistit, unde, ut ad hunc amorem tantò efficacius incitetur, non parùm proderit, si illud Christi dictum ad sanctum Petrum Joannis cap. 21. in memoriam revocet: *Simon Petre amas me? pasce oves meas*; idem ergo sibi quoque dici putet Concionator.

Et primò quidem imaginetur sibi Christum sic eum alloqui;

qui; *Fili, diligis me in me ipso*, id est, propter bonitatem meam infinitam omni amore dignissimam? *pasce filios meos verbo meo*; sic nimirum amorem erga me tuum clarissimè demonstrabis. Et verè ita est; quod enim clarius argumentum amoris exigi à Concionatore potest, quàm si non ipse tantùm Deum & Christum ex corde diligat, sed etiam, ut idem ab aliis copiosè præstetur, per verba & ferventes conciones efficere studeat? Si Christus Math. 25. dixit: *Amen dico vobis, quod uni ex minimis meis, feciſtis, mihi feciſtis*; quidni insignem sibi à Concionatore charitatem præstitam reputet, si hic tam pretiosum verbi divini cibum tam frequenter & amanter tam multis Auditoribus offerat? an non cum magno concionatoris solatio olim ad illum in extremo judicio dicet: *Esurivi, & tu dedisti mihi manducare?*

Secundò imaginetur sibi dici iterum à Christo; *Fili, diligis me in proximo tuo? pasce oves meas verbo meo*; sic enim præceptum charitatis proximi toties & tam studiosè à me inculcatum perfectè implebis; & meritò, si enim tantoperè commendatur charitas S. Joannis Eleemosynarii, qui vitam corporalem pauperum tam profusa eleemosynâ sustentavit, quantò magis merebitur & æstimari, & laudari concionatoris charitas, qui tam multis tam frequentem & præstantissimum cibum animæ offert, ut vitam spiritualem gratiæ gloriæque habeant, & abundantius habeant?

Tertiò imaginetur sibi dici tertia vice à Christo; *Fili, diligis me in te ipso? pasce filios meos verbo meo*, sic enim tu ipse quoque cum iis vitam animæ non modò conservabis, sed etiam copiosiùs vitam æternam possidebis; si enim Reges & Principes hujus mundi tàm liberaliter compensant beneficia Filiis suis exhibita, quantoperè compensaturum credimus munificentissimum Deum charitatem Filiis suis dilectissimis impensam? si Nutricibus Regum Principumque cibi tam sollicitè & copiosè subministrantur, quis Deum id ipsum erga concionatores facturum dubitet? Quod si ob supra dictas tres causas meritò dixit sanctus Dionysius, *omnium divinorum divinissimum est cooperari Deo in salutem animarum*: si S. Chrysostomus asserere ausus est: *etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plùs tamen effeceris, si unam converteris animam*: si S. Gregorius non minus verè pronuntiavit, majus

esse miraculum prædicationis verbo, atque orationis solatio; peccatorem convertere, quam carne mortuum suscitare; quàm præclarum erit censendum Prædicatoris munus, per quod aptissima offertur occasio, non unam tantùm, sed tam multas animas convertendi?

§. II.

Quid sit Concio?

SPlendidissimum illud Ecclesiæ lumen S. Franciscus Salesius Concionem sic definit; *Est publicatio & declamatio divinæ voluntatis, facta hominibus, per eum, qui legitimè missus est, ad animas docendos & permovendos ad serviendum Deo in hac vita, ut in altera salvi fiant.* Quâ quidem definitione omnia quatuor caussarum genera, quæ ad Concionem requiruntur, succinctè & nervosè complexus est, uti ex singularum particularum inspectione patebit.

Dicitur itaque primò, *publicatio & declamatio*: per quæ verba indicatur caussa formalis Concionis, quæ in hoc consistit, ut ore vel lingua manifestetur & explicetur Auditoribus id, quod Deus ab iis exigere videtur; cùm enim Deus, teste S. Paulo 1. Tom. 2. *Omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; ad hanc autem agnitionem non per se ipsum aut Angelos, sed per homines ex altissimo suæ divinę sapientiæ consilio illos perducere decreverit, homines autem non nisi per voces aut verba docere se mutuò possint, meritò prædicationis exercitium institui à Christo & Ecclesia debuit, uti benè S. Paulus ad Rom. 10. indicavit dicens: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit; quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent in eum, quem non audiverunt? quomodo autem audient sine prædicante?*

Dicitur Secundò *divinæ voluntatis*; per quæ verba caussa materialis seu materia Concionis indicatur, quæ est voluntas divina; cùm enim perfectio & Beatitudo hominum in fruitione summi Boni, quod est Deus, consistat; fruitio autem ista per amorem tanquam unionem moralem, & formalem possessionem tanti Boni perfici debeat; Unio autem ista non physicè per Hypostaticum nexum, sed moraliter tantum, scilicet

licet per voluntatis humanæ cum divina perfectam conformationem contingat, rectè colligitur principale objectum prædicationis esse voluntatem divinam, per divinam revelationem nobis manifestatam. Quia verò voluntas divina, quæ adimplenda hominibus proponitur, duplex est, scilicet prohibens & præceptiva, hinc in duas quoque partes objectum dividitur, nempe ut idem velint & nolint homines cum Deo, in quibus Justitia humana, & perfectio consistit, uti David psalmo 33. rectè his verbis indicavit: *quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? declina à malo, & fac Bonum, inquire pacem & persequere eam*; ad quæ proinde principalia duo objecta omnes aliæ particulares materiæ (quæ in concionibus tractari solent) revocari debent, id, quod S. Franciscus suis fratribus succinctè & sapienter indicavit, dum jussit, ut vitia & virtutes, infernum & paradysum prædicarent.

Dicitur Tertiò *per eum, qui legitimè missus est*: per quæ verba caussa efficiens indicatur, quæ est Minister habens legitimam facultaten prædicandi; hæc enim facultas necessariò requiritur, tum ut auctoritatem tribuat Concionatori; tum ut efficaciam atque potentiam eidem conferat ad fructuosè prædicandum, quæ duæ res sunt instrumenta summè necessaria ad munus hoc cum fructu & decentia obeundum, haberi autem non possunt, nisi per legitimam facultatem seu missionem. Et auctoritatem quidem, quod attinet, quod ea sperari non debeat sine dicta missione, clarè S. Paulus ad Rom. 10. indicavit, dum dixit: *Quomodo audient sine prædicante? Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Hinc neque ipsi Apostoli munus Prædicatoris prius susceperunt, quàm à Christo audiverunt Mathæi 28. *Euntes docete omnes gentes.* Quòd verò ad efficaciam requiratur eadem missio, satis clarè Christus Joannis cap. 15. indicavit dicens: *Ego sum vitis, vos estis palmites; qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere*; quomodo autem manere poterit in Christo, qui non ejus voluntate & imperio prædicationis officium assumpsit?

Dicitur Quartò *ad eos docendos & permovendos*: per quæ verba indicatur caussa finalis seu finis concionis, qui duplex est, remotus & proximus, ex quibus iste per citata verba indi-

catur; huc nimirum collimare debet proximè Concionator, ut *illuminet*, docendo vitia fugere & virtutes exercere; & *accendat* seu moveat ad id, quod docuit faciendum vel fugiendum; id, quod Christus non obscurè insinuavit, dum Spiritum Sanctum super Apostolos in specie ignearum linguarum misit, indicare scilicet volens, quemadmodum ignis proprium officium est illuminare & accendere; ita omnes quoque, qui linguas, id est, imperium & facultatem prædicandi Verbi divini à Deo acceperunt, geminas has proprietates possidere debere. Etsi verò interdum delectatio in concionibus quæri possit, hæc tamen non alia esse debet, ut monet Sanctus Salesius, quàm ea, quæ doctrinam & materiam sequitur.

Dicitur Quintò *ad serviendum Deo in hac vita, ut in altera salvi fiant*: Hic enim est finis ultimus Concionis, cùm ideo vitia fugere, & virtutes exercere homines debeant, ut voluntatem Dei adimplentes per eam justificentur, atque adeò veram vitam, quæ in possessione summi Boni consistit, obtineant, & conservent, id quod Christus Joannis 10. indicavit, dicens: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*, cùm ergo apud eundem dicat: *sicut me misit Pater meus, & Ego mitto vos*, rectè concluditur, eundem quoque finem concionatoribus propositum esse debere. Ex quo iterum obiter colligitur, quàm convenienter Concionatores Patribus familias seu Hospitibus comparentur, cùm, sicut horum potissimus scopus est, efficere, ut Convictores cibum sibi oblatum comedant, & sic vitam corporalem conservent; ita concionatores verbum divinum prædicare debent suis Auditoribus, ut vitam animæ habeant, & abundantiùs habeant per voluntatem divinam, de quâ Christus Jo. 4. dixit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.*

§. III.

De primo officio Concionatoris seu Materiæ electione.

Sicut Paterfamilias antequam cibos præparet, & Convictoribus apponat, priùs materias congregat, & circa hanc tria potissi-

potissimum observat. Primò eligit & determinat, qualem proponere velit, scilicet conditioni & naturæ Convictorum accommodatam. Secundò ab illis Mercatoribus illam emit, quos optimam & recentissimam habere cognovit. Tertiò in penu eam recondit, ut suo tempore sibi servire possit; ita eadem capita Concionator in materia pro concione præparanda observare debet, uti in sequentibus membris ostendetur.

MEMBRUM I.

De electione materiæ.

Sicuti ergo ante omnia Paterfamilias attendit, quales Convictores habeat, ne, dum solidos cibos infantibus, & teneriores adultis apponit, plùs noceat, quàm prosit; ita Concionator quoquè Auditorum suorum conditionem & qualitatem considerare, iisque doctrinas suas accommodare debet, id quod eleganter S. Gregorius lib. 20. moralium cap. 1. super illud Jobi: *super illos stillabit eloquium meum*; declarat, sic dicens, *debet Prædicator perspicere, ne plùs prædicet, quàm ab audiente capi possit, ne, dum parvis sublimia & non profuturæ prædicat, se magis curet ostendere, quàm Auditoribus prodesse*; ita profectò Sanctus Paulus exemplo suo docuit, dum ad Chorinth. cap. 3. sic scripsit; *Et ego, Fratres, non potui vobis loqui tanquam spiritualibus, sed quasi carnalibus; tanquam parvulis lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis.* Caveat ergo Concionator, ne apud plebem & Rusticos de ijs facilè agat, quæ non nisi ad perfectionem Religiosorum aut Clericorum pertinent, qualia sunt, severa castigatio corporis, studium contemplationis & solitudinis, perfecta sui abnegatio, & similia. Caveat Secundò, ne pro scopo principali assumat facilè Speculativam Quæstionem de Deo, Incarnatione, Angelis, &c. v g. Quomodo Spiritus Sanctus procedat, Christus satisfecerit pro peccatis, an scilicet ex vera Justitia vel non; quomodo Angeli loquantur, puniantur &c. Caveat Tertiò, ne, dum apud homines altioris statûs & dignitatis concionatur, concionem suam sublimibus & ingeniosis conceptibus referat, sed potiùs sibi persuadeat, & hos plerumque in rebus spiritualibus parùm exercitatos esse, atque

que adeò proinde, ut alios lacte, id est, communiore doctrina opus habere, & verò etiam libentius audituros, quàm si non nisi altæ & speculativæ disputationes instituantur; quem in finem proderit referre, quod de Aulico quodam Concionatore quondam audire me memini, quòd scilicet, cùm ab initio per aliquot annos de sublimibus materiis sublimiori modo dixisset, nemo aulicorum facilè illius amicitiam & conversationem ambierit; Postquam autem missam aliquando & similes materias practicè explicare cæpisset, adeò gratus factus fuerit, ut passim ad eum Aulici accurrerent, suaque de auditis in concione dubia proponerent. Sed & alios non paucos novi, qui ingentem populi accursum in suis concionibus habuerunt, eò quòd materias practicas, & ad quotidianum vitæ usum pertinentes vulgari & ad captum accommodato modo proponerent, cùm interea alii sublimioribus conceptibus intenti vix pauciſſimos Auditores numerarent. Et quid amplius volumus, an non clarissimum hujus rei exemplum in ipso Christo habemus? an non ille suis concionibus amplissimum fructum fecit? an non ingentem hominum numerum attraxit? an non audire meruit; *nunquam sic homo locutus est*? & tamen quàm humilem loquendi modum adhibuit. Hinc meritò Societas Jesu Concionatoribus suis hanc regulam præscripsit: *Ea populo proponant, quæ ad captum & utilitatem Auditorum erunt accommodata, iisquè insistant, quæ ad Christianam institutionem, atquè ad extirpanda vitia, & virtutes inserendas valent, & à rerum sublimium curiosa tractatione se abstineant. Commendare autem debent Confessionis & Eucharistiæ frequentem usum, in bonis operibus profectum, & perseverantiam, Ecclesiarum Cæremoniarum observantiam & cætera, quæ ad cultum divinum pertinent, eamquè obedientiam, quæ Principibus & Prælatis, qui Dei in terris vices gerunt, exhibere debent. Commendabunt etiam peculiari ratione Pœnitentiæ & misericordiæ opera, Sanctarum precum & aliarum piarum devotionum exercitia, utilium librorum lectionem, & bonam filiorum educationem,*

MEM-

MEMBRUM II.

De libris, ex quibus petenda est materia Concionum.

SIcut Paterfamilias, ubi materias pro cibis determinaverit, pro ea comparanda ad eos se Mercatores confert, ubi eam optimam & recentissimam inventurum se sperat; ita Concionator quoque materiam & argumenta ex iis potissimùm libris & Auctoribus petere debet, qui solidè & doctè eam pertractant, quos proinde dignoscere non parùm refert.

Primò itaque & principalem locum habere debet sacra Scriptura, de qua S. Augustinus loco supra citato rectè dixit; *Maior est huius Scripturæ auctoritas, quàm omnis humani ingenii perspicacitas*; *quidquid enim* (ut idem capit. ultimo de doctrina Christiana ait) *homo extra eam didicerit, si noxium, est hic damnatur: si utile est, hic invenitur; & cùm ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multò abundantius ibi inveniet ea, quæ nusquam alibi invenire potuit.* Clariùs verò fructum hunc, qui ex Scriptura sperari posset, explicat Sanctus Isidorus de summo Bono, dum ait, *geminum confert donum lectio Sacræ Scripturæ, sive quia mentis intellectum erudit, sive quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit.* Quod ipsum Sanctus Paulus 2. ad Timoth. 3. indicaverat dicens; *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum*; *ad urgendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.*

Secundum locum Sancti Patres meritò tenent, quia hi, ut bene notat Sanctus Salesius in modo concionandi à se composito cap. 3. nil aliud continent, nisi Evangelium explicatum seu Sacram Scripturam compositam; talis, proinde inter doctrinam illorum & Sacræ Scripturæ est differentia, qualis est inter amygdalum decorticatum, & amygdalum sub cortice reconditum; vel qualis est inter panem integrum & panem divisum; familiarissimè igitur iis, inquit, utendum tanquam instrumentis, per quæ Altissimus verborum verum sensum nobis communicavit; unde rectè iis applicatur Ecclesiastici cap. 8. facta adhortatio, dum ait: *Non te prætereat narratio Seniorum; ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis*

discès intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.

Tertium locum vitæ Sanctorum & aliæ similes Sacræ historiæ approbatæ obtinent, quia, ut idem S.Salesius loco citato ait, vitæ Sanctorum nil aliud sunt, quàm Evangelium opere completum; neque aliud inter Evangelium scriptum & vitas Sanctorum discrimen est, quàm inter musicen notis notatam & musicen voce decantatam, unde nihil utilius, præstantius, & laudabilius est illis.

Quartum locum ascetici libri & concionatorii sibi vendicant; quia hi similes sunt apibus, qui Sacræ Scripturæ, Sanctis Patribus, & vitis Sanctorum velut bene olentibus floseulis per continuum studium insidentes mel spiritualis doctrinæ dulcissimum exugunt, & in Conciones, & libros suos velut aptissima alvearia transferunt, unde meritò quoque magna illis auctoritas tribuenda est, tanquã utilissimo compendio Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & vitarum Sanctorum.

Quintum locum merentur profanæ historiæ, de quibus tamen rectè notat S.Salesius loco citato, quòd modicè iis utendum sit, sicut scilicet vescimur fungis ad appetitum exstimulandum; attendendum proinde, ut convenienter atque ad propositum enarrentur, &, ut S.Hieronymus monet, iis faciendum est, quod Israëlitæ mulieribus captivis, dum illis nubere statuerant, faciebant, dum scilicet illis ungues præscindebant, & capillos detondebant; ita nimirum & historiæ istæ cogendæ sunt, ut integræ Evangelio subserviant, & ad veram Christianam virtutem conducant, submovendo, quod in actionibus Paganorum & profanis alicui offensioni subiacere posset; Hinc in præstantia Cæsaris v.g. adimenda & notanda ambitio, in fortitudine Alexandri perimenda vanitas, Contumacia, & animi elatio, in Castitate Lucretiæ prætereunda est mors violenta ex desperatione illata, & sic de reliquis loquendo.

Sextum locum habere possunt naturales historiæ nam, ut benè notat S.Salesius, Mundus Verbo Dei conditus ex omni parte laudem cantat Conditoris, & liber est, qui Verbum Dei complectitur, sed tali exaratus idiomate, quod omnes haudquaquam dignoscant, pluribus est occultum, illi tamen, quibus

bus per meditationem liber hic innotuit, utiliter eo utuntur; Exemplum sequuntur S. Antonii, qui alterius Bibliothecæ erat nescius, audivítque attentè S. Paulum dicentem quòd visibilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Præcipuè tamen hic liber conducit pro similitudinibus à majore ad minus deducendis, qualibus antiqui Patres frequentissimè sunt usi, neque etiam Sacra Scriptura dedignata est, hinc dicit; *Vade piger ad formicam: sicut gallina congregat pullos: quemadmodum desiderat cervus: quasi struthio agri: videte lilia agri.*

Septimum locum meritò concedere possumus antiquis quibusdam Philosophis v. g. Aristoteli, Platoni, Senecæ, Epicteto & similibus, quorum doctrinæ non leve argumentum suggerunt ad Christianos convincendos, si nempe hi tam copiosè fidei lumine illustrati aut nesciant, aut facere renuant, quod illi solo naturæ ductu intellexerunt, & tam fortiter interdum sunt executi, unde selectiores horum Philosophorum sententiæ non inutiliter quandoque citantur, dummodo Catholicæ doctrinæ concordent, & ad finem supra dictum ordinentur.

Octavum locum denique & ultimum habent Poëtarum fabulæ aut aliorum, quos non aliter usurpandos à Concionatore monet S. Salesius, atque ipsis antidotis utimur, ut scilicet quivis facilè capiat, quod horum non velimus professionem facere. Versus Poëtarum sunt valdè utiles, unde etiam veteres aliqui Patres ijs sunt usi, imò & ipse sanctus Paulus Aratum & alios citavit.

MEMBRUM III.

De Bibliotheca à Concionatore paranda.

Ex ijs, quæ modò dicta sunt, facilè nunc apparet, Bibliothecam Concionatori necessariam esse, Auctores & doctrinas, ex quibus argumenta desumenda diximus, continentem; quia verò multùm refert, tam ad sumptus inutiles cavendos, quàm ad curiositatem, quæ in evolutione multorum librorum reperitur, & non modicè animum distrahit; evitandam, ut solida & utilis Bibliotheca comparetur, ideo pausas ad hunc finem regulas Concionatori suggeram.

Prima

Prima itaque regula hæc esto; *Pauci, sed utiles libri comparandi*: ratio est, quia multitudine librorum incenditur curiositas vagandi per illos; unde quia intellectus pluribus intentus minùs se ad certas & utiliores materias applicat nullum solidum fructum ex tali lectione haurit. Deinde multi libri eandem rem aliis duntaxat verbis, & modo proponunt, unde præstat doctrinas communiores in paucis libris comprehensas habere.

Secunda regula est. *In omni materia*, cujus scientia à Sacerdote requiri potest, *Vnus saltem Auctor est comparandus*, & is maximè, qui optimè talem materiam tractare creditur; ratio est, quia, cùm memoria nostra satis labilis sit, hoc subsidium meritò necessarium creditur, ut, in quo nos deficere advertimus, in eo à tali Auctore sublevemur.

Tertia regula: *Illi maximè emendi Auctores, qui utiliora sunt*, id est, qui plures tales materias, quæ in quotidianum usum veniunt, pertractant, & plura genera locorum, ex quibus argumenta desumenda sunt, continent; sic enim & pretii, & laboris insigne lucrum acquiritur, dum in uno libro obtinetur, quod in multis laboriosè esset quærendum.

Quarta regula: *Nullus liber incognitus facilè emendus*, id est, nisi Concionator priùs indicem materiarum, & aliquot capita, ex quibus modum proponendi cognoscere queat, perlegerit; ratio est, quia, licet sæpè Auctor aliquis à variis viris doctis commendetur, id tamen interdum tantùm fit propter ingeniosos conceptus, ac sublimes sensus & interpretationes, quæ omnia parùm prosunt Concionatori Tyroni & plebeio (qualem hic potissimùm instituendum sumpsi) ad conciones plebi populóque parùm litterato habendas.

Quinta regula: *Cæteris paribus illi libri præferendi sunt, qui bonos indices habent*; quia tales indices, cùm sint breve quoddam compendium libri, mirè juvant Concionatorem ad optatum finem & fructum, quem ex tali libro maximè quærit, reportandum.

His regulis bene observatis distinguat Concionator inter Bibliothecam necessariam & non necessariam, sed utilem tamen, studeátque priùs illam comparare, quàm posteriorem emat; necessariam autem Bibliothecam voco, quæ constat

stat iis libris, sine quibus difficulter munere Concionatoris, aut Pastoris fungi poterit, quales sequentes esse judico.

Scripturarii.

Scriptura Sacra latino & vulgari sermone conscripta, ut textus, qui intellectu satis difficiles sunt, convenienter etiam vulgari idiomate interpretari queat Concionator.

Concordantia Bibliorum ad locos Sacræ Scripturæ quærendos inprimis necessaria.

Aliquis Interpres Sacræ Scripturæ, qui saltem succinctè explicet difficiliora loca Sacræ Scripturæ, qualis v. g. est Tirinus, Menochius &c.

Flores Bibliorum & Doctorum, qui sunt parvi duo libelli, sed utiles valdè, ut qui contineant locos communes & sententias Sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum circa omnes fetè materias, nisi malit Polyanthæam Langii emere, quæ & has & plures alias res continet.

Concionatorii.

Mathiæ Fabri Conciones, quas præ aliis suaserim ob materiarum & conceptuum insignem copiam & varietatem, ita, ut si peritè hunc Auctorem usurpare noverit, Concionatori vel solus sufficere queat materiam pro concionibus per multos annos habendis.

Laurentii Foreri Vita Christi in quatuor tomos distincta, ubi magnam copiam doctrinarum moralium & conceptuum pro concionibus reperiet, & præterea omnes etiam ferè præcipuas hujus temporis controversias succinctè & solidè tractatas.

Pædagogus Christianus liber apprime utilis, ut qui materias ad vitam Christiano modo instituendam contineat, & accomodata valdè ad conciones parandas ratione pertractet.

Historici.

Vitæ Sanctorum à Zacharia Lisipeloio, aut qui magis ferè placet, ab Heriberto Rosweido conscriptæ.

Speculum Exemplorum, vel Catechismus historicus Antonii Bauraltii, qui uterque liber continet historias ad virtutes & vitia pertinentes.

Ascetæ.

Opera Hieremiæ Drexelii, quæ, si omnia habere potest, duobus tomis in folio collecta, optimum haberet subsidium ob copiosos indices non materiarum duntaxat utilissimarum, sed conceptuum etiam in Evangelia dominicalia & festiva digestarum; quia tamen hi tomi sat magno pretio venduntur, ideo aliquot saltem ex his libellis comparare studeat v. g. Phaetontem, Rosas marianas, Gymnasium patientiæ, Heliotropion, Trismegistum, Prodromum æternitatis, Rogum damnatorum, Nicetam, Cælum, Rhetoricam cælestem, Amussim.

Summa vitiorum & virtutum Guilielmi Peraldi, aut Beati Alberti Magni Paradysus, vel Jacobus Alvarez de virtutum adeptione & vitiorum extinctione; hi enim libelli ad naturam virtutum & vitiorum serviunt, quæ, ut vidimus, sunt potissima materia ad concionem rectè intelligendam.

Seelen-Hülff Martini de Roa, libellus de auxilio purgantibus animabus ferendo, & valdè solidè hanc materiam pertractans, vel alius similis.

Casistæ & Controversistæ.

Pauli Laymanni Theologia moralis, quem meritò quivis Sacerdos habere deberet, ut qui solidè & succinctè atque accomodatè ad nostra tempora hanc materiam pertractat.

Hermanni Busenbaum Theologiæ moralis medulla, qui libellus, quia nervosè & compendiosè omnes materias practicæ Theologiæ complectitur, & varias inde resolutiones deducit, meritò etiam valde commendari deberet cuivis Sacerdoti & Concionatori.

Manuale Martini Becani, vel colloquia Catholica Patris Christophori Pflaumer germanicè edita, vel Clypeus fidei germanico idiomate conscriptus, qui omnes tres libri valde utiles sunt ad controversias in compendio recolendas.

Varii.

Catechismus Romanus vel Trevirensis.
Concilium Tridentinum.
Rituale & Constitutiones Diœcesanæ.

Geor-

Georgii Vogleri Catechismus & Trost-Brunn.

Dictionarium, Promptuarium & Smetius, vel Amalthæum prosodicũ pro usu latinæ linguæ perficiendo, & vocabulis latinis rectè pronuntiandis.

Bibliotheca librorum utilium.

Etsi ex libris supra assignatis magnum possit habere subsidium Concionator, negari tamen non potest, supereſſe adhuc multos alios, à quibus magnopere posset juvari in munere suo rectè obeundo, quorum proinde aliquos obiter indicare proderit, ut eos suo tempore, si sumptus suppetant, comparare queat.

Ex Scripturariis adhuc emere posset Cornelium à Lapide, qui in plerosque S. Scripturæ libros commendatus est. Quòd si omnes tomos emere non possit, saltem commentarium ejusdem in Evangelia & Epistolas emat, ut qui materias frequentiùs occurrentes continent. Tolletum in Lucam, & Sebastianum Baradium in concordiam & historiam Evangelicam. Franciscum Riberam in Epistolam ad Hebræos, & sancti Joannis, qui valdè solidè docet modum interpretandi & intelligendi Sacram Scripturam.

Ex Theologis curet aliquem saltem Theologum Scholasticum habere, ad quem in dubiis recurrere possit, quique non nimis fusè totam materiam Scholasticæ Theologiæ pertractet, quales esse possunt Tannerus, qui etiam practicas materias, & Germaniæ nostræ potissimùm subservientes clarè admodum & succinctè tractat; vel Gregorius de Valentia, vel Martinus Becanus. In Theologia autem morali Ferdinandus de Castro Pallao, qui omnes materias solidè, sufficienter & compendiosè pertractat. Thomæ Sanchez opus morale & de Matrimonio. Compendium Dianæ in quarto editum, vel in folio Hortus Pastorum Petri Marchantij, aut Patris Georgii Gobat Theologia Fundamentalis.

Ex Concionatoribus comparare adhuc potest Henricum Engelgrave Lutem Evangelicam in Dominicas, & Pantheon ac Cælum Empireum in festa. Joannis Gayler Kaiserspergii aliquot opera v. g. Sermones de oratione & passione. Naviculam pœnitentiæ, ubi practicè valde & ad populum appositè tractantur hæ materiæ. Conciones Discipuli, in quibus

prima-

primarius quidam Concionator fatetur, se artem utiliter concionandi didicisse. Nucleum Coppenstainii ex conceptibus prædicabilibus Petri Besseï; ubi copiosam materiam locorum & allegoriarum ex Sacra Scriptura petitarum inveniet. Matrem admirabilem Georgii Pistorii; & ejusdem Klag-Hauß/ qui duo libri pro concionibus de B. Virgine & Animabus purgatorii habendis copiosam suggerunt materiam.

Ex Ascetis servire ei possunt Alphonsus Rodriquez de perfectione & virtutibus Christianis. Franciscus Arrias de imitatione Christi. Passio novo antiqua Patris Leopoldi Mancini, ubi valde multas doctrinas morales practicis concionibus inservientes inveniet, Viridarium & Pomarium Joannis Bussæi. Jacobus Salianus de Timore & Amore DEI. Franciscï Salesii opuscula, præcipuè introductio ad vitam devotam, & ejusdem regulæ. Dux peccatorum Ludovici Granatensis. Joannes Nierenbergius de adoratione in spiritu & veritate. Isagogæ ad amorem divinum Patris Petri Pennequin.

Ex historicis multùm juvarent vitæ Patrum à Rosweido illustratæ. Regnum DEI germanico idiomate conscriptum Calendarium Beatissimæ Mariæ Virginis germanicè editum, Epitome Cardinalis Baronii. Jacobi Gordani Chronologia in folio, ubi omnes hæreses etiam cum suis doctrinis fusè & solidè referuntnr & refutantur. Brachelii historia nostri temporis.

Ex variis addere potest Ravisii Textoris Officinam, quæ est compendium quoddam eruditionis profanæ; Simonis Maiali caniculares dies, qui auctor de omnigena materia curiosè satis discurrit. Moralitates Bibliorum Petri Berchonii. Summa F. Joannis à sancto Geminiano, qui liber de omnium rerum proprietatibus disserit, ac varias inde morales doctrinas deducit. Similitudines selectæ ex sanctis Patribus & aliis Auctoribus ab Alexandro Ambstellrodano. Porrò circa hanc geminam Bibliothecam sequentia diligenter notanda sunt, ut solidus ex illis fructus referatur.

Primum est, ut non existimet Concionator hos solos libros ob sui utilitatem cæteris esse præferendos, sed ideo tantùm à me esse citatos, quia eorum utilitas, materia, & modus proponendi mihi magis perspectus est, unde si vel ipse aliquot alios libros his utiliores, vel meliores cognoverit, vel ab aliis

ab aliis commendari audiverit, poterit pro suo arbitrio etiam illos comparare, vel assignatis præferre, modò regulas supra assignatas observet.

Secundum est, ut, ubi aliquem librum emerit, vel alio modo comparaverit, quamprimùm commodè potest, indicem Capitum vel Quæstionum ab illo tractatarum percurrat, ut generalem saltem libri illius & materiarum in eo contentarum cognitionem habeat.

Tertium est, ut tempore illo, quod ab aliis curis magis necessariis vacuum est, Auctores illos, qui magis utiles ipsi videbuntur, ad finem præfixum à capite ad calcem legat, & ex iis selectiora in charta ad hoc destinata denotet, quod quidem, qua ratione fieri possit, mox docebo.

MEMBRUM IV.

De modo fructuosè notandi.

Sicuti Patresfamilias ordinariè cellam quandam penuariam habent, in qua materiam pro cibis suo tempore proponendam asservant, ita similem quoque industriam tantò diligentiùs adhibere debet Concionator, quantò majorem inde utilitatem, facilitatémque in concionibus faciendis sperare potest. Porrò cellæ hujus penuariæ vicem notata, quæ ex variis libris collegerit, subibunt, quam quidem, ut instruat, duos sibi libros seu thecas parabit.

Primus continebit materias remotas, id est, sola themata, & conceptus pro concionibus faciendis, qui quidem liber practicè videtur sic conficiendus. Primò sumatur Quaternio complicatus, & in quatuor partes divisus (hæc enim foliorum divisio & forma præ cæteris apta videtur ad notandum) in cujus initio scribatur titulus Festi vel Dominicæ, pro qua conceptus annotandi sunt; tum subjungatur paucis verbis ipse conceptus, numero tamen aliquo, qui eum ab aliis conceptibus distinguat, præfixo; quod si de eo conceptu ab Auctore quopiam factam aliquam Concionem, vel certè eum fusiùs explicatum invenerit, breviter adjungere locum illius libri poterit. Idem faciendum suadeo, si ipsemet Concionator de illa materia jam fecerit Concionem, tum enim adscribere poterit: vide tuas Conciones, hoc vel illo folio aut loco

Annotatis sic conceptibus pro una Dominica, ad aliam pergat, relicto tamen duorum vel trium foliorum spatio pro conceptibus pluribus præcedentis Dominicæ, & sic per omnia alia Festa & Dominicas progrediatur: quod ut ordinatè fiat, & ut facilè locos communes invenire possit, judico Dominicas quidem secundùm consuetum ordinem ponendas, in Festis verò ordinem dignitatis, eo ferè modo, quo in Litaniis maioribus observari solet, servandum esse, ita tamen, ut in fine adjungat titulos pro Communi Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, pro festo dedicationis, pro animabus purgantibus, pro supplicationibus, pro primitiis, pro funeribus &c.

Secundus liber materias proximas continebit, in quo potissimùm selectiores Sacræ Scripturæ, SS. Patrum Ascetarum & Philosophorum sententiæ, item historiæ similitudines, Authores fusiùs de proposita materia scribentes &c. annotandi sunt, in quibus tamen conscribendis non eundem omnes modum servant. Tres ferè sunt potiores, quorum quemlibet referam, simúlque commoda & incommoda, quæ affert, indicabo.

Primò ergo aliqui quaternionem accipiunt, & in ea omnia, quæ digna notatu videntur promiscuè annotant, additis tamen cuique materiæ novæ numeris. Ut verò facilè materias themati suo inservientes invenire possint, in fine indicem conficiunt, in quo per diversos titulos indicant, quid de quavis virtute aut vitio annotaverint. Illud tamen rectè notant nonnulli, hos titulos non nimis generales esse debere, quia magnum in seligendis aptioribus sententiis aut historiis laborem facessunt, unde non tantùm scribendum est *humilitas*, sed *humilitas honorata*, *præmiata &c.* num. 384. Hic modus notandi illud potissimum commodum habet, quòd non multæ vacuæ chartæ relinquantur; neque multùm deliberandum sit, quo quidvis loco annotari debeat; Incommodum verò non modicum referunt illi, qui eum observant, quòd, si numerus excrescat, & pro eodem titulo centum vel plures numeri habeantur, omnes aut plerique magno labore percurri debeant, ut selectiores sententiæ vel historiæ eligi possint.

Secundò alii tres vel quatuor quaterniones assumunt, & in eo-

In eorum primo hunc titulum præfigunt: *Doctrinalia*, atque adeò solas sententias sanctorum Patrum, aut etiam aliorum Doctorum nobiliores annotant, servato ordine eodem, quem supra indicavi. In secundo præfigunt titulum: *Historica*, & in eum solas historias scribunt; in tertio ponunt titulum *Miscellanea*, & in eo scribunt, quidquid notatu dignum occurrit, atque ad aliquem ex primis duobus Quaternionibus revocari non potest, qualia esse possunt, Apophtegmata, similitudines, Parabolæ, Fabulæ, loci Auctorum annotati, qui de aliqua materia eleganter scripserunt, Versus etiam Poëtarum, & alia similia. Porrò pro his omnibus Quaternionibus generalem indicem faciunt, ita tamen, ut, si de virtute aliqua v. g. sententiam elegantem annotaverint, eam præfixâ litterâ D. & numero addito significent, quod signum est, eam in adversariis doctrinalibus quærendam esse, & sic eodem modo historias litterâ H. Miscellanea littera M. numero præfixâ indicant.

Hic modus illud commodum habet, quod ordinatiùs omnia disponat, & siquis v. g. historiam tantùm habere velit, faciliùs eam inveniat, cùm ij, qui priorem modum observant, omnes numeros percurrere debeant.

Illud tamen etiam incommodum patitur, quod nec ipse satis liberetur ab ea molestia, quæ sentitur in selectioribus sententiis vel historiis eligendis, maximè si notata multùm excreverint.

Tertiò alii sequentem modum observant. Tres faciunt libellos, in quorum primo ea tantùm notant, quæ de virtutibus magis usitatis & in quotidianam praxin venientibus notatu digna occurrunt. In secundo libro vitia usitatiora pro titulo ponunt, &, quæ de iis notanda occurrunt, annotant. Quibus etiam addunt media quædam ad talia vitia cavenda. In tertio tandem annotant, quæ ad ad nullum ex prædictis titulis pertinent, servántque ex his notandis unum ex præcedentibus duobus modum, neque incurrunt eam difficultatem, quam illos modos secum afferre diximus, cùm pauca sint, quæ in hoc tertio libro annotantur, atque adeò numeri non adeò excrescere possint.

Porrò in præcedentibus duobus libris ea, quæ ad virtutem vel vitium pertinent, sic annotant. Sumunt decem vel

duodecim folia, ſive in octava, ſive in quarta forma, in ſe complicata, & in primi folii capite ſcribunt titulum virtutis vel vitii, huic titulo alium ſubjungunt, *Ex Sacra Scriptura*, ſícque in illo folio ſententias ſelectiores ex Sacra Scriptura de illa virtute vel vitio notant, ita tamen, ut per numeros denotent ſententias, & in margine Auctorem vel librum, ex quo deſcriptæ ſunt, citent, & ſemper adhuc in folio ſpatium aliquod relinquant, ut aliæ adjungi poſſint. In ſecundo poſtea folio hunc ſcribunt titulum *Ex ſanctis Patribus*, ſimúlque ſententias ex ſanctis Patribus eo modo & ordine notant, quo ex Sacra Scriptura notandas diximus. In tertio vel quarto præfigi poteſt titulus *Hiſtoriæ*, in quinto vel ſexto *ſimilitudines*, in ſeptimo *Miſcellanea*, per quæ intelligo ea omnia, quæ vel ex Poëtis vel Ethnicis Auctoribus occurrunt, aut etiam ex ſanctis Patribus, aut aliis Scriptoribus, & ad nullum ex præcedentibus revocari poſſunt, in octavo tandem ſcribendi erunt Auctores, qui de tali virtute aut vitio meliùs ſcripſerunt, ex quibus ſiquis v. g. præ reliquis excellat, poteſt interdum ſigno NB. notari.

Iſte modus notandi illud potiſſimùm incommodum habet, quod multas vacuas chartas relinquere debeat, quod tamen incommodum, ſi quidem alicujus momenti eſt, ab illis tantùm curandum eſt, qui ab uno loco in alium frequenter migrare, & ſuas reculas ipſimet portare debent.

Commodum verò hoc ingens habet, quòd, ſi quis de virtute aut vitio notiori concionari velit, in uno Quaternione ſub uno aſpectu habeat, quæcunque de tali materia annotavit; aut ſi materiam ſufficientem non habet, Auctores illicò inveniat, apud quos plura invenire poſſit. Pari modo, ſiquid legit vel audit, mox intelligit, quo in loco illud notare debeat, nec multis numeris aut indicibus indiget, per quos quærere laboriosè debet, quod invenire cupit.

Ex his tribus modis notandi aliquem ſibi eligere Concionator poteſt, quem convenientiſſimum judicat, modò ſequentia diligenter obſervet. Primò, ut ſi ſemel aliquem ex his elegit, eum conſtanter retineat. Secundò, ut etiam ab iſto labore notandi non facilè ſuperari ſe ſinat, aut ab hoc propoſito deſiſtat. Tertiò ut non niſi ſelectiſſima quæque annoter, & quæ in libris paſſim obvijs non reperiuntur. Quartò, ut ea,

ut ea, annotat, non nimis fusè scribat, maximè historias, sed paucis verbis substantiã illius indicet,& in margine locũ, in quo fusiùs descripta inveniri possit, annotet, nisi rara esset admodum historia, & liber, ex quo descripta est, non facilè haberi posset, tum enim fusiùs cum plerisque circumstantiis notari posset; sententias tamen ex sanctis Patribus, vel ex Sacra Scriptura integrè, & à verbo ad verbum scribere debet, maximè si Breviores sint. Quintò, ut nonnunquam etiam notata relegantur, maximè si juxta primum notandi modum omnia promiscuè scripta fuerint; sic enim memoriæ firmiùs imprimentur.

MEMBRUM V.

De varietate materiæ.

Sicut Patresfamilias inter alia diligenter curare debent, ne semper ejusdem generis cibos apponant, nisi quando gravis aliqua ratio id exigere videtur; ita Concionator quoque studiosè cavere debet, ne eandem semper materiam repetendo & obtrudendo fastidium creet Auditoribus, nisi fortè evidens aliqua necessitas, aut utilitas aliud exigeret, tum enim non horrere debet similem repetitionem, sed potiùs se & Auditores suos illo sancti Pauli ad Philippens. 3. solari: *de cætero Fratres mei, gaudete in Domino, eadem scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium est.*

Porrò varietas ista in tribus capitibus ostendi potest. Primò in ipsis doctrinis, ne scilicet per magnam anni partem de eodem vitio aut virtute prædicet, id enim, ut experientia docet, non parùm avertit animos Auditorum, eorum præcipuè, qui aut minùs ad simile vitium inclinatos se putant, aut virtutem talem parùm sibi convenientem arbitrantur; potiùs ergo, si necessariam certi vitii aut virtutis tractationem crebriorem aut longiorem putat, diversis temporibus id faciat, ut nunquam facilè Auditor concionem aditurus sciat, de qua materia Concionator sit peroraturus.

Secundò ostendi potest varietas in Fontibus, si nimirum quandoque ex Evangelio ipso doctrinam unam alterámve adducat: quandoque ex ipso Festo vel Tempore, quod occurrit, occasionem & materiam desumat, ut si in die Rogationis de utilitate processionis, aut modo eam fructuosè instituendi: in

di: in Primitiis alicujus Sacerdotis de dignitate Sacerdotii concionetur; quandoque librum aliquem Sacræ Scripturæ multis doctrinis moralibus refertum v. g. Tobiæ, Judith, Esther &c. sibi explicandum desumat, & doctrinas inde salutares & Auditori accommodatas eruat, id quod in concionibus tempore Adventûs, Quadragesimæ inter hebdomadem haberi solitis aliqui præcipuè faciunt, quandoque comparationem aliquam instituat v. g. hominis cum Milite, Peregrino, Mercatore, simúlque ostendat, quomodo omnes, aut pleræque horum proprietates quilibet jure merito procurare debeat, quemadmodum D. Joannes Gailen Kaiserspergicus frequenter & cum magna gratia usurpavit; quandoque ordinem vitæ instituendæ conficiat, in quo quid singulis diebus, hebdomadibus, mensibus, annis cuivis homini Christiano agendum sit, doceat, ad eum ferè modum, quem Pater Jacobus Alvarez in libello de vita religiosè instituenda observavit; quandoque exercitia spiritualia à sancto Ignatio Fundatore Societatis JESU sapienter excogitata assumat, & quomodo quivis per triplicem viam, purgativam scilicet, illuminativam, & unitivam ad Christianam professionem conniti debeat, ostendat; quandoque ipsum Catechismum minorem explicandum assumat, altiori tamen modo, quàm Juventuti proponi soleat, nec sine grata quadam eruditionis copia & amænitate; quandoque varias spirituales Artes doceat, v. g. artem amandi, patiendi, loquendi, verum aurum, id est, bona opera faciendi, bene regendi, orandi, laborandi &c. quo quidem ex fonte copiosæ simul & jucundæ materiæ hauriri possunt, in qua etiam errores varios in variis actionibus committi solitos ostendat, modúmque & causas emendandi ostendat.

Tertiò denique varietas ista ostendi potest *in modo proponendi*, qui quidem & ipse varius esse potest. Primus est, si una doctrina moralis eligatur, & per varias rationes exercitium illius suadeatur, ut siquis sententiam Christi: *Discite à me, quia mitis sum*, assumens conetur Auditores ad mansuetudinem Christi imitandam excitare. Secundus est, si ex una sententia aut facto plures doctrinas eliciat, ut siquis ex illa sententia Christi: *Verba mea non præteribunt*, ostendat, quàm magnum solatium pauperes, infirmi, contempti, peccatores

catores &c. ex promissis in Sacra Scriptura factis haurire debeant; aut siquis ex communi consuetudine paschalia distribuendi occasionem desumat, varias doctrinas ex resurrectione & apparitionibus deductas eruendi, & diversis statibus applicandi. Tertius est, si comparatio unius rei cum altera instituatur: v. g. Beatissimæ Mariæ Virginis cum Arca Noë, & pro hac ostendatur, ejusdem amorem meritò inter prima & certiora signa prædestinationis æternæ numerari posse: aut si Christus viti comparetur, demonstretúrque, quomodo omnis efficacia actionum nostrarum ex ipsius meritis & exemplis per imitationem expressis desumi debeat. Quartus est, si ipsum Evangelium per partes explicetur, variæque inde doctrinæ morales & catecheticæ eruantur. uti Pater Mathias Faber plerumque in penultima concione facit. Quintus est, si per parabolam à se vel aliis excogitatam Concionator persuadere conetur id, quod sibi proposuit pro themate, quem modum Christo familiarem fuisse ex Evangelio notum est. Sextus est, si historia quæpiam pro fundamento principali assumatur, & ex ea occasio desumatur ad varias doctrinas morales inde eruendas, ut si v. g. quis historiam illam de Philosopho in foro sedente, & sapientiam vendente narret, dicátque sententiam ab illo Rege pro documento datam (ut scilicet nihil inciperet, priusquam ponderaret, quem exitum esset habiturum) pariter suis Auditoribus, vel pro flosculo majali, vel si tempus exigat, pro Xenio oblaturum, adeóque ostendat, quomodo hanc doctrinam in occasionibus peccandi, in actionibus quotidianis, & tribulationibus observare debeant. Septimus denique modus est, si varia mysteria sub Evangelio latentia proponantur, & explicentur, sicut plerumque Pater Mathias Faber in ultima concione sua proposuit. Atque hi sunt potissimi modi proponendi, qui in concionibus observari solent; non negaverim tamen plures adhuc excogitari posse, sed qui plerique ad unum ex assignatis revocari queant, ut examinanti patebit.

§. IV.

De ſecundo officio Concionatoris, ſeu de argumentorum inventione.

SIcut Paterfamilias, poſtquam materiam pro cibis præparavit, ſollicitè curare debet, ut à Coquo bene coquantur, & præparentur, ita & Concionator ante omnia laborare debet, ut à coquo ſuo, id eſt, intellectu, materia, quam Auditoribus proponere decrevit, priùs per accuratum ſtudium bene excoquatur; hoc verò ſtudium in eo potiſſimum conſiſtit, ut accuratè diſpiciat, quomodo doctrinam præfixam clarè explicare, ſolidè probare, & efficaciter perſuadere queat, abſque hoc ſtudio Concionator ſuo munere difficulter rectè fungetur, ſed potiùs auctoritatem ſuam perdet, efficiétque, ut Auditores advertentes parvum ſtudium impenſum fuiſſe Concioni ſuſpicentur, eum prioribus diebus aut poculis nimis indulſiſſe, aut aliis impertinentibus curis & negotiis fuiſſe diſtractum, ſícque verificabitur notum illud cujuſdam Doctoris effatum, omnibus Cathedris meritò in ipſo aditu inſcribendum: *Qui aſcendit ſine labore, deſcendit ſine honore.* E contrario verò, quæ meditata afferuntur ab eo, qui ad multam noctem vigilavit, non tam lucernam, quàm Sancti Spiritus oleum voluntates commoventis redolebunt, inquit rectè Bonifacius c. 3. epiſt. 6.

Porrò ut ſtudium hoc tantò majore cum facilitate dexteritatéque peragat, & argumenta ſcopo ſuo probando citiùs invenire queat, proderit ad manum habere locos quoſdam fœcundiores, ex quibus dicta argumenta amplificationi ſervitura diſponi queant, qualium quidem locorum aliquos hic annotabo ex antiquo aliquo libro collectos.

Primus Locus.

Per nominis interpretationem.

Ex hoc loco variis modis argumentari poſſumus. Nam primò videre poteſt Concionator, an nomen in themate vel ſententia poſitum habeat plures interpretationes, & tunc illas,

las, quæ magis ad propositum conducunt, assumit v.g. Israel juxta Interpretes idem significat, ac videns Deum, vel princeps cum Deo, vel fortis discretio Dei, unde qui vellet Christianos comparare Israeli, posset facilè ostendere, quomodo illi debeant esse veri Israelitæ, procurando hos titulos, ut scilicet cognoscant Deum, & videant per veram fidem, sint Principes & amici Dei per gratiæ & Charitatis possessionem, & denique fortes per discretam patientiam. Quòd si placeret unam duntaxat interpretationem accipere, tum posset ostendi, quomodo v.g. essent Principes, imò reges juxta commune illud effatum: *Servire Deo, regnare est*: Unde dividi posset Concio in tres partes juxta conditiones ad Regem à Seneca requisitas, dum dixit: Rex est, qui metuit nihil: Rex est, quique cupit nihil, hoc regnum sibi quisque dat. Secundò quoque Concionator definire aut describere potest, nomen aliquod aut potius rem per nomen significatam, ut si v.g. dicat: Arca Noë fuit lignum ex tali materia præparatum, tot & tot habens contignationes, à Noë confectum, ut se & alios servet ab interitu; atqui Beatissimæ Mariæ Virgini hæc omnia conveniunt, ergo &c. Pari modo si vult probare veritatem illius sententiæ à Davide prolatæ: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine*, examinet, quomodo Beatitudo definiatur, & reperiet eam sic definiri: *Est status omnium bonorum aggregatione perfectus*; quâ definitione posita facilè erit ipsi facere amplificationem super allatam sententiam, enumerando scilicet varia bona, utilia, honesta & delectabilia, & ostendendo, quàm perfectè omnia possideant, qui in domo Dei habitant.

Secundus Locus.

Per verborum discussionem.

Ex hoc loco sic òritur amplificatio: vult v.g. Concionator explicare locum illum Psalmistæ: *Quàm bonum est, & quàm iucundum habitare Fratres in unum*; hoc ut commodè præstet, inquirat, primò quare *Bonum sit*, quia scilicet se juvant precibus, opere exemplo deinde quare dicat Propheta *Iucundum*, quia scilicet Societas omnes miserias & labores leves facit; & quia unus alterum solari potest; quare item di-

cat *habitare*,ut oſtendat,non ſufficere ad charitatem ſemel aut iterum cum altero ſuaviter,colloqui,aut illi benefacere, ſed inſuper requiri,ut conſtanter hoc fiat, ſicut ii, qui in eadem domo habitant,conſtanter ſe mutuò juvant & ſolantur. Ulterius quare dicat *Fratres*, ut ſcilicet indicet charitatem noſtram erga proximum fraternam eſſe debere, ne extollamus nos ſupra alios,ne invideamus, ne in neceſſitatibus eos deſeramus. Denique cur dicat *in unum*, quia videlicet omnes debent tendere ad unum finem,non quærentes, quæ ſunt ſua ſed quæ Dei; ſine hoc enim mediò non poterit diu charitas fraterna conſiſtere; hæc diſcuſſio ſola pro integra concione materiam abundantem ſuppeditat, nam in prima parte exſplicare poſſet,in quo conſiſtat charitas,per illa verba *habitare fratres*; in Secunda declarare poſſet motiva indicata per illa duo verba: *Quàm Bonum & quàm iucundum*; in tertia tandem indicare poſſet medium optimum ad ſervandam charitatem,ſcilicet per illa verba *in unum*,indicatum.

Tertius Locus.

Per Concordantias Auctoritatum.

Ex hoc loco ſic fit amplificatio: Sumitur unus textus Sacræ Scripturæ v. g. iſte: *Qui abſtinens eſt,adiiciet vitam.* Eccleſiaſt.37.Deinde ſubditur alius locus Sacræ Scripturæ de eadem materia loquens,& dicitur v.g.de quibus autem rebus abſtinere debeamus,indicat Sanctus Petrus cap.2.dicens. *Obſecro vos tanquam Advenas & Peregrinos,abſtinere vos à carnalibus deſideriis*; quod etiam Sanctus Paulus ad Theſſalon. confirmat dicens: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra,ut abſtineatis vos à fornicatione, &c.* ſimili modo, ſi Concionator in Feſto Sancti Pauli iſtud thema habeat: *Vas electionis eſt iſte mihi, ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus, & Filiis Iſrael*; inquirat, quid in S.Scriptura de vaſe dicatur, quod huc conducere poſſit, & primò illum locum reperiet Exodi cap.16.Sume vas unum,& mitte ibi mare,& repone coram Domino; Unde Sanctas Paulus huic vaſi comparari poſſet, tum quia de cœlo venit; tum propter dulcedinem charitatis,quâ omnibus omnia factus eſt; tum propter ſoliditatem doctrinæ,quâ animas mortalium pavit & ſatiavit. Pari modo

modo inveniet, quod 4. Regum cap. 4. Uxor prophetarum jussa fuerit ab Elisæo vasa vacua à vicinis mutuare, in quæ oleum modicum, quod habebat, fundere jussa erat, quod, postquam illa fecit, mirè multiplicatum oleum reperit & vendere jussa est, & Creditoribus debita solvere, unde posset Deus Elisæo, qui idem significat ac *Deus Salvans*, Ecclesia illi mulieri, S. Paulus vasi vacuo, Judæi vicinis, Sacratissimum Nomen Jesu oleo comparari, tum quia non patitur se permisceri aliis humoribus, id est, amore creaturarum, tum quia, ut oleum cibos, id est, opera nostra condit; tum quia lumen fidei & scientiæ nutrit, ut oleum; tum quia confortat ut oleum; sic ergo facilè ostendi posset, quomodo hoc oleum in Sancto Paulo sit multiplicatum, & Ecclesia illud Gentibus per ipsum vendiderit, sicque debito prædicandi Evangelium satisfecerit.

Denique inveniet etiam actorum 9. dictum de eodem Sancto Paulo *vas electionis mihi erit iste, &c.* unde pulcherrimus conceptus offertur, quo ostendat, quomodo dictus Apostolus fuerit vas electionis in vocatione, prædicatione, consummatione juxta illud: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, &c.*

Quartus Locus.

Per expositionem alicujus Sententiæ in vario Sensu.

Pro quo loco meliùs intelligendo notandum est: Quadruplicem esse Sacræ Scripturæ sensum: Primus est *Historicus*, seu *Litteralis*, quando scilicet, quomodo res aliqua gesta vel dicta sit; planò sermone refertur, ut cùm dicitur: Populus Israel ex Ægypto salvatus tabernaculum Deo fecit.

Secundus sensus est *Allegorius*, quando videlicet verbis sive rebus mysticis præsentia Christi & Ecclesiæ Sacramenta significantur: ut, cùm Isaias dixit: *Egredietur virga de radice Iesse*; per hæc enim verba significatur Beatissimam Virginem de Stirpe David nascendam esse, & hanc Christum genituram; variis autem modis hic sensus eruitur, nam quandoque

doque à persona sumitur, sic Isaac Christum significat: Quandoquè à re, sic aries ab Abrahamo occisus significat carnem Christi passam: quandoquè à loco, sic dum Christus prædicaturus in montem ascendit, eminentia loci hujus, excellentiam & sapientiam doctrinæ Christi significat; quandoque à numero; sic per illa verba: Apprehendent septem mulieres virum unum, significantur septem dona gratiarum Christi, aut septem Sacramenta ab illo instituta & hominibus collata: quandoque à negotio aut facto, sic interfectio Goliath à Davide facta Diabolum à Christo victum significat; rectè tamen circa has allegorias universim monet Sanctus Salesius, diligenter attendendum esse, ne violenter nimis eruantur, aut nimis prorogentur, aut minùs decentes, aut honestis auribus parùm consonæ sint; &, ubi non est manifestum signum figuræ & figurati, à figuris abstineatur, & similitudinibus acquiescatur; Unde Juniperus, sub qua somno se dederat Elias, non benè dicitur figura Christi, sed potiùs dicendum est, quod sicut Elias sub Junipero dormiebat, ita nobis Christianis sub cruce Christi quieti Sanctissimæ meditationis sit indulgendum.

Tertius Sensus est, *Moralis* seu *tropologicus*, per quem locutio aliqua ad instructionem Auditorum, & correctionem morum dirigitur, quod duplici modo fieri potest. Primò mysticè, ut, cùm ait Salomon, Eccles. 9. *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat*: quæ verba idem significant in morali sensu, ac si dixisset, omni tempore sint opera tua munda, & charitas de corde tuo non deficiat. Secundò apertè, ut cum Sanctus Joannes 1. c. 2. dicit: *Filioli, non diligamus Verbo* aut linguâ, sed opere & veritate.

Quartus sensus est *Anagogicus*, per quem locutio aliqua dirigitur ad futurum statum in altera vita: Item ad Deum & Angelos, Beatos, Ecclesiam triumphantem, animas damnatas, Diabolos, Purgatorium, Infernum &c. quod iterum apertè & mysticè fieri potest; apertè, cùm dicitur, Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; mysticè cum dicitur: *Beati, qui lavant stolas suas, ut sit illis pastus in ligno vitæ, & per portas intrent civitatem.* Apoc. 22.

Hoc supposito amplificatur aliqua sententia per hunc locum

cum expanendo eam in vario sensu, cujus exemplum ponitur à Sancto Salesio in illis verbis Geneſis 25. *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex utero tuo dividentur, Populúsque, Populum ſuperabit, & maior ſerviet minori*: ubi litteraliter duo populi, Iſraelitæ ſcilicet & Idumæi de Eſau & Jacob egreſſi ſignificantur, ex quibus Iſraelitæ minores ſuperabant Idumæos majores natu tempore Regis Davidis, Allegoricè Eſau populum Idumæorum, Jacob Paganos, Anagogicè Eſau corpus, Jacob animam, tropologicè deniquè Eſau amorem proprium, Jacob amorem Dei ſignificat. Quandoque tamen eadem ſententia in eodem etiam ſenſu variè exponi poteſt; ſic verba illa Sancti *Lucæ*: *Exivit quidam ſeminare ſemen ſuum*, &c. exponi poſſunt in Bonum & malum ſenſum moraliter; in bonum quidem, ſi dicatur, quod pœnitens exiverit de ſtatu & carcere peccandi ad libertatem, & ſeminare bona opera incipiat juxta illud; *Euntes ibant, & flebant &c.* in malum verò ſenſum, ſi dicatur, peccatorem exire, id eſt, quaſi extra ſe ipſum labi, quando judicium rationis deſerit, & tunc ſeminare ſemen ſuum, id eſt, iniquitates juxta illud proverbiorum 22. *qui ſeminat iniquitatem, metet mala*.

Quintus Locus.

Per Comparationes.

Ex hoc loco ſic fit amplificatio. Sumitur nomen adjectivum, quod in ſententia reperitur &, ſi eſt poſitum in ſuperlativo, adjungitur poſitivus, & comparativus & viciſſim, ut in ſequentibus exemplis videre eſt. Dicit Sanctus Paulus ad Epheſios c. 2. *propter nimiam Charitatem ſuam, quâ dilexit nos Deus*: hic textus ſic poteſt amplificari per comparationem: Bene dicit propter nimiam Charitatem; quia Dei charitas erga nos erat magna in creatione, fuit major in Gubernatione, maxima in redemptione, nimia in glorificatione. ſic quando Joann. cap. 19 dicit, *qui me tradidit maius peccatum habet*; dicere poteſt, qui hanc ſententiam amplificare cupit, ſi Judas habuit peccatum magnum, quia magnum pretium ex avaritia concupivit, majus utiquè habet, quia Dominum ſuum tradidit, ſed maximum habuit peccatum, quia de miſericordia Dei deſperavit.

Per-

Potrò sicut comparatio fieri potest respectu ejusdem, ita & respectu diversorum institui potest v.g. dum lib. 1. Machab. cap. 2. dicitur: intendit in præceptum legis, amplificari potest hæc sententia dicendo. Quidam in præcepta legis intendunt per contemplationem, quidam attendunt per sollicitudinem, quidam prætendunt per simulationem, quidam contendunt per æmulationem.

Sextus Locus.

Per varias Compositiones.

Ex hoc loco sic fit amplificatio. Occurrit v.g. illa sententia Habac. 3. *Egressus est in salutem populi sui*: Super quam dicit Concionator, Dominus egressus fuit è cælo, ingressus fuit in mundum, regressus in cælum, supergressus universa. Item super illam sententiam ad Rom. 6. *quid dicemus, Fratres, permanebimus in peccato*? dicat, quidam *stant seu permanent in peccatis*, à futuris quidem abstinentes, sed pro præteritis non satisfacientes; quidam autem in peccatis *sedent*, partim in peccato remanentes, partim verò ab ipso surgentes; quidam autem in peccato jacent omni tempore in ipso remanere proponentes; quidam denique in peccato ambulant, de peccato in peccatum progredientes, quæ omnia paulò clariùs explicanda, & fusiùs ostendenda sunt.

Septimus Locus.

Per rerum proprietates.

Ex quo sic fit amplificatio, Indagantur proprietates alicujus rei, & explicantur, ac vel alicui Sancto, de quo fit Concio, vel ad mores applicantur. sic si Concionator vellet explicare illam sententiam Christi. Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur*? rectè per hunc ignem intelligeret Charitatem, quia uti ignis inter elementa, ita hæc inter virtutes est præstantissima. Item semper tendit sursum ad Deum, producit levitatem ad quævis opera perficienda, calefacit, omnia vincit, illuminat ut ignis &c. ad hunc modum etiam pertinet dilatatio Sermonis, per ea, quæ solent rem, de qua agitur, comitari, ut siquis in Concione de judicio mentio-

mentionem Judicis, Actoris, Rei, Testis, Sententiæ, faciat, eò quòd hæc in judicio reperiantur. Diligenter tamen in hac comparatione attendere debet Concionator, ne totus labor ipsius in eo tantum versetur, ut ostendat hanc vel illam rem tali rei comparari posse, sed potiùs studeat insignem aliquem effectum & motum, qualis est potissimùm imitationis desiderium ex tali comparatione elicere.

Octavus Locus.

Per similitudines.

Hæc amplificatio tribus modis fieri potest. Primò enim exponuntur similitudines illorum, qui habuerunt virtutes illas, quas persuadere, vel vitia quæ dissuadere volumus, & tales similitudines vocantur exempla: ut siquis de pœnitentia sermonem faciens exemplum Beatissimæ Mariæ Magdalenæ adducat.

Secundò adducuntur, quandoquè similitudines de rebus naturalibus vel artificialibus sumptæ, & hæc commune nomen similitudinis retinent, ut siquis velit ostendere, quòd omnis, qui se humiliat, exaltandus sit, & adducat pro exemplo aquam, quæ, quò altiùs in profundum cadit, eò altiùs ascendit: aut arborem, quæ tantò altiùs ramos extollit, quantò profundius radices jecit.

Tertiò adducuntur similitudines sumptæ à quibusdam factis confictis, vel parabolis, qualibus frequenter Christus est usus, uti ex Evangelio constat, & hæ parabolæ vocantur. Huc etiam revocantur Fabulæ, quales ab Æsopo & aliis sunt conscriptæ, quæ tamen non nisi rarissimè usurpandæ sunt, ne gravitati & fructui concionis officiant.

Nonus Locus.

Per oppositorum assignationes.

Ut siquis v.g. laudare velit gratiam divinam, ex opposito, hoc modo argumentaretur: Quantum damnum infert peccatum, tantum utilitatis affert gratia; nam sicut peccatum hebetat hominis intellectum, inquinat affectum, debilitat virtutem, ita gratia illuminat, quia lux est: affectum purifi-

cat,

cat,quia aqua munda est;potentiam corroborat,quia Dei virtus est: sicut peccatum homines ab amicitia Dei excludit, privat jure ad hæreditatem regni Cælestis,Diaboli mancipium facit,& æternis ignibus addicit, ita gratia eripit à Servitute Diaboli, & Dei amicum efficit, & ad felicitatem æternam restituit,ac omnium Bonorum participem facit.

Decimus Locus.

Per divisionem in Partes.

Hæc amplificatio fit Quatuor modis, primò per divisionem *totius universalis*: ut si Concionator alicui applicaret illam sententiam: *Ego sum flos campi*: dicerétque iste Sanctus meritò assimilatur flori,quia fuit sicut rosa Succensus ardore Charitatis,ut lilium candidum nitore puritatis, ut viola suaviter olens odore humilitatis.

Secundò per divisionem *totius integralis*, ut siquis explicaturus illam Sancti Pauli sententiam ad Rom.cap. 12. *Multi unum corpus sumus in Christo*: dicat hujus mystici corporis caput est Christus; oculi sunt viri contemplativi; os prædicatores; manus,qui vitam activam profitentur; Pedes, omnes Christiani ad Bravium cæleste currentes.

Tertiò per divisionem *totius collectivi*; ut si explicaturus illam sententiam Apocal. cap. 6. *Fecisti nos Deo nostro regnum*, dicat in regno Christi Christus est Rex, Assessores & Judices sunt Apostoli,Milites sunt Martyres, Præcones sunt Doctores & Prædicatores.

Quarto per divisionem *totius potentialis*,seu naturæ in potentia,ut si volens ostendere, quomodo Deus sit ex tota anima diligendus,dicat eum esse dililgendum *intellectu*, ut cognoscat illum sine errore: *voluntate*,ut ei sine contradictione obediat: *memoriâ*,ut sine oblivione eum meditetur.

His quatuor modis addi potest Quintus, quando videlicet plures propositiones per copulam connexæ dicuntur, ut si explicaturus illam sententiam S.Pauli Rom. 13. *Abiciamus opera tenebrarum,& induamur arma Lucis*, dicat: quidam non induunt arma lucis,licet abijciant opera tenebrarum: id est,non faciunt bona: Quidam induunt arma lucis, sed non abijciunt opera tenebrarum: quidam & induunt arma lucis,

atque

atque abijciunt opera tenebrarum: ut justi; quidam neutrum faciunt ut desperantes.

Undecimus Locus.

Per Ratiocinationem.

Ex hoc loco variis etiam modis fit amplificatio; nam primò quandoque á judicio Auditorum postulato infert Concionator, quod intendit, ut si dicat: Nónne stultus esset, qui propter quamcúnque delectationem sumeret cibum, in quo non dubitaret latere venenum? an non stultus etiam erit peccator, qui propter carnis delectationem committit peccatum, in quo venenum mortis æternæ habet? hoc modo usus est Christus Matth. cap. 22. & 23. in parabolis de Agricolis, qui hæredem occiderunt.

Secundò adhibentur quandoque confutationes, quibus tacitis quæstionibus respondetur, quæ ex verbis prædicatoris oriri possunt, ut si priùs v.g. Concionator dixerit, damnatis supplicium æternum deberi, & postea sic inferat: sed objiciat aliquis, cùm peccatum sit temporale, quare pro eo æterna pæna sustinenda est? R. Quia qui per impænitentiam finem sibi in peccatis mortalibus non constituit, voluntatem habuit in æternum peccandi, & ideo justum est, ut, qui in animo suo æternùm peccavit, in æternum ipsius Dei judicio puniatur.

Duodecimus Locus.

Per caussas & effectus.

Ex hoc loco facilè patet, quomodo amplificatio desumenda sit, nempe effectus vel caussas rerum explicando ut si Concionator volens explicare præstantiam gratiæ, dicat eam facere Filium Dei adoptivum, Hæredem cæli, Amicum Dei. Item si volens explicare præstantiam nuptiarum quas anima cum Deo velut sponso suo celebrat, laudet eas à fine quem sibi præfixum habent tales nuptiæ, scilicet delectatione & generatione spirituali, mutuo auxilio ex consortio & familiaritate.

Praxis horum locorum.

His de locorum varietatibus suppositis, proderit videre,

quomodo in praxi iidem usurpari, & argumenta ex illis erui debeant.

Primò itaque Concionator Evangelium percurrat, quod ante concionem legendum est, vel ad alium fontem ex quo doctrinam haurire cupit, accedat, & ab initio doctrinam aliquam moralem vel plures seligat, quam Auditoribus persuadere cupit.

Secundò doctrinæ sibi propositæ subjectum & prædicatum examinet, & pro utroque vel in libris vel in notatis, vel in propria memoria quærat, quod ad probandum prædicatum de subjecto servire videbitur, idquè in Charta aliqua separata temerè & sine ordine scribat. v.g. volens probare hanc propositionem: *Beatissima Virgo est similis arcæ Noe*, quærat ab initio, quid in Sacra Scriptura de arca Noë dicatur, inveniétquè Genesis 6. dictum: *Fac tibi arcam de lignis lævigatis, & Bitumine linies intrinsecus & extrinsecus*; per quæ verba causa materialis arcæ indicatur: dein iterum dicitur: *sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo, fenestram in arca facies, ostium autem pones in latere deorsum, Cænacula & tristega facies in ea*; per quæ verba causa formalis significatur. *Ingredieris arcam tu & Filii, & ex multis animantibus universæ carnis, inducam bina in arcum, ut vivant tecum &c.* quæ verba ultrà causam finalem innuunt: *Fecit igitur Noë omnia, quæ præceperat illi Deus*; ex quibus verbis causa efficiens habetur; Post Sacram Scripturam proderit etiam Interpretem aliquem inspicere, & videre, quid de arca hac dicat, inveniétque Chaldæos & Rabinos, & cum his Sanctum Ambrosium & Augustinum tradere arcam hanc ex lignis cedri, quæ arbor alta, recta, & incorruptibilis est, fuisse confectam; his de arca Noë inventis; simili modo etiam de subjecto propositæ propositionis, scilicet de Beatissima Virgine indaget, quomodo hæ quatuor causæ Beatissimæ Virgini conveniant, quomodo & ipsa, ut cedrus exaltata sit & incorrupta, lævigata per mortificationem, *benè munita per gratiam.* Quomodo varia receptacula habeat pro Angelis, Justis, Peccatoribus; quàm longa, lata, profunda, alta sit illius misericordia; quàm meritò à Deo dicatur electa, ut homines cum ipsa vivant; quomodo sit facta à Christo, qui rectiùs, quàm Noë dicitur requies seu cessatio, inveniſſe gratiam

am coram Domino, vir justus atque perfectus, omnia feciſſe, quæ mandavit ei Dominus, conſervâſſe genus humanum &c. quæ omnia ſi per ſententias Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum,& hiſtorias confirmet copioſiſſimam inveniet materiam ſe habere pro ſcopo propoſito probando, ſcilicet Beatiſſimæ Virginis amorem eſſe ſignum prædeſtinationis.

Tertiò locos Rhetoricos percurrat tanquam fontes proprios argumentorum, qui potiſſimùm præſenti themati copioſiorem materiam ſuppeditant. Eum in finem proderit noſſe genera orationum, & qui loci cuivis generi maximè conducant; nam pro genere deliberativo (cujus partes ſunt ſuaſio & diſſuaſio, finis verò, utilitas,& detrimentum, motus ab Oratore quærendus, ſpes & reformidatio) potiſſimum ſerviunt, locus ab auctoritate, comparatione, genere, ſimili, adjunctis, antecedentibus,& conſequentibus, à cauſſis & effectibus. Pro genere exornativo (cujus partes ſunt laus & vituperatio, finis honeſtas & turpitudo, motus delectatio) conducent maximè loci ab auctoritate, conjunctis, comparatione, cauſſis & effectibus, definitione, &c. Pro genere judiciali (cujus partes ſunt Accuſatio & defenſio, finis punitio & impunitas, motus, ſævitia & clementia) ſerviunt præ cæteris loci ab auctoritate definitione, genere, contrariis, adjunctis &c. hoc tamen genus rarò adhibetur in concionibus, niſi ubi Hæretici verſantur; potiſſimum eſt genus deliberativum, imò nulla deberet eſſe Concio, quæ non aliquid de hoc adjunctum habeat.

Quartò ut ex locis his tantò faciliùs rationes & argumenta eruantur, attendere oportet ad ipſos Auditores & ipſorum modum vivendi bene perſpectum habere, ut ex illo colligi poſſit, quibusnam generibus bonorum moveatur; nam plebei homines utpote ſervili ingenio præditi bono utili maximè moventur, honeſtiores honeſtate & jucunditate flectuntur, unde illis frequenter damna & utilitates, quæ ex vitio & virtute etiam in hac vita oriuntur, proponenda, his verò laus vel dedecus ex vitio vel virtute oriri ſolita ſæpius ob oculos ponenda ſunt; atque ut compendio tota hæc doctrina tradatur, omnia argumenta in concionibus uſurpari ſolita, ferè ad hæc pauca revocantur, ad auctoritatem Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum, ſimilitudinem, comparationem

seu exemplum, adjunctum, effectum & cauſſas, uti conſideranti facilè patebit.

§. V.

De tertio officio Concionatoris, ſeu de elocutione.

SIcut, poſtquam materia pro cibis in ſua vaſa & ollas diſtributa, & collecta eſt, varia à coquo condimenta ſuperadduntur, quibus ſuavis efficiatur cibus, & gratior manducantibus; ita Concionator quoque poſt materiam primariam ſeu argumenta inventa, varia locutionis condimenta præparare, id eſt, conari debet, ut argumenta, quæ invenit, ita eloquatur, & proponat, ut non modò probet, quod probandum ſuſcepit, ſed etiam delectet, & flectat. Porrò ſicut varia à coquo condimenta pro cibis adhibentur, ita & Concionator quoque vel maximè varietatem hanc obſervare debet.

Primum autem condimentum eſt piper & alia aromata: per quæ intelligitur ſeveritas moderata in reprehenſione & caſtigatione vitiorum; hæc enim ſi debito modo adhibeatur, vel maximè ſapidam facit concionem, uti experientia teſtatur. Cavendum tamen vel maximè eſt, ne ullam unquam perſonam in particulari, præcipuè vero Principes, Magiſtratus Reipublicæ, Prælatos, aut alios Eccleſiaſticos vel Religioſos reprehendat, quia non modò nihil utilitatis, ſed plurimum potiùs detrimenti ex talibus Concionibus reportatur. Imò ob eandem cauſſam neque tunc facilè vitium reprehendendum eſt, quando pauci tantùm illi ſubjecti ſunt, ita ut ex ipſa reprehenſione facilè colligi poſſit, eos duntaxat caſtigari.

Secundum genus ſunt Saccarum vel Embammata ſeu juſcula dulciora: per quæ intelligo manſuetudinem & ſuavitatem in concione adhibendam; hæc autem in eo conſiſtit, ut Concionator potiùs ſtudeat ſuos Auditores per amorem, quàm timorem; per laudes potiùs, quàm reprehenſiones ad officium ſuum faciendum adducere, hic enim modus perſuadendi, ſi moderatè adhibeatur, Deo & hominibus gratior & efficacior eſt, quàm oppoſitus, uti Deus aliquando B. Magda-

lenæ

lenæ de Pazzis ostendit, quæ, ut Pater Nicolaus Lancicius opusculo. 1. folio 81. testatur, vidit in raptu quodam divinam majestatem valdè sibi complacere & delectari in anima Sancti Joannis Evangelistæ, & in anima Sancti Ignatii; quocirca clara voce dicebat: Spiritus Sancti Joannis & Sancti Ignatii est idem, quia totus est amare & conducere ad amandum Deum; unde ulterius vidit, quoties Filii Sancti Ignatii in terra trahebāt tali modo animas, toties renovari Deo complacentiam & delectationem, quam in anima Sancti Ignatii percipiebat.

Quod verò etiam efficacior hic modus sit, videtur ex eo colligi posse, quod Concionatoribus rigidis & mansuetis idem contingere videatur, quod de Phœbo & Aquilone vento fabulæ fingunt, dum nimirum inter se, quis fortior esset, contendentes, decreverunt, ilum pro victore habendum, qui Viatori tunc fortè in campo peregrinanti pallium citiùs esset erepturus, quod quidem Aquilo furiosis suis flatibus certò se effecturum putabat, sed contrarium obtigit, ut scilicet Viator pallium arctiùs corpori adstringeret, cùm tamen Phœbus suaviter & paulatim radios suos per pallium in corpus Viatoris transmittens haud difficulter effecerit, ut calore correptus, illud ultrò deponeret; hoc ipsum, inquam, Concionatoribus evenire frequenter experientia testatur, quâ videmus rigidos Concionatores efficere, ut Peccatores de venia obtinenda desperantes in antiquis consuetudinibus peccandi persistant potiùs, quàm emendentur, cùm tamen mansuetiores Concionatores Bonitatem & misericordiam Dei suavi quodam modo proponentes facilè obtineant, ut easdem deponant.

Tertium genus sunt varii flores & herbæ, quæ cibis inspergi & adjungi solent, & appetitum cibi non modicè proliciunt: per quas intelligo varios modos loquendi per figuras oratorias, quæ adhiberi solent, & debent in Concionibus, & apud Cyprianum Soarium lib. 3. cap. 25. ac sequentibus legi possunt; illud solùm advertere velim Concionatorem, non omnes illas assignatas species figurarum locum habere in concionibus, sed sequentes duntaxat ordinariè adhiberi. Prima est *Contentio*, quando Concionator, cum suis Auditoribus contendit quasi, ut si. g. dicat: O homo liber es, & te ser-

vum fecisti? quia nimirum facis peccatum, servus es peccati; solutus es, & vincula quæris? nunquid avis quærit laqueum, piscis hamum, mus cattum, lupus foveam, lepus canem? avis capta odit granum, propter quod capta est, & tu qui captus es à Diabolo per peccatum, non odisti peccatum, & illuc vadis, ubi vidisti plurimos cecidisse?

Secunda est *Repetitio*; ut si dicat: quis te privat regno cœlorum? peccatum. Quis te inhabilem facit? peccatum. Quis pacem cordis tibi auffert? peccatum.

Tertia est, *dubitatio*, quando scilicet Concionator simulat se dubitare de aliquo, licet non dubitet; ut si dicat: O Peccator, quid facies? si perseveraveris in peccato, punieris in inferno, privaberis Paradyso; si pœnitentiam egeris, hic eris absque gaudio, confectus dolore atque suspirio; quid facies? meliùs & securius est hic plangere & dolere, quàm in inferno.

Quarta est: *Exclamatio*; quando cum clamore vel cum indignitate & dolore fit sermo, ut si dicat: O si parietes loqui possent, quoties te hoc fecisse dicerent.

Quinta est *Inflexio*, quando gradatim in oratione proceditur, ut si dicat Dominus monet, imò jubet, imò cogit, ut redeamus.

Sexta est *Conversio*; quando Auditor modò exaltatur, modò deprimitur dicendo v.g. O quàm pulchra tibi videbare in hac veste, placuisti amico, sed displicuisti Deo.

Quartum Genus & primarium condimentorum est sal, qui, nisi plerisque cibis inspergatur, minùs hi sapiunt; per hunc intelligo discretionem & moderationem, quæ nisi in singulis orationibus adhibeatur, sperari vix potest gratam & & utilem fore concionem, ut adeò merito huc applicari possit, quod Sanctus Bernardus in alia materia dicit; *Discretio omni virtuti* (dicam ego omni Concioni) *ordinem ponit, modum tribuit, decorem & perpetuitatem confert; tolle hanc & virtus* (& Concio) *vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiúmque naturæ.* Consistit autem hæc discretio in tribus potissimum capitibus. Primò ut omnis excessus in repræhensionibus & laudibus caveatur. Secundò ut nulla pars in particulari attingatur. Tertiò ut non nimis copiosa materia una vice assumatur, aut alio

modo

modo concio ultra solitum tempus protrahatur; non enim est levis indiscretio hospiti jam saturo novos perpetuò cibos obtrudere, atque ad eos sumendos contra voluntatem adhortari & cogere.

§. VI.

De Quarto officio Concionatoris seu de dispositione.

Sicut Paterfamilias, postquam cibos sufficienter coctos & condimenta præparata advertit, diligenter attendit, ut suo quisque cibus ordine apponatnr, ita Concionatot quoque sedulo curare debet, ut aptam in concione methodum servet, nihil enim, ut Sanctus Salesius ait, Concionem magis commendant, utiliorem reddit, & Auditores facit magis benevolos; hæc autem methodus clara, perspicua, & nullo modo recondita esse debet, potéstque vel in primariis totius Concionis partibus, vel in ipsis tantùm argumentis pro confirmatione adhibendis reperiri, unde de quavis seorsim agendum.

MEMBRUM I.

De Methodo in partibus Concionis Servanda.

Hæc in eo consistit, ut suo ordine pars quævis ponatur. Prima ergo pars Concionis est *Exordium*, de quo præter ea, quæ à Soario & aliis Rhetoribus communiter traduntur, potissimùm observandum est, ut breve sit, & aptè cum reliquis partibus cohærens. Porrò quatuor sunt fontes, ex quibus exordia plerumquè ducuntur. Primus est festum aut circumstantia Festi, ut siquis in Festo v.g. Sancti Joannis dicat: mos est, ut hodie festivi ignes excitentur, idem ego hodie faciam, atque adeò in ipsorum Auditorum cordibus ignẽ festivum excitare conabor. Secundus fons est Evangelium, quod ante Concionem legitur, ex quo varia exordia fieri possunt, nempe ut vel ex ipsis doctrinis desumantur, (ut si quis dicat hodiernum Evangelium, si ullum per annum, refertum est solidissimis doctrinis, possem enim hoc & illud probare,

verùm ex omnibus doctrinis hanc eligiam, eò quod eam præ omnibus aliis necessariam & utilem vobis judicem) vel ex tempore, quo Evangelium recitatur (ut si in Dominica Quinquagesimæ dicas: si intentionem Sanctæ Matris Ecclesiæ, propter quam dictum Evangelium hodie legi voluit, considero, video illam nobis indicare voluisse, quòd hoc tempore homines maximè cæci sint, atque adeò assiduè à Deo petere debeant, ut videant; quare ut Sancta Mater obtineat finem suum, ego hodie Christum imitabor, & Auditores meos illuminare conabor, faciendo, ut fraudes, mala periculaque in quæ hoc tempore dæmon eos præcipitare conatur, videant; Tertius fons est ipsa sententia, quæ pro themate assumitur, ut si v. g. hæc sit assumpta: *Qua mulier habens drachmas decem, si perdiderit unam, nonnè totam domum everrit &c.* dicere potest Concionator, varias esse sententias, quid per drachmam intelligatur, iste hoc, ille istud intelligit, mihi eorum sententia magis placet, qui per drachmam hanc animam omnem significare volunt, hanc enim quærimus *evertendo*, & per scopas examinis vel confessionis sordes peccati ab illa separando, quare ostendam, quomodo hos scopos usurpare, & confessionem vel examen utiliter facere debeamus. Quartus fons est ipse scopus Concionis, seu doctrina persuadenda, vel materia pertractanda, ut si probaturus Beatissimam Virginem esse arcam, per quam à diluvio æternæ damnationis liberemur, dicat in exordio, Judicii extremi diem similem fore diluvio mundi, atque adeò nos meritò arcam quærere; aut si probaturus soli Deo serviendum esse, dicat: Servos omnes esse ita constitutos, ut optimum semper quærant dominum, & eligant, sed quem rarò inveniant, se verò hodie talem ostensurum; ad hos quatuor fontes plerique alii revocantur, unde qui ad eos recurrerit, haud difficulter exordium conficiet. Altera pars Concionis *narratio* est, quæ, ut benè notat Soarius, sæpè eatenus tantùm est necessaria, ut ordo rei doceatur, ut si probaturus Christum esse sponsum omnium sponsorum præstantissimum, sic finito exordio narrationem exordiaris; has potissimùm conditiones sponsa in sponso suo desiderat, videlicet, ut sit dives, nobilis, pulcher, sapiens immortalis, amans sponsæ; sed hæc in Cælesti hoc sponso præstantissimo modo reperiuntur. Porrò duplex narratio in concione

adhiberi

adhiberi potest, prima est expositio quæstionis seu ipsius rei, de qua hactenus sermo fuit; posterior est expositio rerum, quæ ad illam quæstionem pertinent, ut, si factum aliquod vel historia in ipso decursu concionis narretur; cujus quidem narrationis quatuor sunt proprietates. prima est *probabilitas*, quæ conciliatur, si loca, tempora, causæ & reliquæ circumstantiæ ordine suo est clarè exponantur, si nihil contra decorem afferatur, si, quæ dicuntur, personæ vel rebus conveniant, si nihil narretur, quod abhorreat ab hominum sensu. Secunda est *Brevitas*, quæ maximè obtinetur, si inutiles circumstantiæ resecentur. Tertia est *suavitas*, quæ comparatur, si narratio figuris illustretur, quales sunt hypothesis; Exclamatio, suspensio, admiratio, Ethopœia, interrogatio & similes; si colo[illegible]ia intermisceantur, si inopinati eventus afferantur, si breves Epilogi addantur. Quarta est *perspicuitas*, quæ obtinetur, si verba propria & usitata adhibeantur, nec perturbato ordine inter se composita.

Tertia pars est *Confirmatio*, quæ nihil aliud est, quàm oratio, in qua firmamenta causæ afferuntur, quæ propositam doctrinam confirmant; hæc pars, ut faciliùs & solidiùs à Concionatore instituatur, eo ferè modo utatur, quem Philosophi in argumento faciendo adhibere solent, nimirum propositionem aliquam faciendo, quæ tanquam scopus principalis probanda, assumatur, tum subjungat syllogismum primarium, quo eam probare instituit, examinétque, an & quæ ex duabus præmissis neganda videatur, eámque per alium syllogismum probet, donec ad talem syllogismum perveniat, cujus utraque præmissa sufficiens apparet ad conclusionem probabiliter suadendam; quo verò ordine argumenta sint collocanda, in sequenti membro dicetur.

Quarta pars *Confutatio* est, quæ duplici modo institui potest in concione; primò, ut totus concionis scopus nihil aliud sit, quàm refutatio unius vel plurium doctrinarum ab Adversario prolatarum, at hæc rara admodum esse debet, & tunc tantùm adhiberi, quando doctrina aliqua valde perniciosa in vulgus sparsa est; vel quando insolitus aliquis timor, aut vana alicujus mali imminentis persuasio populum invasit, ut factum est ante aliquot annos, quando horribiles adeò noxiásque tenebras orituras sibi persuasere homines. Se-

cundò, Refutatio quandoque tantùm partem orationis occupat, & ferè instituitur eo modo, quo Philosophi post suam sententiam confirmatam suas objectiones solvere consueverunt, & hæc frequenter satis atque utiliter in Concionibus adhibetur, maximè si ipsa objectio à Concionatore paulò fusiùs atque eo ferè modo, & cum ea exaggeratione proponatur, quo ipsos Auditores eandem propositutos existimat.

Quinta pars *Epilogus* est, qui, ut plurimùm efficaciæ habet ad movendum Auditorem, ita magnopere curandum est, ut conditiones omnes ad illum requisitæ exactè observentur; quarum Prima est, ut brevis sit Epilogus, ne inflammatus Auditor iterum refrigescat; hinc sedulò cavendum, ne in eo novæ historiæ recitentur, aut nova argumenta afferantur. Secunda est, ut cohærens sit & conformis cæteris partibus, id quod fiet, si vel explicitè vel implicitè instituatur brevis repetitio eorum, quæ dicta sunt, maximè apud eos, qui rudiores sunt, atque adeò meritò creduntur difficulter retinuisse ea, quæ per discursum concionis fuerunt proposita. Tertia est, ut sit affectuosus, id est, variis motibus instructus, quales potissimùm sunt indignatio, contristatio, gaudium, timor, spes, prout scilicet materia tulerit; multùm etiam ad hunc motum concitandum juvat, si introducatur aliqua persona alloquens Auditorem, suadénsque, aut dissuadens id, quod Concionator priùs suaserat vel dissuaserat. Item si ipse Concionator quandoque Christum vel Sanctorum aliquem alloquatur, ab iísque auxilium nomine Auditorum non sine quodam commiserationis affectu petat.

MEMBRUM II.

De methodo in Confirmatione servanda.

Cùm potissima vis, fructúsque Concionis in Confirmatione sit positus, meritò Concionator in ea maximè laborare debet, ut aptam methodum habeat, quâ & intellectus Auditoris sufficienter illustretur ad cognoscenda ea, quæ proponuntur, & efficaciter moveatur ad eadem amplectenda. Potest autem hæc methodus dupliciter considerari, scilicet vel in genere, vel in specie.

In genere methodus ista in quinque sequentibus partibus con-

consistit. Primò, ut doctrina, quam pro scopo sibi Concionator assumpsit, clarè & solidè proponatur, seu doceatur, quid sit, aut quomodo vitari aut exerceri debeat vitium aut virtus, actióve, quam persuadere vel dissuadere intendit. Secundò ut una alteráve ratione ostendatur, quare sit exercenda vel fugienda; ubi tamen notandum, Concionatorem non nimis scrupulosum esse debere in ordine argumentorum observando, ut scilicet infirmiora in medio, robustiora in fine collocet, sed potiùs ordinarium modum Concionatorum sequi posse, qui primo loco sententias Sacræ Scripturæ, secundo sententias sanctorum Patrum, & tertio tandem loco rationes naturales ab utilitate vel damno petitas ponere solent, ita tamen ut in his postremis plerumq; se diutius detineant, sententias verò sanctorum Patrum raro, & non nisi breves & enucleatas proponant; nam, ut bene advertit sanctus Salesius, qui nimis allegant prolixa, suum infirmant fervorem, & Zelum elanguescere cogunt; deinde attentionem turbant Auditoris, & periculo evidenti se exponunt obliviscendi illius, quod intenderunt. Tertiò ut uno alteróve apto exemplo ostendatur, illa commoda vel detrimenta, quæ in probatione sui scopi proposuit, jam ab aliis fuisse reportata, quæ quidem exempla, si appropriata sint, bene proponantur, & meliùs explicentur, mirè exornant Concionem, & ad gustum conducunt, teste S. Salesio. Quartò, ut, si quod impedimentum obstare videtur, per refutationem, aut mediorum, quibus removeri possit, demonstrationem tollere conetur. Quintò, ut brevi & ferventi Epilogo claudatur sermo. Atque hæc methodus, uti clarissima & facillima, ita pro plebe instruenda aptissima est, de qua memini primarium aliquem Concionatorem dixisse, eum, qui ipsum observet, certò sibi persuadere posse, quòd non utilem duntaxat, sed etiam gratam Auditoribus Concionem sit habiturus.

In specie autem, quæ methodus sit observanda, non video meliùs posse explicari, quàm si ipsa Magni Salesii verba afferam, qui quidem cap. 4. suæ instructionis sic loquitur: *Approbo, quod methodus sit clara, & perspicua, & nullo modo recondita, ut plures practicant, qui magnæ artis esse autumant, si nullus illorum methodum cognoscat; sed quid, amabo, valet methodus, si non percipiatur, & ab Auditore cognoscatur? ut tibi quoad*

quoad hæc aliquod præstem auxilium, adverto, quòd vel intendis aliquam explicare historiam v. g. Resurrectionis, Nativitatis, vel aliquem sensum Sacræ Scripturæ enucleare vel explanare totum Evangelium diurnale, pluribus refertum sententiis, vel tandem vitam & gesta alicuius Sancti una cum aliqua sententia proponere.

In primo modo variè procedere possumus; primò quidem possumus ostendere numerum hominum, qui ad historiam, quam proponere intendimus, concurrunt, & quemlibet ponderare. Exemplum sit, in resurrectione considera Mariam, Angelos, Custodes sepulchri, & amabilem Salvatorem; in Maria adverto fervorem & diligentiam, in Angelis gaudium & jubilum, & candida, splendoréque circumdata vestimenta, in Custodibus contemplor debilitatem hominum, qui contra DEVM machinantur, & contra stimulum calcitrant. In JESU obstupesco gloriam, triumphum ex morte relatum, & gaudium de spe nostræ resurrectionis. Secundò in uno mysterio descensum ad inferos, liberationem corporum, dotes corporis glorioſi &c. Tertiò in omni mysterio considerari possunt hæc tria puncta, quid, quare, quomodo. Postquam cum aliqua periphrasi historia est proposita, in illo ulterius sequentia ponderari debent, quid in ea discendum ad fidei nostræ ædificationem. Secundò quid considerandum ad spei nostræ incrementum. Tertiò quid animadvertendum ad nostræ charitatis inflammationem. Quartò quid notandum ad nostram imitationem, ut illud exequamur.

In secundo modo scilicet quando aliqua sententia explananda sumitur, ponderandum est inprimis, ad quam virtutem referatur v. g. qui se humiliat, exaltabitur; ubi humilitas clarè est expressa; quod in aliis sententiis non tam manifestè apparet, uti in hac sententia: Quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem? videre est, in qua de charitate obscurè tantùm, & implicitè sit mentio, cùm igitur virtutem in pertractanda sententia discooperuerit, ad illam poterit reducere sermonem methodicè expendens, in quonam sita sit virtus, quænam sint veræ notæ illius, qui effectus, quæ media ad illam assequendam.

Alia est methodus demonstrans, quàm hæc virtus, de qua agitur, sit honorabilis, utilis & jucunda. Præterea alio adhuc

huc modo tractari potest virtus, nempe secundùm illa, quæ præstat Bona, & secundùm illa mala, quæ infligit vitium huic virtuti, de qua est sermo, oppositum, sed prior methodus utilior existimatur.

In tertio modo, quando videlicet integrum Evangelium in Concione explicandum assumitur, notandæ inprimis sunt sententiæ illæ, quibus diutius inhærere decrevimus, & attendendum, de qua virtute tractent, tum de hac paulò fusiùs, ut de una sententia supradictum est, agendum, & per alias cum Periphrasi percurrendum. Sed hic modus tractandi pluribus refertum sententiis Evangelium minùs est utilis, tum quia non nisi per modicum tempus licet inhærere singulis sententiis, adeóque neque accuratè explicari possunt; tum quia nequit, quod intendit, Auditoribus suis inculcare.

In quarto modo, quando de alicujus Sancti vita sermo instituitur, varia potest servari methodus; nam primò in ea enarrare possumus secundùm ordinem omnes partes vitæ hujus vel illius Sancti; vel hoc, quod fecit agendo (ubi virtutes enarrandæ sunt) vel patiendo, (ubi, quid passus sit, aut quomodo se mortificaverit, explicandum) vel orando (ubi recensenda etiam miracula) vel pugnando contra mundum, carnem & superbiam &c. Secundò ostendi quandoque potest, quomodo sit DEUS honorandus in Sancto, & Sanctus in DEO: quomodo serviendum DEO ad imitationem Sancti: quomodo supplicandum DEO per Sancti sui intercessionem; & hoc modo deartuare Sancti vitam, & omnia debito loco collocare. Ita ferè S. Salesius, qui rectè addit, has methodos Tyroni sufficientes esse posse, donec post modicum exercitium alias & fortè meliores invenerit.

§. VII.

De Concionatoris officio, seu de pronuntiatione.

Sicut Paterfamilias, ubi cibum paratum esse advertit, in patinas distribui, & per fideles Ministros apponi jubet, & postea cum decore dividit, ita illud quoque Concionator observare debet, atque adeò conceptus suos in verba certa redigere, quæ memoriæ, velut fidelis ministri beneficio Auditoribus

ribus cum decore & convenienti actione distribuantur, unde tria requiruntur ad perfectam pronuntiationem.

Primò verba duplici modo spectari possunt, scilicet quoad nudum sonum, & quoad elegantiam; si priori modo spectentur, curandum est, ut vox sit *variata*, id est, modò incitata, modò demissa, modò acuta; *vivax*, id est, cum fervore & affectu prolata; *moderata*, tam quoad festinationem, quàm quoad elegantiam; nam illa facit, ut Auditores dicto inhærere non possint; hæc autem si nimia sit, Auditorum aures offendit; incipiat ergo graviter, sedatè, distinctè, & paulatim in Concionis excursu concitet vocem, ita tamen ut integra prolatio syllabarum maximè ultimarum & verborum distinctio constet; in fine tamen magis attollat vocem, & vehementiùs agat; ita solent periti Concionatores, ubi vocem altius extulerunt, tantillum interquiescere, ut Auditores clamoris impetu tacti rem clamore dignam expendant, & ne pectus, quod vocem validam explosit, è vestigio verba resumens lædatur. Si posteriori modo seu quoad elegantiam spectentur verba, conandum quidem, ut propria sint, & pura seu idiomati proprio bene conformia, neutiquam tamen extraordinariæ elegantiæ affectationem sapiant; nam, ut rectè Quinlianus ait, jacent sensus in oratione, in qua verba laudantur. Hinc Prædicator ille celeberrimus sanctus Paulus ad Corinth. cap. 2. dixit: *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritûs & virtutis consistit.* Errat proinde Concionator, si putet tunc se bonam habuisse concionem, si celeriter loquatur, insigniter clamet, & conceptibus ac verbis subtilissimis, & in Cancellariis Germanicis usitatis concionem suam referciens, clamorem & famam populi conciliet, errat, inquam, quia, ut bene sanctus Hieronymus ait, *verba voluere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem facere, indoctorum est; nihil enim tam facile est, quàm vilem plebeculam & indoctam Concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quidem, quod non intelligit, plùs miratur; docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur; lachrymæ auditorum laudes tuæ sint.* Quod ipsum etiam insigniter confirmat Zelosus ille Hispaniæ Concionator Avila, dum aulicum Concionatorem, qui propter humilem dicendi modum contemnebatur ab Auditori-

ditoribus, instituens, inter alia sic loquitur: *Et nunquid hoc unicum est, quod à vera eloquentia spectatur, ut persuadeat? sicut nimirum finis medicinæ est sanitas, sic est eloquentiæ persuadere, unde sequitur, quòd, quemadmodum nomen meretur & existimationem Medici peritissimi, qui pluribus ægris reddit sanitatem, eodem iure haberi debeat iste eloquentissimus, qui maiore efficacia quidvis persuadet, assensúmque ab Auditoribus reportat; illi autem, qui sperant hanc gloriam se consecuturos, tantúmque effecturos solo verborum apparatu, similes mihi videntur quibusdam arboribus, quæ foliis quidem ac floribus abundant, sed fructu carent; fierique ita poterit, ut aliquas quidem auribus blanditias faciant, nunquam tamen ad animos penetrabunt.* Sic ergo dicere debet Concionator ut verè de Auditoribus usurpare queat verba illa DEI Oseæ cap. 4. *ducam eum in solitudinem* (id est, templum) *& loquar ad cor eius*; non igitur audiant Auditores illa Israëlitarum verba usurpantes Isaiæ cap. 30. *Loquimini nobis placentia*; sed potiùs audiat DEVM ibidem cap. 40. monentem, *Loquimini ad cor Ierusalem, & advocate eam, quoniam completa est malitia eius.*

Secundò memoriâ quod attinet, hæc sicut famuli cibos ad mensam portantis officium subit, ita instrui, & juvari debet, ut officio hoc bene fidelitérque fungatur, & nullam ex commissis doctrinis subtrahat; juvabitur autem tribus potissimùm modis. 1. Si Concionator bonam faciat divisionem suæ Concionis, & semper eam in syllogismo quodam principali fundet; sic enim non difficile illi erit totum systema Concionis memoriâ complecti, & argumenta, quæ ad singulas probationes probandas excogitavit, ordine proponere. Secundò, si in margine varias sibi notas faciat, annotétque speciales locos, ex quibus argumenta desumpta sunt, quem in finem juvabit etiam, quando nova doctrina, probatio, aut pars inchoatur, novam lineam à capite ordiri. Tertiò, si non nimium se adstringat verbis, ita ut eo modo, quo scripsit, omnia pronuntiare velit; hæc enim adstrictio & libertatem actionis & fervorem tollit, dum scilicet Concionator totus quodammodo est in charta sua, magísque laborat, ne verbum aut sensus aliquis excidat, quàm ut Auditorem moveat; quem ipsum in finem etiam cavendum est, nec ut supra jam monui, prolixæ nimis sententiæ Sacræ Scripturæ, aut

sancto-

sanctorum Patrum citentur, nam eadem ex his citationibus incommoda sequuntur.

Hæc media juvandi memoriam, ut bene notat sanctus Franciscus Borgia cap. 4. de ratione concionandi multò efficaciora sunt, & faciliora, quàm ea, quæ ab aliquibus vel per medicinas, vel per mirabiles locorum imaginationes, quibus puncta suæ Concionis adstringunt, adhiberi consueverunt.

Tertiò quid circa actiones & gestus observandum sit, malo iterum sapientissimi Salesii, quàm meis verbis explicare; sic ergo ille ait cap. 5. suæ institutionis, ubi de forma seu modo Concionis loquitur: *Mi Domine, hîc auctoritatis plùs requiro, quàm alibi, cùm non sim communis opinionis, hoc tamen quod dicam, est ipsamet veritas, forma, aut Philosophus est, quæ dat esse & animam rebus. Dic admiranda, sin benedixeris, nihil est; dic pauca, si bene, multùm est. Quomodo ergo dicendum est? cavere debemus multa quamquam, longas vitare periodos, non affectare gestus, actiones, & motus, illa enim sunt pestis Concionis. Gestus sint liberi, nobiles, generosi, innati, fortes, sancti graves, paululùm tardi, sed ut quis assequatur tales, quid amabo, requiritur? Verbo, loqui ex affectu, & devotione, excellenter traditum esse doctrinâ, quam dicendo conatur persuadere; præcipuum artificium est artificio carere; oportet, ut verba nostra sint inflammata, non clamoribus & immoderatis gesticulationibus, sed suavi interna affectione; oportet, ut magis procedant ex corde, quàm ore; nam cor ad cor loquitur, lingua verò solùm profert verba auribus: dixi quòd Gestus debeant esse liberi, ut improbem gestus quosdam affectatos & coactos, pedibúsque & nescio quibus mensuris ligatos; dixi ut sint* nobiles, *ut reiiciam gestus quosdam quorundam rusticos, qui solent pugnis, pedibus, stomacho percutere cathedram, clamare, mirandúmque boare, & sapius extra propositum. dixi* generosos, *ut arguam eos, qui formidolosos præseferunt gestus, quasi non loquerentur Discipulis & Pueris, sed suos venerentur Magistros: dixi* innatos *seu* naturales, *ut excludam omnem artem & affectionem. Dixi* fortes: *ut improbem gestus quosdam quasi mortuos, languidos & omni privatos efficacia.* Dixi *sanctos; ut vitentur venusti, aulici & politici gestus. Dixi* graves, *ut abstineatur ànimis multis complementis, & reverentiis, quibus quidam suis blan-*

blandiuntur Auditoribus, sicut & à quibusdam manuum agitationibus, similibúsque motibus indecentibus. Dixi parùm tardi: *ut quis sibi temperet à gestibus quibusdam abbreviatis & collectis, qui magis occupant oculos, quàm animum movent.* Ita Salesius, quibus addi potest, quod alii etiam circa dispositionem corporis observandum putant, dum hortantur, ut status sit erectus & celsus, non moveatur corpus modò ad hoc, modò ad illud latus, sed in medio plerumque quietum teneatur, vultúsque sit graviter lætus, & mansuetudinem præseferat, nisi Circumstantiæ variationem requirant: Brachia ab initio per aliquod tempus quieta teneantur, tum dextra pro rei necessitate moveatur; sinistra tamen nunquam sola movenda est, nisi cùm aliquid contemnitur; utraque manus movenda est, cùm affectus incalescunt.

§. VIII.

De sexto officio Concionatoris, seu bono exemplo.

Sicut Paterfamilias in mensa ita suis Convictoribus cibos dividit, ut sibi etiam aliquam bonam partem de iisdem retineat, idque duplici fine facit. Primò, ne, si Convictores videant, ipsummet non gustare cibos oppositos, suspicentur, eos bonos non esse, atque adeò ipsi etiam abstineant. Secundò, ut ordinatam erga se ipsum charitatem exerceat, atque adeò propriam etiam vitam & corpus conserver & augeat; ita ob eosdem etiam fines Concionator, vel maximè studere debet, ut doctrinam, quam aliis persuadere cupit, priùs ipse practicando degustet, sicque exemplum Servatoris sui sequatur, qui cæpit facere & docere, ut Evangelium testatur.

Primò ergo bonæ vitæ exemplo prælucere debet propter propriam salutem; quid enim proderit illi, si alios lucretur, & seipsum perdat? an non similis erit candelæ aliis lucenti, & seipsam consumenti? columnis lapideis, quæ viatoribus viam ad patriam ostendunt, quam ipsæ nunquam ambulant? an non talibus aliquando dæmones cum ludibrio objicient illa ad Christum à Judæis prolata verba; *alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere*? nimirum non frustra Christus dixit Apostolis & Concionatoribus; *vos estis lux mundi*: indicare

dicare nempe voluit, ita illos illuminare debere alios, & calefacere, ut ipsi de sua luce & calore nihil amittant; hinc cùm ipso aliquando prædicante exurgens mulier diceret: *Beatus venter, qui te portavit; mox eam correxit, dicens; quin imò Beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud*, quasi diceret, non ideo Concionatorem esse Beatum, quia benedicit, sed quia quæ benedixit, bene vivendo efficaciter confirmavit, meruítque Epitaphium illud suo sepulchro inscribi, quod quidam Concionator omnibus Sacerdotibus commune esse voluit.

Siste gradum Viator,
Christianus Gottlieb *hîc jacet:*
Qui vixit, ut dixit;
obiit, ut vixit;
vivit, ut obiit,
id est,
In & cum Domino.
Aspice, & fac secundùm Exemplar, quod tibi ab eo monstratum est.

Alioqui meritò timere potest, ne in illo verificetur illa tremenda vox sancti Chrysostomi in cap. 23. Math. *Bene docendo, & malè vivendo instruis DEVM, quomodo te debeat condemnare.*

Secundò etiam propter Auditorum salutem studere debet bonæ vitæ & exemplo; nam, ut rectè sanctus Laurentius Justinianus de Concionatore loquens ait: *dabis voci tuæ vocem virtutis, si, quod suades, priùs tibi persuasisse cognoscaris; validior operis vox est, quàm oris, fac, ut loqueris.* Hinc DEUS Israëlem salvaturus præcepit, ut Milites Gedeonis non tubâ tantùm, sed etiam lucernâ instructi essent, indicare scilicet volens, non sufficere doctrinam, nisi etiam vitæ exemplum jungatur, id quod eleganter sanctus Paulus ad Corinth. 13. significavit dicens: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans & cymbalum tinniens*, quod solo videlicet sono alios ad pietatem vel alios affectus excitat, ipsum autem nihil de his participat; imò tales plerumque in aliis quoque exiguum fructum

ctum faciunt; quomodo enim sperare potest, se aliis sobrietatem, castitatem, liberalitatem persuasurum, qui quotidie hospitia frequentat, concubinam habet, & sordidè pecunias corradit. *Delicatus Magister est*, inquit S. Hieronymus, *qui pleno ventre de ieiunio disputat; accusare avaritiam & Latro potest, Sacerdotis Christi, os, mens, manúsque concordent.* Atque utinam tantùm non prodessent, & non graviter etiam nocerent Auditoribus. Certè sanctus Gregorius lib. 10. moralium cap. 1. non dubitat, tales Mulieri, quæ Filium vigilans nutriebat, & dormiendo oppressit, comparare; ita namque & Prædicator malus doctrinas educat, & moribus occidit, unde meritò S. Augustinus in Epistola quâdam, similem Concionatorem sic alloquitur: *Exaudi te ipsum, immanissime Doctor, quid mihi lingua aurea, & cor ferreum? Sanctus Ioannes Baptista non lucens tantùm, sed ardens erat lucerna*, quia ut bene sanctus Bernardus advertit, *est vanum, lucere tantùm, tantùm ardere parùm, ardere & lucere perfectum*, ut adeò meritò sibi quisque Concionator illa sancti Pauli ad Timoth. 2. verba applicare debeat: *sollicitè cura te ipsum, probabilem exhibere DEO, Operarium inconfusibilem, rectè tractantem Verbum DEI*, & iterum cap. 2. ad Titum: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum & irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*

§. IX.

Monita quædam generalia Concionatori observanda.

PRimò ante omnia illam Servatoris sententiam sibi ob oculos ponat: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ* Matth. 10. nam utraque hæc doctrina insignes illi & perutiles ad suum officium rectè administrandum doctrinas subministrabit; & prudentia quidem serpentina docebit, caput seu finem Concionatori summo semper studio esse defendendum, qui est pascere Auditores cibo Verbi DEI, atque adeò omnem laborem & industriam in concionibus adhiberi solitum huc unicè esse dirigendum; Columbina verò

simplicitas docebit illum, puram intentionem ad DEUM habere; unde duplicem consequetur fructum, prior est, ut, quia per bonam hanc intentionem manet in DEO, fructum ferat multum, quemadmodum ipse Christus promisit. Posterior est, ut non deficiat, si suas conciones minùs acceptas populo, aut paucos humilésque Auditores se habere advertat, cùm DEUM semper pro Spectatore habeat, cujus unius judicium pluris est faciendum, quàm si omnes etiam possibiles Angeli & Homines adessent; hinc meliori jure illud Democriti usurpare potest: Unus mihi pro populo, & populus pro uno; aut illud Epicuri: hæc Ego non multis, sed tibi; satis nimirum magnum theatrum alter alteri sumus.

Secundò, diligenter quoque observet monitum, quod offert S. Salesius cap. 5. his verbis: *Dantur quædam Benevolentiam captandi formæ, quibus oppositè utaris in principio, dum populum alloqueris; Suadeo, ut ipsi manifestetur illud, quo erga ipsius salutem ferimur desiderium, sed hoc cordialiter, breviter, concinnè, sine verbis comptis. Maiores nostri, & quotquot fecêre aliquem fructum, sese ab omnibus politicorum verborum lenociniis continuerunt, corde ad cor, spiritu ad spiritum, uti Genitores Gnatis sunt locuti*; ita videmus, sanctum Paulum in suis Epistolis fecisse, præcipuè Thess. cap. 2. dum ait: *facti sumus parvuli in medio vestrûm, tanquam si Nutrix foveat Filios suos, ita desiderantes vos cupidè, ut vellemus tradere vobis non solùm Evangelium DEI, sed etiam animas nostras, quoniam Charissimi nobis facti estis.* Et iterum 2. Corinth. 6. *Os nostrum patet ad vos, O Corinthii, cor nostrum dilatatum est, non angustia mini in nobis.*

Tertiò non facilè cæremonias & gestus singulares, aut spectacula in subselliis populo exhibeat, quia licet talibus spectaculis interdum populus ad fletum moveatur, tamen strepitus iste paulò pòst deficit, ac in fabellæ argumentum vertitur; satis est communi probatóque more duci, & spem victoriæ non in spectaculis & tumultibus, sed in DEI Spiritu & doctrinis Christi veritate nitentibus ponere.

Quartò quando de justitia divina concionari decreverit, ita id faciat, ut in fine pro consolatione aliquid de misericordia subjungat, ne desperationem ingerat Auditoribus; vicissim ne præsumptionem generet, nunquam facilè de misericordia

cordia concionetur, quin de ejusdem justitia pro timore conservando aliquid subjungat; nam timor & spes in Auditoribus sunt duo molares dentes, quorum uterque necessarius est ad optatum fructum spiritualem ex Verbo DEI referendum, verbique divini cibum masticandum.

Quintò sæpe consulat actionis hujus peritos, ut, quod deformiter agit, eorum consilio corrigat, sed & Concionatores insignes, ubi occasio dat, audiat, eorúmque pronuntiationem, gestus & similia, quæ ad artificium oratorum pertinent, sedulò observet, ita tamen, ut prudenter cautelam in imitatione adhibeat, &, quidquid aliis decorum est, non statim sibi adsciscat; sunt enim gestus nonnulli fortuiti, quos uni venustos, aliis indecoros esse compertum est; certè rarò admodum feliciter cedit, siquis insignem Concionatorem per omnia capita velit æmulari; ingenia namque diversa nequeunt in omnibus mutuò inter se congruere; optimè facit, qui ex multorum, quos audit, varia observatione unam sibi boni Concionatoris formam componit, eámque sedulò in se exprimere studet. Illud verò hoc in negotio nonnemo prudenter monet, perquam rarò, aut ferè nunquam Concionatorem reperiri, qui pronuntiando vel agendo non peccet, atque adeò optimum in hoc genere censendum, qui omnium levissimè peccat; quare non est, cur doleat Concionator, si in hac parte non inculpatissimè se agere advertat, modò deformitatem cavere studeat; neque verò Auditores minùs proficient, quòd aliquem brachii manúsque motum non adeò arti convenientem aspiciant.

Sextò rumoribus populi non facilè moveri se sinat, ut nova & parùm confirmata in publicum afferat, vix enim dici potest, quantùm auctoritas Concionatoris minuatur, si falsas ejusmodi rumores ipse parùm circumspectè sparsisse comperiatur; quam eandem ob caussam etiam sedulò cavebit, ne, quæ aut dubia sunt, aut incerta, Populo proponat, aut etiam quantumvis certa, imperitè explicet; potiùs abstineat à similibus Quæstionibus, cùm magis fructuosæ materiæ non desint; neque propterea se sufficientem ad conciones habendas non esse existimet; Seraphicus ille Franciscus non subtilia & magna doctus erat, subtilis verò & magnus Concionator erat, sicut & nostro sæculo Beatus & eminentissimus Carolus

Borromæus ; Quia ut bene sanctus Salesius cap. 1. ait, *ad Concionatorem Doctrina sufficit sufficiens, nulla nisi mediâ Scientiâ praditus mirabilia nihilominus operabitur. Volo sufficienti eruditione excultum esse Concionatorem. Optimus dicendi Magister est, qui non vult apparere, plùs scire, quàm sciat.*

Septimò certò sibi persuadeat, non parùm referre, quâ dispositione non corporis duntaxat, sed animi etiam ad concionem accedat. Hinc S. Salesius cap. 1. prudenter suadet, ut nunquam Concionator ad concionem accedat, nisi post oblatum sacrosanctum & incruentum Missæ Sacrificium, aut certè nisi intentionem celebrandi habeat ; vix enim credibile est, ait S. Chrysostomus, qualem os & lingua, quæ corpore & sanguine Christi maduerunt, dæmonibus incutiant terrorem ; tum nimirum cum sancto Paulo dicere potest, Concionator : *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus*, majorique confidentia fervore & lumine scatet : *quamdiu sum in mundo*, ait Salvator, *lux sum mundi* ; unde constat, si realiter in Concionatore inhabitet, suos radios abunde communicaturum, ut in Discipulis in Emaus euntibus apparuit, quorum post communionem & non ante sanabatur Ophtalmia, & aperiebantur oculi ad videndum. Prædicare quoque decet eum confessum, ne à Davide arguatur dicente: *Peccatori dixit DEVS, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum* ? Juvat etiam exemplo celeberrimorum Concionatorum corporalem pœnitentiam præmittere, ut cum Divo Apostolo dicere queat : *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne, cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.*

PARS

PARS II.

DE PRAXI HABENDARUM CONCIONUM.

Proœmium.

QUod olim Seneca de neceſſitate exempli in genere dixit, nimirum longum eſſe iter per verba, breve & efficax per exempla, hoc meritò etiam in præſenti noſtra materia uſurpari poteſt, fruſtra nempe præcepta pro arte concionatoria addiſcenda agglomerari, niſi ſimul etiam in quibuſdam exemplis oſtendatur, quomodo talia præcepta applicari debeant; certè quotidiana experientia docet, nunquam artes facilius, perfectiúſque addiſci, quàm per Magiſtrorum exempla, quia hæc, ut in alio genere ſanctus Gregorius dixit, *quod loquendo imperant, oſtendendo adjuvant, ut fiat*; quare cùm primarius hujus Inſtructionis ſcopus ſit, non præcepta tantùm ad artem Concionatoriam pertinentia tradere, ſed media etiam ad eandem facile addiſcendam ſuggerere, non videbantur fraudandi Tirones, præcipuo hoc exemplorum practicorum ſubſidio. Quare inprimis in genere breviter explicabo, quæ circa conciones actu habendas ſint obſervanda; deinde formatas aliquas Conciones offeram, ex quibus haud difficulter, ut ſpero, Tirones addiſcere poſſint, quomodo præcepta hactenus tradita in ipſa praxi applicare, atque adeò ad perſuadendum Auditorem appoſitè dicere debeant.

Caput I.

Quid in genere circa praxin habendarum concionum observandum sit?

BReviter ajo sequentia observanda. Primò si concio coram Episcopo habenda sit, antequam ascendat Cathedram, ad locum, ubi Episcopus sedet, accedat, ibique inprimis genu flexo manum osculetur, tum Benedictionem petens dicat: *Iube Domine benedicere*; quâ acceptâ reverentiam convenientem iterum eidem faciens ad Cathedram pergat. Ita Cæremoniale Episcoporum l. 1. cap. 22.

Secundò dum ad Cathedram vadit, modestè & graviter procedat; neque facile hinc inde circumspiciat. Ubi Cathedram ascenderit, per modicum tempus quietus consistat, cooperto capite (ut vult dictum Cæremoniale Episcoporum) usque dum Populus ad quietem ac silentium se composuerit; tum detecto capite, signo crucis majori se signans, clarâque voce dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen: thema clarè itidem & tardè pronuntiet; aliqui etiam hîc locum, ex quo thema depromptum est, citant, sed non video necessitatem, cùm paulò pòst ante recitationem Evangelii eandem indicaturus sit.

Tertiò post thema pronuntiatum, formulam proœmialem subjungat, quæ quidem varia à variis adhiberi solet, Rituale Augustanum hanc præscribit: **Die Gnad GOttes deß Allmächtigen / die reichliche Verdienst unsers Heilands und Seligmachers JEsu Christi** (vel si Natalitia Christi celebrentur) **die gnadenreiche Geburt unsers Heilands** (vel in Quadragesima) **das bittere Leiden und Sterben unsers Heilands / die Erleuchtung deß heiligen Geists seye mit uns allen / welche solches von grund ihres Hertzens begehren / die sprechen das einige Wörtlein** Amen.

Communis praxis sequentem formulam observat, **der Allmächtige gütige und barmhertzige GOtt verleyhe uns allhie sein Gnad / und nach disem zergänglichen Leben die ewige Freud und Seligkeit. Amen.**

Quartò

Quarto hâc formulâ absoluta dicit: **die Wort/so ich Euer Lieb und Andacht in Latein hab vorgetragen/ hab ich genommen auß dem heutigen Sonntäglichen** (vel si est festum alicujus Sancti) **feyrtäglichem Evangelio/ und lauten auff unsere teutsche Sprach also/** &c. Aliqui post illud verbum *Evangelio* hæc verba: **Welches uns beschreibt/** &c. Sed non video hujus necessitatem, cùm paulò pòst ante ipsum Evangelium, & commodius longè sint pronuntianda. Postea pergat: **von diesen und dergleichen Worten etwas weiters mit euer Lieb und Andacht zur grösseren Ehr Gottes und unserm Heyl zu handlen/ wollen wir zuvor begehren die Gnad deß Heiligen Geists/mit einem andächtigen Vatter Vnser und Englischen Gruß.** Si ante concionem cantio germanica, ut alicubi fit, post thema & communem formulam pronuntiatam a Musicis conatur, tunc post illud verbum, **zuvor**/addat: **Nach vollendtem gewönlichem Kirchen-Gesang begehren/** &c.

Quintò finita cautione flectat genua, & gratiam Spiritus Sancti pro se & Auditoribus suis ardenter imploret, tum surgat & dicat: **Nun stehet auff und bezeichenet euch mit dem Zeichen deß Heiligen Creutz/ und sprechet mit Andacht: Im Nahmen GOtt deß Vatters/deß Sohns/ und des Heiligen Geistes Amen.** (Quod dum dicit, etiam ipse signum crucis pollice in fronte, ore & pectore tardè & reverenter facit) **und vernimmt die Wort deß heutigen heiligen Evangelii/ welches uns beschreibt der heilige Evangelist und Cantzler Christi Lucas am 12. Cap. mit folgenden Worten.** Post hæc dicta tardè & distinctè Evangelium recitet, eóque finito dicat, **so viel seynd Wort deß heutigen heiligen Evangelii/ durch deren Krafft und Macht verzeyhe uns Gott alle unsere Sünd und Missethaten/ Amen.**

Sextò sub ipso contextu Concionis, si nomen JESU & MARIÆ, aut Sancti, de quo officium celebratur, proferat, ad publicam ædificationem pertinet, ut & ipse caput aperiat; ne tamen frequenter nimis repetere necesse sit ejusmodi reverentiam, caveat, quantùm fieri potest, à frequentiori pronuntiatione similium nominum, illud tamen omnino non negligat, ut, si proferenda sunt ejusmodi Sanctorum nomina, ea non nudè proferat, sed Sancti, vel alio ejusmodi Epitetho addito.

Septimò concione finita si quid promulgandum sit, clarè & distinctè, prout consuetudo loci exigit, promulget; quod si pro ægris aut defunctis preces sint petendæ, tum ultima promulgatione facta dicat: **für dieſe und alle andere / ſo unſers Gebeths bedürfftig ſeynd / betet mit mir ein andächtiges Vatter Vnſer und Engliſchen Gruß.** Quo recitato surgat, & siquidem orario pro communibus necessitatibus dicenda sit, præmittat priùs hæc aut similia verba: **Weil wir alſo in dem Herren verſamlet ſeynd / ſo laſſet uns abſonderlich beten für das Anligen der gantzen Chriſtenheit / ſprechet derhalben mit mir nachfolgendes Gebeth.** Finita hac oratione pergat ulterius & dicat: **Damit aber unſer Gebet dem Allmächtigen Gott deſto angenehmer ſeye / ſo bezeichnet euch mit dem Zeichen deß Heiligen Creutz / und ſprechet mir nach die offne Schuld /** postea subjungat orationem: Misereatur &c. Indulgentiã &c. simulque super Populum crucem faciens graviter & modestè de cathedra descendat.

Caput II.

DE PRAXI DOMINICALES CONCIONES HABENDI.

Exemplar Primum.

In quo ostenditur, quomodo una doctrina Auditoribus persuaderi debeat.

Thema.

Miseremini mei miseremini mei saltem vos amici mei. Job. 19.

Scopus.

Ostendendum, quare & quomodo animabus purgatorii succurrere debeamus.

Syllogismus principalis.

Illud opus magna cũ alacritate suscipiendũ est, ad quod supra & infra, extra & intra motiva vehementer impellentia reperimus; Atqui tale opus est misericordia, quæ animabus purgatorii præstatur; Ergo hæc misericordia cum magna alacritate iisdem animabus est exhibenda.

EXOR-

EXORDIUM.

Ex scopo concionis deductum.

Si hodiè optare mihi liceret, quidquid lubet, præ reliquis optarem, ut, sicut olim Sanctus Hieronymus illam vocem: *surgite mortui, venite ad iudicium*: perpetuò in auribus sonantem habuit, ita meis Auditoribus vox illa lamentabilis pro themate citata nunquam ex animo excideret; vix enim quidquam reperio ad quod tantopere nos undique impelli video, quàm ad misericordiam animabus purgantibus præstandam, ita, ut quod pius ille scriptor l. 2. de imitatione Christi cap. 12. de cruce dixit, hoc potiori jure de hac misericordia dici posse judicem, videlicet converte te supra, converte te infra, converte te extra, converte te intra, & ubique motiva perquam efficacia invenies, quæ ad dictam misericordiam te impellant quare ut & vos, perdilecti Auditores, obligationi vestræ hac in parte satisfaciatis, hæc ipsa motiva vobis in præsenti concione paulò fusiùs explicabo, simúlque modum ostendam, quomodo talem misericordiam non minori vestro, quàm illorum commodo atque solatio exhibere possitis spero itaque, vos tantò majori attentione ea, quæ dicturus sum excepturos, quantò majorem utilitatem sperare poteritis, si ea non retinere duntaxat in memoria, sed etiam in effectum deducere studueritis.

Pars prima Confirmationis.

Atque ut à motivis, quæ supra nos, id est, in cælis invenimus incipiam, quod, quæso, efficacius motivum afferri potest, quàm si dicam per misericordiam animabus purgantibus præstitam toti Sacro Sanctæ Trinitati, & universis cælitibus summum Beneplacitum gaudiúmque creari? quis enim dubitare prudenter poterit summam complacentiam & voluptatem concepturum Patrem cælestem, si filios suos tantopere dilectos ex tam crudeli supplicio liberare studebitis? quis dubitet, gratissimam fore Filio velut Pastori optimo, si oves illius tam caro pretiosissimi sanguinis pretio redemptas, ex horrendis illis flammis eripere conabimini? certè jam olim Sanctæ Gertrudi revelavit, tam acceptum esse sibi conatum istum,

istum, ac si ipsum quis ex iisdem flammis eripuisset? quis dubitet, & Spiritui Sancto summè beneplaciturum, si animas illas velut sponsas illius charissimas, ex tam molesto purgatorii exilio in cælestem thalamum introducere satagetis? hàc certè de caussa toties nos per Prophetas ad misericordiam excitavit. Hinc per Micheam cap 6. dixit: *Indicabo tibi, o homo, quid sit Bonum, & quid Dominus requirat à tè, utique facere iudicium & misericordiam.* Hinc per Salamonem manifestavit, facere misericordiam gratius esse Domino, quàm Victimam; si ergo olim tantoperè in Sacrificiis sibi complacuit Deus, & si misericordia quævis præstantior est & gratior illis Sacrificiis, quis negabit gratissimam fore misericordiam animabus purgantibus præstitam, ut quæ à summa miseria liberatis summam felicitatem procurat, & personis summè indigentibus sanctissimisque confertur, atque adeò inter omnia genera misericordiæ perfectissimum censetur.

Sed neque dubitari potest, quin Beatissimæ Mariæ Virgini gratissimum obsequium per hanc misericordiam præstetur, quid enim gratius ei esse poterit, quàm si eam velut Matrem misericordiæ in hoc potissimum genere sollicitè æmulari studeamus? certè quòd misericordiam suam singulariter animabus purgantibus illa impendat, non una tantum ex revelatione accepimus; nam inprimis Hieronymo Caravallæ Societatis Jesu Sacerdoti; cùm propter purgatorium subeundum anxius esset, apertè dixit, ne ita angaris, nam ego non tantùm sum Advocata peccatorum in hac vita existentium, sed etiam eorum, qui in purgatorio detinentur.

Sed & Sanctæ Brigittæ olim dixit, ut refertur in l. 4. revelationum cap. 138. nullam esse pœnam in purgatorio, quæ non propter ipsam remissior fiat, & levior ad ferendum, ac aliàs esset, imò, ut Dyonisius Carthusianus testatur paragrapho secundo de assumptione, semper in pervigilio Nativitatis & resurrectionis Christi in purgatorium descendit (addunt alii etiam Assumptionis) & ingentem animarum numerum educit; neque contenta, ut ipsa misereatur, etiam Famulos sibi specialiter dilectos ad eam misericordiam hortatur, sic enim Joannem Ximenum Coadjutorem Societatis JESU, ut memor esset animarum in purgatorio existentium hortata est; sic & Patri Alphonso Corteso ex eadem Societate dixit:

si ex Angustiis conscientiæ, quas pateris, liberari cupis, animabus purgantibus priùs subvenire stude. Dubitari ergò non debet, quin & Beatissimæ Virgini sit acceptissima misericordia animabus præstita.

Non verò minùs grata est reliquis Cælitibus, cùm enim ex una parte ardentissimè desiderent, ut Deus, à quo tantam felicitatem acceperunt, à quàm plurimis perfectissimè cum illis laudetur: ex altera verò parte intensissima Charitate omnes homines in via adhuc constitutos amplectantur, atquè adeò nihil magis optent, quàm ut illius Beatitudinis, quâ ipsi modo fruuntur cum summa voluptate, etiam illi fiant participes, an quidquam illis gratiùs præstari posse putabimus, quàm si plurimas animas ex purgatorio in cælum ad augendam Dei & Sanctorum gloriam accidentalem transferre studebimus? atque hæc videlicet causa est, cur non pauci Christiani, quando beatos cælites, aut in ipsorum festo, aut alio tempore speciali cultu venerari, sibiquè demereri desiderant, ante omnia satagant, unam alterámve animam per suas orationes, aliaquè pia opera ex purgatorio liberare, ut hæ illorum loco Deum & Sanctos perfectiùs laudent & benedicant, próque ipsorum salute Deum efficaciter deprecentur. Atque ex his modo satis patet, quàm efficacia motiva supra nos habeamus, ad misericordiam defunctis liberaliter præstandam.

Jam verò si nos infra nos, nempe ad ipsas animas purgantes convertamus, tot profectò iterum motiva ad eandem misericordiam exhibendam reperiemus, quot titulos in illis deprehendimus, propter quos aliquam ad nos relationem habere possunt; nam si eas ut membra istius corporis mystici consideremus juxta illud Sancti Pauli ad Rom. 12. *multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra*; quis non insignem sibi ad commiserationem stimulum addi sentiet? si enim eodem Apostolo teste ad Cor. 12. *Dum patitur unum membrum, mox compatiuntur omnia*; si quotidiana experientia testatur, manus nostras, si fortè scintilla in pedem vel caput incidit, mox succurrere, & totis viribus eam scintillam repellere, quí fieri poterit, ut animas illas velut commembra nostra tam crudeli incendio correptas credamus, & non mox ad idem repellendum totis viribus concitemur? Quòd si verò jam eas, ut Fratres nostros, aspicimus, non carnales,

nales, sed Spirituales, ex eodem Christi Sanguine, ab eadem Matre Ecclesia, & ab eodem Patre Christo prognatos, quis non videt, quàm efficax iterum motivum offeratur ad eas ex sua captivitate liberandas? quis enim non frequenter advertit, si fortè frater aut soror in carcerem à Judice conjiciatur, quanta mox commiseratio in Fratribus & Sororibus oriatur? quàm celeriter varia media ad illius liberationem adhibeantur? quàm nulli labori, precibus, sumptibúsque parcatur, ut captivus liberetur; an non ergo captivis animabus similem Charitatem tantò abundantiùs, alacriúsquè præstabimus, quantò præstantior meritò Spiritualis fraternitas quam corporalis censetur? Quòd si denique easdem animas ut pulcherrimas Dei imagines & creaturas post Angelos præstantissimas intueamur, simulquè ponderemus, quàm graves sint pœnæ, quibus subjectæ sunt, ita ut, teste Sancto Thoma, aliisque Patribus, minima illarum omnem hujus vitæ cruciatum longè excedat, quis adeo obduratum pectus habebit? ut ex tanta consideratione illud non emolliri sentiat ad opem tam afflictis animabus ferendam? hujus certè motivi consideratione adeò raptus est Sanctus Doctor Augustinus, ut gravissimæ inhumanitatis damnaverit eos, qui animabus purgantibus non succurrere studerent; *Clamat*, inquit, ad fratres in Eremo, *clamat porcus, & cum eo clamare ceteri non cessant: Cadit asinus, & omnes eum sublevare festinant, sed clamat inter tormenta fidelis, & non est, qui respondeat. Ecce vestra inhumanitas!* Væ tamen talibus, quia, *qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur*, ut Salamon proverb. 2. prædixit: Veniet profectò tempus, quo cum Fratribus Josephi Geneseos 42. dicent: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in Fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus, idcirco: venit super nos ista tribulatio.*

Sed pergamus, & motiva, quæ extra nos sunt, etiam ponderemus, quæ quidem sunt tam multa, quot pericula, hostesquè, sive corporales, sive spirituales numeramus; quis autem est, qui non ab innumeris se circumsessum agnoscit, ac gemit? an non ergo potenti & fido exercitu, à quo contra tot hostes defendamur, indigebimus? indigemus profectò, sed hunc vix faciliùs, quàm per misericordiam animabus præsti-

tam

tam conscribemus; si enim jam olim Alphonsus Rex Arragoniæ propria manu pauperibus Eleemosynam distribuit, dicens, eos optimos corporis sui custodes esse, ac proinde, decere, ut propria manu stipendium illis porrigat, quantò magis hoc quisque de animabus purgantibus sentire & sperare poterit, ut quæ potentiâ & gratitudine pauperes nostros tantopere excedunt, & verò etiam tanta gratitudinis ac fidelitatis specimina ediderunt; Memorabile certè est, quod Martinus Roa in libello de auxilio illis animabus præstando cap. 21. de se ipso fatetur, nempe se in multis periculis terrâ, marique, inter silvas & latrones, super saxa & nivibus repletas rupes extitisse, & tamen per Dei auxilium & animarum patrocinium citiùs, quàm ea adverteret, ex iis se liberatum fuisse. Possem etiam in confirmationem hujus rei decantatam illam de Eusebio Sardiniæ Duce historiam narrare, cui contra Ducem Siciliæ Ostorgium, 40000. animarum in specie candidi exercitûs subsidio venerunt, plenámque de hoste Victoriam obtinuerunt: possem item narrare, quomodo eum qui, quoties cæmeterium transibat: orationem dominicam pro defunctis orare consueverat, arreptis ligonibus, aliisquè similibus instrumentis defenderint; sed quia & has, & alias plures similes historias passim notas esse suppono, fusiori earum narratione lubens abstineo, & id unum ex illis concludo: si eos, qui tam modicam misericordiam illis exhibuerunt, tam fideliter ac potenter defenderunt, quantò fideliùs, potentiúsquè defensuræ sint illos, qui tam liberaliter illis misericordiæ stipendium offerre studuerint? ut adeò meritò tales tam potenti præsidio freti illa sibi Ecclesiæ verba applicare possint, libr. 4. Regum cap. 4. *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis*; vel certè illud Sancti Bernardi in psalm. 90. *Quid sub tantis custodibus timeamus? potentes sunt, fideles sunt, prudentes sunt, quid trepidamus? tantùm sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cœli commorabimur*, Patet ergo & extra nos non levia nobis motiva misericordiam hanc persuadere.

Verùm majora longè præstantissimáque reperiemus, si nos intra eos convertamus; quid enim magis in votis esse potest, quàm ut omne id, quod à Deo petierimus, efficaciter impetremus? atqui hoc ipsum misericordia animabus præstita

stlta efficiet; illa namque est, quæ, ut Sanctus Chrisostomus homil.9.supra Matthæum loquitur: *amica Dei existit, & ei semper propinqua est, & quibuscunque voluerit, munus gratiæ impetrat; huic cum multa fiducia porta cæli aperiuntur, & semper ante solium regale consistit.* Desideratis ergo copiosam in temporalibus benedictionem à Deo obtinere? misericordiam animabus exhibete; *qui* enim *pronus est ad misericordiam, benedicetur*, teste Salamone proverb.12.Uti jam olim Erdicio Romano Senatori, quia famis tempore quàm plurimos pauperes aluerat, eósquè cessante famis calamitate curribus in patriam revehi curaverat, vox cælo delapsa dixit: *Erdici, quia me in pauperibus aluisti, ex hoc tibi & semini tuo panis non deficiet in æternum*; quantò magis similem gratiam sperare poterunt, qui animas pane angelico, & Sanguine Christi refectos per manus eorundem Angelorum deportari in cælestem patriam suis sumptibus seù operibus curârunt? Sed quid ista minora commemoro? quis ex vobis non ardentissimè desiderat æternam felicitatem consequi, atque adeò beata morte, quæ est ad dictam felicitatem neçessaria defungi? atqui hanc ipsam gratiam facillimè per misericordiam animabus præstitam obtinebitis; id quod præclarè confirmat Sanctus Hieronymus in Epistola ad Nepotianum dicens: *Non memini me legisse, mala morte mortuum, qui libenter opera Charitatis exercuit; habet enim multos intercessores, & impossibile est, multorum preces non exaudiri.* Expertus est hoc senex ille, de quo Pater Stephanus Binet lib. de statu animarum cap.1.narrat, quòd, cùm morte jam appropinquante gravibus conscientiæ angoribus ob timorem judicii extremi cruciaretur, subitò centum millia Sanctorum niveis vestibus indutorum ad ipsum descenderint, bonóque animo esse jusserint, séque esse animas illas, quas ex purgatorio redemisset dixerint, quæ proin nunc venissent ut vicem redderent, eamquè secum ad cælos deducerent, id quod mox factum. Sed & idem alius quidam Nolanus nobilis, referente Patre Elia à Sancta Teresia lib.4.cap.45.expertus est, dum nocte de repente ab animabus, pro quibus quotidiè ardentes preces fundere consueverat, excitatus est è somno, & confiteri jussus; nam vix paruit, ac confessionis ac Eucharistiæ Sacramentis se munivit, mox subitanea morte functus obiit. Qui

iterum

iterum ex vobis, eandem felicitatem non citiùs obtinere, atque adeò à purgatorio vel omnino eximi, vel certè ibidem non diu detineri desiderat? atqui hanc quoque gratiam misericordia animabus præstita impetrabit; si enim Christus ipse promisit, quòd, quâ mensurâ mensuraverimus eadem sit remetiendum nobis, si, quod uni ex minimis factum est, sibi factum reputat; an qui toties ipsum in animabus purgantibus redemit, non meritò sperare poterit, quod & ipsum quondam ille à purgatorio defensurus sit? ita sanè olim Sancta Gertrudis experta est; cùm enim hæc Virgo Sanctissima in agone angeretur, ac timeret, ne defectu operum bonorum, quę animabus purgantibus ex ascę transcripserat, gravem in purgatorio pænam subire cogeretur, Christus eidem apparens, non modò eam consolatus est, sed etiam tres Spirituales gratias promisit, nempe quòd sine omni purgatorio ad cælum ascensura, quod omnes animæ ab ipsa liberatæ illam comitaturæ, & cum magno jubilo in cælum deducturæ; & quòd ipsa denique singulare in altera vita prœmium ob tam eximiam misericordiam animabus exhibitam esset acceptura, ut adeò meritò Sanctus Tobias cap. 4. ad Filium dixerit, quòd *misericordia ab omni peccato, & à morte liberet, & non sinat animam ire in tenebras* (purgatorii aut inferni) *sed fiducia magna futura sit coram Deo omnibus facientibus eam.*

Pars altera Concionis.

Sed credo equidem, videre vos tandem, quantoperè undique incitemini ad misericordiam animabus purgantibus præstandam, & verò etiam certò mihi persuadeo, quod parati sitis vestræ obligationi satisfacere, si modum, quo facere id commodissimè positis, cognoveritis, cui quidem desiderio vestro justissimo ut satisfaciam, inprimis hoc unicum vobis commendo, quòd dictus Tobias Senior Filio suo commendavit, dum dixit: *Quomodo potueris esto misericors; si multùm tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*; quia tamen non omnes cognoscunt mensuram, quâ metiri misericordiam animabus debeant, eandem à Christo mutuatam vobis offero, dum Lucæ 6. dixit: *Mensuram bonam, confertam, coagitatam & superefluentem dabunt in sinum vestrum*; hæc scilicet perfectissima

mensura est; hanc à vobis quoque erga animas purgantes usurpari optarem, mensuram autem *bonam* dabitis, si certis temporibus vestras pro defunctis preces fideliter offeratis, & quæ ex obligatione præstare pro iis tenemini, diligenter persolvatis; mensuram *confertam* dabitis, si omnem bonorum vestrorum operum fructum satisfactorium, quem aliis speciali titulo applicare non tenemini, pro iisdem offeratis, ut Sanctam Gertrudem supra fecisse diximus, & hodie etiam satis multi ferventes Christiani faciunt; mensuram *cogitatam* dabitis, si illarum etiam missarum, aliorumquè piorum operum fructum, qui post mortem pro vobis offertur, liberaliter transcribatis, uti Patrem Ferdinandum Monsoio, & P. Franciscum Mastrillum utrumq; è Societate Jesu, & alios nonnullos exemplo illorum inductos fecisse, & singulari Charitate transcripsisse cognovimus; Mensuram *supereffluentem* dabitis, si alios etiam ad similem misericordiam præstandam verbis vel exemplis vestris inducatis, atque, ut Deus quàm plurimis hunc misericordiæ præstantissimæ ac saluberrimæ affectum instillare dignetur, frequenter & ardenter ab eodem postuletis; atque hæc tandem est mensura perfectissima, justa quam quivis pro gratia sibi à Deo data misericordiam animabus mensurare poterit, certus, quòd, quâ mensura mensus fuerit, eâdem illi remetienda sit olim misericordia, juxta illud Christi Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.*

Epilogus.

Ego itaque id unum vobis pro clausula repeto; *Quomodò potueris, esto misericors*; atque ad hunc finem meminisse vos jubeo, quòd Sanctus Augustinus serm. 25. de verbis Domini dixit: *Fœcundus est ager pauperum, citò reddit donantibus fructum*; id quod vel maximè velim de animabus dictum credi. Verè enim hæ præ aliis fœcundus ager sunt, quæ illud Christi suo modo sibi jure applicare possunt: *Amen dico vobis, quòd omnis, qui reliquerit opera sua propter nos, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*; in hunc ergo agrum, qui per tot cruciatus jam sulcatus aperit os, & clamat ad vos: *Miseremini mei &c.* opera misericordiæ juxta mensuram assignatam liberaliter projicite, ut vobis simili mensura remetiatur Deus

Deus, & impleatur in vobis, quod Sanctus David psalmo 126. prædixit: *mittentes semina sua* (id est misericordiæ opera animabus applicanda) *ibant, & flebant venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*, iisque cum animabus liberatis à se æternùm fruentur. Amen.

Exemplar Secundum.

In quo ostenditur, quomodo ex eadem
Sententia plures doctrinæ deduci queant.

Thema.

Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Lucæ 21.

Scopus.

Consolatio afflictorum quorundam hominum.

Syllogismus principalis.

Spes magni præmii & felicitatis omnia amara dulcia facit;
Atqui hæc verba continent spem magni præmij,
Ergo hæc verba meritò omnia amara, dulcia faciunt.

EXORDIUM.

Solent honestiores & ditiores personæ plerumque secum myrothecia (Balsambixsen) circumferre, ut, si fortè ipsi aut alii in deliquium vel apoplexiam cadant, Balsamo tali vires reparare, malúmque à se avertere queant, hanc industriam Spiritualiter ego ab omnibus hominibus adhibendam censeo; omnes enim variis Spiritualibus deliquiis seu afflictionibus subjecti sumus, omnes timere meritò debemus, ne apoplexia Spirituali tacti id est, gravi infortunio afflicti exclamare cogamur, cum Sancto Job. cap. 19. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me*; omnes ergo Spirituali myrothecio indigemus, quale quidem Christus veluti peritissimus animarum nostrarum Medicus in verbis supra dictis obtulit; verè enim de his verbis fateri cogimur, quòd si eorum sensus reconditus benè intelligatur, efficacissimum contineant Balsamum quo omnes animæ afflictæ non modicè recreabuntur, id quod in præsenti concione fusiùs demonstrabo, si benevolas, ut soletis, aures breviter dicturo concedetis.

Narratio.

Quatuor potissimùm genera afflictorum hominum repe-
rio, nempe ægros, pauperes, contemptos, peccatores; pro o-
mnibus his confortandis aptissimum continent Balsamum
citata verba.

Pars Prima.

Nam primò pauperes quod attinet, quis nescit, quàm
multas & solatio plenissimas sententias Deus in Sacra Scri-
ptura de paupertatis felicitate protulerit? Quis enim ex pau-
peribus non singulare solatium percipiat, si meminerit, quam
liberaliter illi Deus omnia ad sustentationem necessaria pro-
miserit, cùm dixit Matth. 6. *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid*
manducetis; *neque corpori vestro, quid induamini*: *Nonne ani-*
ma plùs est, quàm esca? & corpus plus, quàm vestimentum? aspi-
cite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque
congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa, nonne
vos non magis plures estis his? *Nolite ergo solliciti esse. Quærite*
ergo primùm Regnum Dei & Iustitiam eius, & hæc omnia adji-
cientur vobis: Quis animo cadat, si meminerit, quòd verba
ista non præteribunt, sed tanto fideliùs implebuntur, quanto
majorem nos in Regno Dei & justitia ejus quærenda diligen-
tiam adhibuerimus? an fortè pauperes non æque ac divites
Regnum Dei quærere possunt? possunt sanè, & tantò magis
quantò minùs de divitiis, quæ irritamenta malorum à non-
nemine appellantur, participant. Jam verò quem non con-
soletur, si meminerit, quòd singularem DEUS se pauperum
curam promiserit habiturum? atqui hoc non semel in Sa-
cra Scriptura pollicitus est, præcipuè cum per Sanctum Da-
videm psalmo 9. edixit: *Tibi relictus est pauper*: *Orphano tu*
eris adiutor: Hinc idem propheta cum magna fiducia psal.
39. dixit: *Ego vero egenus & pauper sum*: *Dominus sollicitus*
est mei. Quem denique non roborent prædicta verba, si me-
minerit in iis contineri ampliissimum præmium, quod Deus
pauperibus paupertatam suam æquo & resignato animo fe-
rentibus promisit? an non de illis dixit Matth. 5. *Beati pau-*
peres Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum? an non de
illis psalmo 9. dixit: *Quoniam non in finem oblivio erit pau-*
peris

peris, patientia pauperum non peribit in finem? an non ad pauperem dixit apocal. 2. *Scio tribulationem & paupertatem tuam, sed dives es*? O si noscerent pauperes hoc Balsamum sibi appliçare, quàm magnum inde solatium, ac robur referrent! quàm parùm deliquium & abjectionem animi ex paupertate sua timerent! hoc Balsamo jam olim Sanctus Tobias Filium suum inunxit, ut cap. 4. Tobiæ legitur: *Noli timere Fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Meminerat nempe, quod olim Psalmista psalmo 36. dixerat: *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum; divites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum, non deficient omni Bono*, hoc etiam Balsamo Sanctus Augustinus sermone 28. de verbis Apostoli pauperes suos Auditores unxit, dum dixit: *Non displiceat tibi paupertas tua, quoniam nihil potest eâ ditius inveniri.* Hoc denique Balsamo ipse Deus per Ecclesiasticum cap. 11. pauperes inunxit, dum dixit: *Confide in Deo & mane in loco tuo; facilè enim est in oculis Dei subitò honestare pauperem*; hoc ergo & vos, quotquot adestis afflicti pauperes, tum erga vos, tum erga liberos vestros utamini, ita tamen ut paupertatem vestram patienter feratis, & mandata Dei accuratè servetis, & tunc audacter in eum sperate & eum accedite, & illud Sancti cujusdam viri dictum usurpate; *Fecimus, quod iussisti: redde quod promisisti.*

Pars Secunda.

Non minùs verò præstans & efficax Balsamum in myrothecio nostro pro ægris reperitur; quis enim non roboretur, & ad patientiam excitetur, si in memoriam revocet, quod Sanctus Paulus 2. ad Corinth. 1. dixit: *Id, quod est in præsenti, momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*? Quis sine solatio meminisse potest, quòd idem ad Rom. 8. dixit? *Existimo, quòd non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*? talem nempe, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit? Hoc sanè Balsamo Sanctus Stephanus usus est, & effecit, ut lapides durissimi sibi dulces fierent: Hoc usus est ipse Sanctus

Paulus,& effecit,ut repletus esset consolatione,& superabundaret gaudio in omni tribulatione sua.2. ad Corint. 7. Hoc ipse Christus usus est, dum proposito sibi gaudio tam fortiter sustinuit crucem: Hoc etiam usus est erga fidelem famulum suum Franciscum, dum inter gravissimos oculorum dolores patientiæ gratiam postulanti dixit: Francisce, si omnis terra in aurum, si omnes lapides in uniones, omnis aqua in Balsamum pretiosissimum verteretur, & hic tibi thesaurus promitteretur in præmium tuæ infirmitatis patienter toleratæ, an non lætus tali promissione efficereris,atque ad ulteriorem patientiam animareris? cúmque annueret ille subiecit Christus: Atqui infinities tibi majorem thesaurum in cælo paratum scito,mi Francisce, propter dolores tuos tam patienter toleratos; & hos ipsos dolores tibi tanquam arrham & pignus Secuturæ felicitatis immisi, quo audito mirè recreatus Franciscus cum patientia & alacritate deinceps omnes dolores sustinuit. O si & vos,o ægri, hoc Balsamo diligenter uteremini si interdum cum Sancto Adriano interrogaretis Martyres,quid exspectarent, quòd tam fortiter tanta tormenta sustinerent? & audiretis ab illis, quantam gloriam olim in cælis obtinendam sperent,profectò non morbos duntaxat vestros patienter & cum gaudio toleraretis, sed etiam cum eodem Sancto Adriano in frusta conscindi gauderetis.

Certè Sanctus Chrysostomus dicere non est veritus,si quotidie millies moriendum,& ipsa gehenna toleranda foret, omnia convenit sustinere,ut Christum in gloria videas. Accinite itaque vobis indesinenter: *Verba mea non præteribunt*, imaginemini vobis adstare Matrem vestram Ecclesiam,& repetere verba: Quibus olim inter tormenta Mater Machabæorum fortissima Filium suum animavit dicens lib. 2. cap. 7. *Peto te,nate ut aspicias ad cœlum & terram,& omnia,quæ in eis sunt, ita fiet, ut non timeas Carnificem* (& morbum) *ipsum.*

Pars Tertia.

Jam verò ut ad eos veniamus, qui propter contemptus & injurias sibi illatas affliguntur, hi præ aliis aptissimum Balsa-

mum

mum in nostro Myrothecio invenient; Hi enim invenient promissionem jam olim à Christo Matth. 5. factam, dum dixit: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum Cælorum.* O quàm pretiosum Balsamum latet sub his verbis! id sanè satis clarè indicavit Christus ipse, dum Apostolos suos inunxit, & contra contemptus & persecutiones armavit, dicens: *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti fuerint vos, & dixerint omne malum adversus vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Et sanè ita per hoc Balsamum roborati & confortati sunt Apostoli, ut de ijs Sacra Scriptura Actor. 5. dicat: *Ibant gaudentes in conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV Contumeliam pati*; ubi bene notanda sunt verba illa: *Quoniam digni habiti sunt*: nam quis contumelias pro honore reputet aut accepret? quis dignitatem in contemptu latere putet? sed nimirum ita judicant, qui carnali duntaxat oculo contumelias aspiciunt; aliud judicium ferunt, qui cum Apostolis interiora scrutantes meritò contumeliarum perpessionem inter summas dignitates, quibus homo à DEO & hominibus in hac vita condecorari potest, numerant, utpote per quam ipsi DEI Filio tam horrendas contumelias perpesso assimilantur. Nimirum *spectaculum facti sumus Mundo, Angelis, & Hominibus*, testante sancto Paulo; ad Corinth. 4. Nec refert, an stulti, an verò sapientis personam agamus, sed quàm bene illam repræsentemus; si ergo personam Christi contempti, illusi, & humiliati suscipiamus, & ad exemplum illius humiliemus nosmetipsos, & obedientes fiemus usque ad mortem contumelioſæ Crucis, an non bene actum nobiscum putabimus? an non bene sperare poterimus, quòd, sicut cum Christo nos humiliaverimus, ita cum eodem olim exaltandi simus? O si hanc veritatem bene perpenderent, qui contumelias & contemptus tam ægrè patiuntur, profectò non tot catenæ & injuriæ in orbe toto reperiri possent, quin plures cum sancto Patre Ignatio exoptarent. Agite ergo, quotquot adestis tales, atque ad contemptus deliquia animosè deinceps ferenda, hoc Balsamo vos confortate; resolvite vos vel hodie ad personam Christi spreti & illusi suscipiendam. Dicite cum sancto Paulo: *Nos stulti propter Christum; maledicimur,*

& benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi, facti sumus omnium peripsema usque adhuc; videbitur quidem non diffiteor, videbitur vobis ab initio difficile ac durum famæ vestræ ac honoris, quæ omnium vestrarum rerum præstantissimæ censentur, jacturam pati: Videbitur durum alios vobis illudentes aspicere, nec se vindicare, injurias ac contumelias pati, nec se defendere posse, sed mementote venturum aliquando tempus, quando etiam ab his honor iterum & fama cum fœnore restituetur, veniet, inquam, tempus, quo isti persecutores & illusores vestri, ut Salomon Sap. 5. prædixit, *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis dicentes intra se, & panitentiam agentes. Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & vitam illorum sine honore. Ecce quomodo computati sint inter filios DEI, & inter Sanctos sors illorum est.* Verbo: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*

Pars quarta.

Sed ut finem tandem faciamus, & ad ipsos etiam peccatores consolandos accedamus, ajo hos vel maximè optatum Balsamum in Myrothecio nostro reperire; neque hic longus ero in sententiis Sacræ Scripturæ pro horum consolatione referendis, unica illa solatio plenissima DEI adhortatio per Ezechielem Prophetam cap. 18. ad peccatores facta, quem non soletur? quem non roboret? quem non ad fiduciam de peccatorum remissione concipiendam, pœnitentiámque agendam animet? sic ergo loquitur: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum; & quare moriemini domus Israël? quia nolo mortem morientis dicit Dominus DEVS: revertimini & vivite.* Vultis autem scire, quantoperè desideret conversionem Peccatoris? audite Taulerum id vobis explicantem: *Hæc est*, inquit, *Domini misericordia, ut stupa aliqua in immenso igne posita non tam citò incendi possit, quàm ipse peccatori*

tori verè dolenti peccata omnia condonare paratus eſt. Idem Henricus Suſo confirmat ſequentibus verbis: *Nunquam ulla quamlibet & fideliſſima Mater proprio Filio ſuo, quem ſub corde geſtavit, tam deſideranter ac libenter in mediis flammis iacenti manum porrigeret adiutricem, ſicut DEVS homini contrito, etiamſi poſſibile foret, eum omnia peccata totius mundi, vel millenis vicibus quotidie perpetrâſſe.* Hoc videlicet eſt, quod DEUS per Jeremiam cap. 3. indicavit ad animam peccatricem dicens: *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me dicit Dominus, & ſuſcipiam te.* Hoc eſt, quod Servator ipſe Math. 6. confirmavit, dum omnes peccatores tam amicè ad pœnitentiam admonet dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & Ego reficiam vos: Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*; quod quæſo cor humanum adeò durum eſſe poteſt, quod per tam amicam invitationem non emolliatur? Quis adeò deſperatus eſſe poteſt, ut per hanc Benevolam promiſſionem in ſpem non erigatur? audite, quæſo, hac de re memorabilem hiſtoriam, ex eâque Balſami hujus efficaciam colligite. Legitur ea in vitis Patrum lib. 5. n. 38. ſequentibus verbis deſcripta: Frater quidam impugnabatur à fornicatione; contigit autem venire in vicum quendam Ægypti, ubi videns Filiam Sacerdotis Paganorum adamavit eam, dixítque Patri ejus: da mihi eam in uxorem. Ille autem reſpondens dixit ei: non poſſum eam tibi dare, niſi rogavero DEUM meum, & abiens ad Dæmonem, quem colebat: dixit ei: Ecce monachus quidam venit ad me, volens accipere Filiam meam, do ei eam? reſpondens Dæmon dixit: ſi negat DEUM ſuum, & Baptiſmum, & propoſitum Monachi, interroga eum. Et veniens Sacerdos dixit ei: nega DEUM tuum, & Baptiſmum, & propoſitum Monachi, & dabo tibi filiam meam; ille verò conſenſit, & ſtatim vidit exire columbam de ore ejus, & volare in cælum. Pergens autem Sacerdos ad Dæmonem dixit: Ecce promiſit ſe tria illa facturum: tum Diabolus reſpondens dixit: Non des ei filiam tuam in uxorem, quia DEUS ejus non receſſit ab eo, ſed adhuc juvabit eum. Et venieus Sacerdos dixit illi Fratri, non tibi poſſum eam dare, quia DEUS tuus adhuc adjuvat te, & non receſſit à te, hæc audiens Frater dixit intra ſemetipſum: ſi tantam Bonitatem oſtendit in me DEUS, cùm Ego infelix

negaverim ipsum, & Baptismum, & propositum Monachi. Bonus autem DEUS etiam malum nunc usque adjuvat me? cur ergo recedam ab eo, & in semetipsum reversus recepit sobrietatem mentis, & venit in Eremum ad magnum quendam senem, & narravit ei, quæ fuerant acta, & respondens senex dixit ei, sede mecum in spelunca, & jejuna tres hebdomades, & Ego deprecabor DEUM pro te. & laboravit senex pro fratre, & deprecatus est DEUM dicens: Obsecro Domine, dona mihi animam hanc, & suscipe pœnitentiam ejus, & exaudivit orationem ejus DEUS, & cùm completa fuisset prima hebdomas, venit senex ad Fratrem illum, & interrogavit illum dicens, vidisti aliquid? & respondens Frater dixit: vidi columbam sursum in altitudine cæli contra caput meũ stantem, & respondens senex dixit ei: attende tibimetipsi, & deprecari DEUM intende. Secundâ verò hebdomade venit senex iterum ad Fratrem, & interrogavit eum dicens, vidisti aliquid? & respondit: vidi columbam aliquam juxta caput meum venientem. Et præcepit ei senex: sobrius esto mente, & ora. & completâ tertiâ hebdomade venit iterum senex, & interrogavit eum dicens: aliquídne plus vidisti? & ille respodens dixit: vidi columbam, quæ venit, & stetit supra caput meum, & tetendi manum meam tenere eam, illa autem surgens intravit in os meum; & gratias agens senex DEO dixit Fratri: Ecce DEUS suscepit pœnitentiam tuam; de cætero attende temetipsum, & esto sollicitus. & respondens Frater dixit: ecce amodo tecum ero, donec moriar. Ecce peccatores vim Balsami nostri; utamini ergo & vos pari modo, & parem effectum experiemini.

Epilogus.

Sed claudo concionem, & omnes ad usum hujus Myrothecij verbis Thomæ Kempensis lib. 3. cap. 47. adhortor: *Fili mi, non te frangant labores, quos assumpsisti propter me, nec tribulationes te deiiciant usquequaque, sed mea promissio in omni eventu te roboret, & consoletur. Age, quod agis, fideliter labora in vinea mea, sustine viriliter contraria, digna est hæ omnibus & maioribus præliis vita æterna; ibi invenitur omne quod volueris; ibi nullus resistet tibi, nemo impediet, sed cuncta desiderata simul erunt præsentia, totúmque affectum tuum rec-*

cient

cient, & adimplebunt usque ad summum: ibi reddam gloriam pro contumelia perpessa, pallium laudis pro mœrore, pro loco novissimo sedem regni in sæcula, ibi apparebit fructus pœnitentiæ (& dolorum) *& humilis subiectio* (seu patientia in contemptu) *coronabitur gloriosè. Memento horum, Fili mi, Verborum; Beati qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

Exemplar Tertium.

In quo ostenditur, quomodo per parabolam aliqua doctrina inculcari possit.

Thema.

Tunc videbunt Filium Hominis venientem in nube cum potestate magna & Majestate. *Luca 12.*

Scopus.

Persuadendum Auditoribus, ut temporis habeant rationem accuratam.

Syllogismus principalis.

Illius rei meritò magna est habenda ratio, cuius olim severissima à DEO ratio exigetur. Atqui tale, *quid est tempus, ergo temporis magna est habenda ratio.*

EXORDIUM.

Solent ij, quibus examen aliquod subeundum est, ante omnia sollicitè indagare, de quibus rebus examen sit instituendum, atque ad eas Quæstiones se totis viribus præparare, quod etsi non semper sit licitum, maximè ubi concurrunt multi, & pro loco vel honore certant, uti in Academicis gradibus suscipiendis contingit, respectu tamen ultimi examinis, quod nobis omnibus subeundum est, non modò non vetitum est, sed neque diu etiam indagare oportet, de qua re potissimùm responsuri simus, nam id jam pridem anima quædam damnata manifestavit, ut Discipulus ser. 3. narrat: Cùm enim homo quidam devotus orationi esset intentus, subitò vocem quandam valde lugubrem audivit, quam ubi quæsivit, quisnam esset, & quâ de causâ lugeret? Respondit ei, qui lugebat, animam damnatam se esse, séque & omnes reliquos damnatos nullam adeò rem deplorare, quàm temporis jactu-

jacturam, utpote in quo tanta mala tam facili labore evitare, tantáque bona comparare potuiſſent. Ne ergo & nos ſimili modo lugere cogamur, oſtendam in præſenti Concione per aptam parabolam, quàm grave ſit delictum tempus otiosè perdere, ſimúlque docebo, quo modo tempus illud deinceps meliùs inſumere, imò etiam perditum, quodammodo recuperare poſſimus. Spero proinde audientiam tantò majorem, quantò utilior eſt materia & doctrina, quam vobis ſum propoſiturus.

Propoſitio Parabolæ.

Erat quidem Rex, & dignitate, & ſapientiâ, & potentiâ clariſſimus, hic cùm fortè per feneſtram aulæ ſuæ proſpiceret, vidit infantem pulcherrimum in luto ante fores palatii jacentem, ejúsque pulchritudine captus, & miſericordiâ motus juſſit quamprimum eum ad ſe deferri, & quod inauditum eſt à cunctis ſæculis, poſtquam venam ſibi aperiri juſſit, aquam ſanguine miſcuit, propriiſque manibus à ſordibus abluit; deinde uni ex primariis ſuis Aulicis educandum, inſtruendum, & cuſtodiendum commiſit, qui quidem officio ſuo præclarè functus eſt, optimísque præceptis Clientem ſuum imbuit; poſtquam autem ad ætatem ſuam hic pervenit, & pro officio fungendo aptus eſt viſus, pinguiſſimum ei telonium Rex commiſit, prope quod mercatores ditiſſimi tranſibant, & maximum telonium pendere debebant, de quo quatuor partes ipſi Telonario reliquit, unicam ſolùm ſibi reſervavit, & ſuo tempore offerri juſſit, ſimúlque centuplo majora Bona, imò regnum omni Bonorum genere fortunatiſſimum promiſit, ſi fideliter hoc munus ſuum adminiſtraret; quem tanta Regis liberalitas & charitas non ad amorem & ſummam in adminiſtrando munere diligentiam atque alacritatem excitare debuiſſet? excitavit ſanè & Telonarium, ut ab initio aliquamdiu cum magno fervore ſuum munus obiret, ſed hominis nequiſſimi fraudibus circumventus paulò pòſt remiſit; erat enim in loco illo carnifex, homo vaferrimus, & ad ſeducendos homines alios inſtructiſſimus, qui invidens Telonario tantam fortunam, omnem lapidem movit, ut eum gratiâ Regis & officio ſuo privaret; Eâ de cauſâ per Filiam ſuam, quam habebat formoſiſſimam, munera

quæ-

quædam hortensia, honoris causâ submittit, quæ dum Telonarius frequentiùs accipit, conjectis in Filiam portantem oculis amore illius exardescere cæpit, & tandem per familiarem conversationem ita captus est, ut nihil ampliùs de telonio suo sollicitus, totum se consuetudine Amasiæ suæ impenderet; monetur à suo amico, monetur à Custode, monetur ab aliis Amicis, de fraudibus, de officii obligatione, de metuenda Regis displicentia, de castigatione, sed incassum; advertens ergo Rex Telonii partem sibi reservatam non offerri, mittit famulos, qui rationem reddere jubeant, & de fidelitate inquirant. Sed is, ut patientiam secum Rex habeat, rogat, séque omnem partem de telonio illi debitam suo tempore oblaturum promittit; sed nihil minus præstitit, redeunte scilicet Amasia, & ad pristinos amores & socordiam pertrahente. Venit ergo Rex ipse occultè sub alienis vestibus, instruit convivium, hortatur ad emendationem, sed is iterum antiquam cantilenam canere pergit, promittit emendationem, sed non præstat, pejor factus post visitationem, quàm ante fuerat. Itaque iratus Rex mittit iterum alios famulos, gravésque pænas, & ipsam officii privationem minatur, nisi resipiscat, sed is parùm curat omnia, jubet ergo semel iterúmque eum castigare, Filiamque Carnificis domo expelli, sed quò molestior erat privatio, tantò magis inflatus est amor, viæque omnes ardentiùs tentatæ ad pristinam consuetudinem repetendam. Ergo videns Rex actum se agere, misit tandem Apparitorem suum, qui Telonarium tam negligentem primò quidem arctissimo Carcere concludere, deinde verò etiam judicio publicè instituto sistere est jussus; quam sententiam acceperit, nolo ego hîc certâ de causâ explicare, illud verò à vobis intelligere volo Auditores, si vos à dicto Rege in Assessores ac Judices electi fuissetis, quam vos de illo sententiam tulissetis? an non omnes unanimi voce sententiam in hæc verba concepissetis: amoveatur à Telonio, & quia reus est mortis, occidatur; & rectè profectò judicâstis, sed vereor, ne contra vos sententiam tuleritis; Certè quisquis peccator est (quis autem talem se non confiteri cogetur?) similem, imò graviorem negligentiam & ingrati animi vitium commisit.

Appli-

Applicatio Parabolæ.

Tu ergo, tu, ô peccator, tu es ille vir, tu Telonarius es iste; an non tu in luto nihili jacebas? an non te Christus Rex cæli & terræ potentissimus ex nihilo tuo per creationem eduxit, & te per redemptionem sanguine ex latere suo aliisque vulneribus fluente & aqua Baptismali lavit? an non tibi unum ex primariis Aulicis suis, sanctum Angelum, inquam, Custodem pro Moderatore assignavit? an non te per eum educari usque ad rationis usum, & potenter custodiri fecit? an non tibi subinde Telonium, id est, opera meritoria eliciendi occasionem præstantissimam obtulit? an non de his operibus quatuor partes tibi, fructum scilicet meritorium, satisfactorium, impetratorium, & consolatorium, id est, gaudii ex talibus operibus & bonâ Conscientiâ oriri soliti liberaliter reliquit? solâ quintâ parte fructus gloriæ & honoris sibi retenta? an non tu brevi quidem tempore telonium hoc bene administrâsti, & à peccatis te aliquantulum continuisti, sed paulò pòst ab infernalis carnificis filia, concupiscentia, inquam inordinata voluptatum & honorum seductus telonium tuum, id est, occasiones merendi neglexisti, tempus otiosis cogitationibus, verbis, factísque malè impendendo? Considera Peccator, obitérque mente revolve, quæ conditiones ad opus meritorium requirantur, nempe ut de se malum non sit, ut fiat in statu gratiæ, & ut per bonam intentionem ad Deum dirigatur. Examina nunc ulterius, quomodo ab eo tempore, quo rationis usum accepisti, has conditiones observaveris, an non deprehendes, te multa in se mala, multa extra statum gratiæ, pleraque sine legitima intentione fecisse? an non de hac negligentia seriò emendanda te frequenter per occultas inspirationes Sanctissimus & fidelissimus tuus monitor Angelus Custos monuit? & quid aliud respondisti, nisi esse adhuc tempus, te in fine vitæ seriò pœnitentiam acturum? an non misit famulos suos ad te clementissimus Deus, Superiores, inquam, Confessarios ac Concionatores, Parentes, Amicos, Socios, qui te verbo & exemplo ad emendationem sunt hortati? & tu quid ad hæc? an pœnitentiam egisti? an non ipse Christus sub speciebus Eucharisticis aliquoties te invisit, & convivium præstantissimum sanguine suo, corporeque instruxit?

an

an non suaviter tibi errorem tuum ostendit? an non tibi illa Ecclesiastici verba repetivit: *Fili mi, peccásti? non adicias iterum,* & quid tu? vix sumpto corpore abiisti ad tuam Concubinam, concupiscentias inquam tuas, & cum ea insidias tanto Benefactori tuo parâsti. An non aliquoties Deus gravissimas pœnas tibi per occultas inspirationes, per libros, Concionatores, & Confessarios comminatus est? an non te morbis aliisque tribulationibus castigavit, & hoc medio ad emendationem perducere statuit? an non verò hæc frustra fuere? an non post hæc omnia deterior es factus, quàm antea fueras? an non ergo grave à te delictum commissum esse fateris? an non æquissimum esse judicas, ut sententiam, quam de altero tulisti, tibi ipsi applices? an non jure tibi dicis: Reus est mortis: removeatur à Telonio, id est, vita præsenti? atque utinam jam non in multis impleta esset sententia hæc! cur enim tot juvenes immatura & violenta morte absumptos putas? Certè non aliâ ex causa, quàm quia tempus sibi concessum tam malè impenderunt; si ergo in te necdum lata fuit hæc sententia, an non per hoc singulare Beneficium accepisti, & motivum majus ad errorem tuum hunc & negligentiam serio emendandam?

Vis autem scire, quid agere debeas? tria tibi agenda aio 1. Ut ad genua summi hujus Benefactoris cum summa humilitate procidas, veniámque præteritorum peccatorum corde contrito petas; dicens cum Sancto Davide: *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, sed citò anticipent nos misericordia tua, quia pauperes facti sumus nimis*; Dicas etiam cum servo illo negligente: *Domine patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*

Secundò, ut illud sancti Pauli consilium sequaris, quod olim Ephesiis cap. 5. dedit dicens, *Videte Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes redimentes tempus*; ubi scio verba hæc: *redimentes tempus*: plerumque de futuro tempore explicari, sed ego ausim etiam de præterito explicare, atque adeò ostendam tibi, ò peccator, artem, quomodo etiam præterium tempus revocare possis. dic ergo, an non existimes olim sanctum Jobum, dum omnium suorum Bonorum jacturam tam æquo animo à DEO accepit, dixítque: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit;*

cuit, ita factum est: *sit nomen Domini Benedictum*, dic, inquam an non egregiè operatum esse judicas? an non credis Deo hunc actum singulariter placuisse, meruisséque, ut omnia dupliciter ei restituerentur? Quæro nunc ulterius, an non jacturam temporis potiorem judicas quâcunque aliâ jacturâ, juxta illud Poetæ:

Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus,
Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum.

Si ergo patienter hanc jacturam feras, & dicas: Mi Clementissimè Deus, dedisti mihi tam nobile tempus, iterúmque abstulisti, permittens, ut illud inutiliter, prô dolor, impenderem; sicut tibi Deo meo placuit, ita factum est; sit nomen tuum Sanctissimum in Sæcula Benedictum: an non per hunc actum & tu suo tempore recuperabis perditum tempus, id est, præteritam negligentiam resarcies? ita profectò, maximè si etiam (quod tertium est caput à te observandum) occasionem inde arripias tempus reliquum vitæ tuæ utiliter expendendi, atque adeò illud dictum Ecclesiast. cap. 14. tibi applices: *Ne defraudaris à die bono, & particula boni doni non te prætereat*: eúmque in finem statuas, primò omnes conditiones ad opus meritorium requisitas, studiosè observare; deinde non tantùm communem, sed optimam intentionem iisdem præfigas, illud Sancti Davidis 1. Reg. 29. usurpando: *Totis viribus præparavi impensas domûs Domini* (vel istam aut illam actionem feci) *non enim homini præparatur habitatio, sed Deo.*

Epilogus.

Sed claudo tandem Concionem, omnesque seriò adhortor, ut saltem, quod reliquum est temporis ad vivendum concessi, ita impendere studeant, ut nec momentum sibi elabi aut transire permittant, quin ab eo vectigal boni operis exigant: cum in finem verbis illis Sancti Pauli Roman. 13. vos compello. *Fratres hora iam est, nos de somno surgere, ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis, non præcessit, dies appropinquavit, abiiciamus ergo opera tenebrarum* (id est, hujus vitæ, quia nihil ad salutem conducunt:) *& induamus arma lucis, tempus* fructuosè & honestè impendendo, ut tandem aliquando & nos cum servo fideli audire possimus illud optatissimum elogium: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super*

super multa id est, super totam æternitatem felicissimam *te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Amen.

Exemplar Sextum.

In quo ostenditur, quomodo doctrina aliqua per historiam inculcari possit.

Thema.

Benedixit illos, & jussit apponi. Marc. 8.

Scopus.

Cur & quomodo Benedictio Dei procuranda?

Syllogismus principalis.

Illud est singulari studio procurandum, quod maximè conducit ad omnium actionum nostrarum felicem successum obtinendum; Atqui tale quid est Benedictio divina; Ergo hæc singulari studio procuranda est; Atqui ad eam obtinendam præcipuè servit bona intentio actionibus nostris præfixa, Ergo hanc actionibus nostris præfigere debemus.

EXORDIUM.

Ajunt Circulatorem quendam fuisse, qui quondam promiserat, se sequenti die omnibus ad forum confluentibus dicturum, quid quisque maximè desideret & optet, cúmque sequenti die ingens multitudo confluxisset, dixisse illum: Hoc est, quod omnes desiderant, vili pretio multa posse emere; quod dictum quidem risu exceptum, quia tamen verissimum erat, etiam tacito assensu probari debuit. Verùm licet negari non potuerit veritas hujus dicti, Ego tamen existimo, multò magis desiderari ab omnibus medium aliquod efficax, per quod multa vili pretio emi possint; quia itaque non dubito & vos, Auditores, simili desiderio teneri, ostendam vobis in hac concione simile medium, & ut illud deinceps tantò diligentius constantiúsque usurpetis, illius efficaciam memorabili historia demonstrabo; spero proinde; vos tantò attentius dicentem audituros quantò dignior auditu est historia, & quantò amplior est fructus, quem ex ejus narratione sperare potestis.

Narratio Historiæ.

Narrat Pater Mathias Faber in auctario in festo S. Annæ.

næ. them. 4. num. 5. & Surio 7. Janu. cap. 14. memorabilem prorsus historiam in hæc verba: Alio in tempore quidam ad S. Columbam (Presbyterum Scotum confessorem, in cujus vita hæc historia legitur) plebeius venit pauperrimus, qui in ea habitabat regione, quæ stagni littoribus Aporiei est contermina; huic ergo miserabili viro, qui, unde parvulos cibaret non habebat, vir Beatus misertus petenti, ut potuit, quandam largitus eleemosynam ait: Misselle homuncio; tolle de silva vicina fustem, & ad me citiùs defer. Obsecundans miser juxta Sancti jussionem detulit materiam, quam Sanctus accipiens in veru exacuit, quámque proxima manu Benedicens, & illi assignans inopi dixit: hoc veru diligenter custodi, quod ut credo, nec homini nec alieno pecori nocere poterit, exceptis feris Bestiis & piscibus; & quamdiu talem habueris studam, nunquam in domo tua cervinæ carnis libatio deerit abundans, quod audiens miser mendicus valdè gavisus est, domum revertitur, verúque in remotis terræ infixo locis, quæ silvestres frequentabant feræ, & vicina transacta nocte mane primo pergit visitare volens veru, in quo miræ magnitudinis Cervum cecidisse reperit transmissum, quid plura? nulla nobis traditum est, poterat transire dies, quæ non aut cervum, aut aliam reperiret in veru transfixam feram, repletâ quoque de ferinis carnibus domo vicinis superflua vendebat, quæ hospitium suæ domûs capere non poterat; sed tamen Diaboli invidia per sociam, ut Adam, hunc etiam miserum invenit, quæ non quasi prudens, sed fatualiter ad virum locuta est: tolle de terra veru, nam si in eo pecudes aut homines perirent, tu ipse & ego cum liberis nostris aut occidemur; aut captivi ducemur, adhæc Maritus ait, non ita fiet, nam Sanctus vir veru Benedicens dixit, quod nunquam hominibus aut pecoribus nocebit. Post hæc mendicus uxori consentiens pergit & tollit de terra veru, intrat domum, quasi amens illud secum parietem posuit, in quo mox domesticus ejus incidens cani dispeiit, quo pereunte rursus Marita, unus, inquit, filiorum tuorum incidet in illud, & peribit. quo audito ejus verbo Maritus veru de pariete removens ad silvam portat, & in densioribus fixit dumis, ut putabat; ubi à nullo posset offendi, sed postero reversus die capream in eo cecidisse, & periisse reperit, inde quoque illud removens in fluvio, qui latinè pote-

dit

dici nigra Dea, juxta ripam sub aquis abscondens infixit, quod alia revisitans die elocem (ein Salmling) miræ magnitudinis in eo transfixum & retentum invenit, quem de flumine elevans vix solus ad domum portare poterat, verúque simul secum de aqua reportans extrinsecus in superiori tecti affixit loco, in quo corvus de volatûs impetu lapsus disperiit, & jugulatus est, quo facto miser fatuæ conjugis consilio depravatus veru tollens de tecto sumpto securi in plures conscindens particulas, in ignem conjecit, & postea quasi suæ paupertatis amisso medio in solatio revendicare, ut mendicus cæpit.

Applicatio Historiæ.

Hæc historia pulchram offert occasionem, divinæ Benedictionis magnitudinem & efficaciam demonstrandi, simúlque modum, quo multa vili pretio comparare possitis, offendendi, si enim hujus Sancti Benedictio tantam habuit vim, ad indigentiam hujus pauperculi sublevandam, quantam ipsius Dei Benedictio virtutem habitura est? si Jacob Patriarcha Genesis 30. ad Laban Socerum suum dixit: *modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc dives effectus es, Benedixitque tibi Dominus ad introitum meum*: si propter arcam Domini Deus Obededom & totam illius domum benedixit, ut 2. Regum. 6. legitur, quid non sperare poteritis, qui per ipsum figuratum scilicet Christum Benedicetur, qui verè de se dixit Joan. 15. *sine me nihil potestis facere*; *& qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum*; ad cujus Benedictionem Apostoli mittentes retia sua tam copiosam multitudinem piscium cæperunt; an non verè de ejus Benedictione implebitur illud Proverb. 10. *Benedictio Domini divites facit, & non sociabitur eis afflictio.* Credo equidem vos non dubitare ampliùs, quin Benedictio hæc magnam habeat efficaciam ad felicem conatibus vestris successum impetrandum; quomodo autem talem Benedictionem impetrare possitis, nôsse fortassis desideratis. Respondeo, non meliùs, & citiùs vos eam obtenturos, quàm si similem in corde Baculum spiritualiter figatis, id est, sinceram intentionem solius gloriæ divinæ quærendæ, quæ intentio per acumen dicti Baculi significatur, operibus vestris præmittatis, & sedulam cooperationem

nem, quam inferior crassiórque pars Baculi designat, conjungatis; ita jam olim videtur Cantic. 8. sponsus sponsæ suæ suasisse, dum dixit: *pone me ut signaculum super cor tuum* (per bonam & puram intentionem) *ut signaculum super Brachium tuum* (per sedulam cooperationem) ita & Apost. 1. ad Corint. idem suasit, dicens: *sive manducabitis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Gloriam DEI facite*; quam totam doctrinam bene non nemo his duobus versiculis expressit.

Wilst Sachen viel von GOtt erhalten?
Meins gut; thue/waß kanst; laß GOtt walten.

De talibus nempe implebitur illud Sancti Pauli 2. Corint. 9. *qui seminat in Benedictionibus, de Benedictionibus & metet*; id quod clariùs Sanctus Jeremias cap. 4. indicavit dicens: *Benedictus, qui confidit in Domino, & Dominus fiducia eius, & erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstus; & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum*; & hæc videlicet caussa est, cur multi tam parùm felices successus in officiis suis habeant, quia scilicet hæc media ad Benedictionem Dei obtinendam non adhibent; miramur interdum, cur iste vel iste Concionator vel Parochus tam parvum fructum in salute animarum faciat, cùm tamen tot tantósque labores susceperit; sed in promptu caussa est, quia non DEI, sed suam gloriam quærit, ita expertus Melchior Numius ex Societate JESU insignis operarius & Indiæ Provincialis, qui, licet in Japonia primùm, deinde verò ad Sinas usque Evangelii prædicandi caussa profectus sit, nullum tamen aut exiguum fructum fecit, quia, ut historia Societatis JESU parte 1. cap. 15. num. 184. indicat, non superiorum nutu, sed suæ pietatis sociorúmque & Regis impulsu iter illud suscepit: mirantur pariter alii, cur huic vel illi familiæ nihil prosperè succedat, cur in tanta inopia vivat, licet diu noctúque non parcat labori; in promptu caussa est, non adfuit bona intentio in statu matrimonii; magísque voluptas, quàm multiplicatio divinæ gloriæ, & humani generis quæritur, in usu conjugii; sed & in laboribus non tam in divino auxilio, quàm propriis viribus & humanis remediis ponitur finis, hinc experiuntur tales id, quod Deus per Jeremiam cap. 17. minatus est: *Maledictus homo, qui confidit*

confidit in homine, erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit, cùm venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in deserto in terra salsuginis & inhabitabile; hinc meritò iterum Deus adhortatur tales per Aggæum cap. 1. dicens: *Ponite corda vestra super vias vestras; seminastis multùm, & intulistis parùm; comedistis, & non estis satiati; Bibistis, & non estis inebriati, & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum perfusum; respexistis ad amplius, & ecce factum est minùs, & intulistis in domum, & exufflavi illud, propter quid dicit Dominus exercitium? Quia domus mea deserta est, & vos festinatis unusquisque in domum suam; propter hoc vobis prohibiti sunt cæli, ne darent rorem & terra prohibita est, ne daret germen suum, & vocavi siccitatem super hominem, & super omnem laborem hominum.*

Neque dicat quispiam, idem etiam multos experiri, qui tamen supradicta capita accuratè observant; nam respondeo, etsi ab initio non statim appareat hæc Benedictio, tamen suo tempore certò collatum iri; ita Salomon Proverb. 10. testatur: *In timore Domini esto tota die, quia habebis spem in novissimo, & præstolatio tua non auferetur*, hoc nimirum est, quod Sanctus David in psalmo 1. dixit; *Beatus vir (cuius est in lege Domini voluntas eius) & erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*; habet se nempe semen justorum & peccatorum, sicut semen Bonum & malum in hyeme sub terra latens, ubi neutrius fructus apparet, sed exspecta æstatem, & apparebit, quàm utrumque frugiferum fuerit; ita expertus Joseph Patriarcha tot annis in carcere latens, & tandem cum tanto honore eductus; ita Tobias cui cognati cum irrisione prius dicebant: *ubi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas facis*; ita omnes alii quotquot benè agentes in Domino sperârunt, ut adeo rectè dixerit Ecclesiasticus cap. 2. *Respicite filii rationes hominum & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est; quis invocavit eum & despexit?*

Epilogus.

Sed finio tandem concionem, & in ipsius omnipotentis Dei nomine illis Deuteron. 11. cap. à Moyse prolatis verbis vos alloquor: *Et propono in conspectu vestro hodie Benedictio-*

nem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ præcipio vobis; *maledictionem si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam Ego nunc ostendo vobis*; sequimini ergo eum cum hodierna turba per triduum fidei, spei & charitatis credentes, quod possit; sperantes, quod velit, & diligentes, ut velit suam Benedictionem vobis largiri; *Beati profecto, qui ambulant in viis eius*, teste Sancto Davide Psalmo 122. *in labore manuum tuarum manducabis*: *Beatus es & bene tibi erit*: manducabitis & saturabimini, hic, quia nihil deerit; ibi, quia apparebit gloria ejus; Ita ego ex animo omnibus opto, ideóque dico cum Sancto Davide Psalm. citato: *Benedicat tibi Deus ex Sion, & videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.* Amen.

Exemplar Septimum.

In quo ostenditur quomodo moralis lectio in Concione institui possit.

Thema.

Petite & accipietis Joann. 16.

Scopus.

Varii errores circa orationem committi soliti detegendi & corrigendi.

Nota cùm variæ doctrinæ hac in concione præponendæ sint iterum principalem syllogismum fieri non posse.

EXORDIUM.

Solent nonnunquam in religiosis Ordinibus lectiones morales institui, id est, exhortationes aliquæ haberi, quarum potissimus scopus est, errores circa aliquam actionem à Religiosis committi solitos detegere, simúlque eorum radicem & modum corrigendi ostendere, & testatur experientia, quòd ex ejusmodi exhortationibus, sicut ad praxin præcipuè ordinantur, ita non modicus fructus percipiatur; quare & ego hodie similem lectionem instituam, & pro materia orationem sumam, utpote actionem tam necessariam & utilem, ut Sanctus Augustinus tomo 4. non horruerit dicere, eum rectè nôsse vivere, qui rectè novit orare, ut adeo meritò omnes errores circa hanc actionẽ committi soliti studiosissimè sint devitandi; quod quidem, qua ratione fieri possit, & debeat, in præsenti

Con-

Concione docebo, si benevolas, ut soletis, mihi aures præbueritis.

Error Primus.

Primus error est eorum, qui nimis parùm æstimant orationem, atque integris interdum diebus vix unum aut alterum Pater & Ave recitant. Hi profecto nesciunt, quàm necessaria ac fructuosa sit oratio; audiant proinde Sanctum Augustinum l. 10. de miser. dicentem: *Quid oratione præclarius? Quid vita nostra utilius? Quid animo dulcius? Quid in tota nostra religione sublimius?* clariùs Sanctus Chrysostomus lib. 2. de orando Deo. *Quanta tibi est*, inquit, *commissa felicitas, quanta gloria attributa, confabulari orationibus cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis; quod desideras, postulare; & quid metuis, an non* ipse Servator Joan. 16. dixit: *Amen dico vobis, siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; unde rectè colligunt Sancti Patres, nullum hominibus Beneficium aut gratiam aliter, quàm per orationem obvenire, atque adeò sicut optimum est signum prædestinationis ad vitam æternam, si quis benè ad orationem affectus sit, ita pessimum esse indicium, si ab ea animum suum abhorrere advertat, id quod Sanctus Chrysostomus disertè memorabili hac sententia indicavit lib. 1. de oratione de Deo; *cùm videro quempiam non amantem studium orandi, nec huius rei fervida vehementique cura teneri, continuò mihi palam est, eum nihil egregia dotis in animo possidere, & quisquis non orat Deum, nec divino colloquio cupit assiduè frui is mortuus est, & vitâ caret, expérsque sanæ mentis est; nam hoc ipsum evidentissimum est argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi studium.*

Quicunque ergo huic errori se obnoxium advertit, is seriò emendare eum studeat, & quemadmodum ægris convalescentibus, & fastidium ciborum patientibus, ut paulatim recipiant ipsum appetitum erga cibos, ab initio in parva quantitate is offertur, ita & ipse assuefaciat se ab initio per paucas orationes, quæ mane & vesperi, ante & post mensam, ad signa salutationis angelicæ, sub missæ sacrificio peragantur, nec dubitet, se paulatim majorem appetitum concepturum, & insignes ex longioribus orationibus fructus solatiúmque reportaturum.

Error Secundus.

Error Secundus est eorum, qui nimis multùm orationem æstimant, & omnem suam sanctitatem in oratione consistere putant, ideóque graviter turbantur & anguntur, si quandoque propter negotia domestica vel etiam morbos ab oratione impediantur; cui errori mulieres præcipuè sunt obnoxiæ, quæ quoties novas preces vel indulgentias propositas, vel congregationes exortas audiunt, statim illas suscipiunt, easque frequenter per eas rem domesticam non sine Maritorum gravi indignatione negligant; hæ ergo & omnes alii, qui huic errori obnoxii sunt, meminisse debent. quod Christus Matth. 6. dixit: *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt, putant enim quod in suo multiloquio exaudiantur*; sciant proinde, sicut ipsis gratiùs est, si pauci cibi boni & bene cocti apponantur, quàm si multi & pessimè præparati offerantur; ita Deo quoque & Sanctis gratius fore, si paucæ orationes attentè, ferventer, & constanter peragantur, quàm si multæ sine debita attentione & reverentia recitentur. Hinc Beata Virgo olim ancillæ cuidam integrum quotidie Psalterium cursim & celeriter recitanti suasit, ut non nisi minus rosarium 50. salutationibus constans devotè recitaret. Deinde verò notent diligenter tales, non tantùm eas orationes, quæ ore peraguntur, sed etiam opera nostra ex voluntate Dei & obedientiæ præscripta peracta esse optimam orationem & laudem Dei. Ita jam pridem Ecclesiast. cap. 55. indicavit dicens: *qui conservat legem, multiplicat orationem*; id quod Sanctus Hilarius pulchrè suis verbis confirmat in Psalmum 1. *per hanc enim efficitur, ut sine intermissione oremus, cùm per opera Deo placita, & in gloria eius semper exercita, Sancti cuiusdam viri vita omnis oratio sit, ac sic legem Dei die noctúque vivendo vita ipsa nocturna legis erit, & diuturna meditatio*: Brevius Sanctus Aug. in Psalmo 34. *vis medium semper laudandi? quidquid egeris, bene age, & laudâsti Deum*: & verò ex vobis ipsis id facilè colligere potestis, an non enim si duo aliquid à vobis impetrare vellent, & alter quidem verbis multis & elegantibus id peteret, alter autem multa opera valdè vobis grata & honorifica præstaret, facilius vos per hunc quàm per illum flecti sineretis? simili autem modo se res cum oratione vo-

cali

cali & operibus habet; itaque suadeo talibus, ut cum consilio Confessarii aut alterius prudentis viri selectam faciant orationem (ein Musterung) & primò quidem ante omnia statuant necessarias orationes, id est, ad quas ex præcepto vel voto tenentur, accuratè peragere; deinde eas si possunt, adjiciant, ad quas vel ex consuetudine pia Christianorum, vel ex legibus Congregationum tenentur, licet absque peccato. Et tandem pro temporis & occasionis qualitate alias voluntarias addant illud sancti Tobiæ consilium cap. 4. semper ob oculos habentes: *Si multùm tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*

Error Tertius.

Error tertius est eorum, qui nimiùm anguntur propter distractiones, quas in oratione, licet involuntariè patiuntur, putántque adeò melius esse non orare quàm distractè orare. Hi ergo bene debent distinguere inter voluntariam & involuntariam distractionem; & voluntaria quidem non parùm displicet DEO propter grandem irreverentiam, quæ per ejusmodi distractionem committitur; Involuntaria autem non solùm non displicet, sed sæpe magis placet, ut olim DEVS Religioso cuidam ostendit, qui vidit duos alios Religiosos simul orantes, alteríque coronam auream immediatè supra caput, alteri nonnihil remotiùs pendere; utrumque ergo ad se vocavit, & quæsivit, quomodo illis oratio successerit, cúmque alter, cui proxima erat corona, respondisset, pessimè sibi eam successisse, ut quam totam inter distractiones exegisset; alter verò fassus est, nunquam ferè brevius aut jucundius orationis tempus sibi fluxisse, utpote inter suavissimas consolationes consumptæ, facilè collegit is, qui utramque coronam viderat, multò plùs meruisse, Deóque placuisse illum, qui involuntarias distractiones patienter sustinuit, quàm qui dulcissimis illis cæli suavitatibus fruebatur; unde bene Thomas Kempensis lib. 4. cap. 12. in persona Christi sic talem hominem desolatum alloquitur: *Affectus ille bonus & dulcis, quem interdum percipis, effectus præsentis gratiæ est, & quidam prægustus patriæ cælestis, super quo non est nimium innitendum, quia vadit, & venit. Certare autem adversus incidentes malos motus animi, suggestionémque spernere diaboli, insigne est virtutis*

& magni meriti. Quisquis ergo huic errori fuit obnoxius tria hæc deinceps præstare studeat. Et primò quidem diligenter præmittat intentionem, vel propositum orationem suam cum omni possibili attentione peragendi, atque ad hoc ipsum gratiam à DEO per breve suspirium petat, ad imitationem Ecclesiæ in horis Canonicis versiculum: *Deus in adiutorium*; præmittentis: Deinde sequatur Abrahamum Genes. 15. qui, cùm sacrificium DEO offerret, & volucres cæli descenderent ad vorandum illud, constanter adstabat, & abigebat illas; sic ergo ipse alienas cogitationes, quæ fructum sacrificii sui, id est, orationis impedire conantur, pro viribus abigat, nec propterea si fortè etiam culpabiliter distractus fuerit, talem orationem repetat, sed faciat quod illi, qui filum convolvunt aut devolvunt (**auff- oder abwinden**) & non propterea si fortè filum ruptum sit, totum denuò devolvunt, sed initium fili rupti quærunt, & volvere pergunt. Denique orationem suam cum orationibus Christi Beatissimæ Virginis aut Sanctorum uniat; nec dubitet, quòd sicut malus nummus cum innumeris conjunctus bonis, aut aquæ gutta dolio optimi vini infusa propter conjunctionem perinde, ac boni nummi & vinum acceptantur aut bibuntur, ita & oratio ipsius à DEO propter unionem illam sit benevolis auribus audienda.

Error Quartus.

Error quartus & ultimus est eorum, qui, si non statim audiantur, obtineántque, quod petunt, animum abjiciunt, indignantur, & sæpe orationem velut inutilem omnino negligunt; hi ergo pro suo corrigendo errore sequentia tria bene notare debent. Primò causam, cur non exaudiantur, sæpe non in DEO, sed in ipsis esse, eò quòd in amicitiam cum Deo redire non studeant, id quod bene Isaias cap. 8. indicavit dicens: *non est abbreviata manus DEI, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris eius, ut non exaudiat vos, sed iniquitas vestra divisit inter vos & DEVM vestrum, & peccata vestra absconduntfaciem eius à vobis, ut non exaudiat, manus enim vestra sanguine polluta sunt, & digiti vestri iniquitate.* Quis autem Rex aut Princeps exaudiret Reum manus sanguine Filij sui madidas extendentem? Itaque qui

vul-

vult exaudiri, Ecclesiam monentem audiat: *Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua, si enim cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad DEVM, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo*, ut rectè S. Joannes cap. 3. ait; ne fortè tamen peccator in errorem inducatur, scire debet id, quod modo de orationibus peccatorum non exaudiendis dictum est, non ita esse intelligendum, acsi nullo modo sit utilis oratio, sed tantùm, quòd non ad meritum gratiæque incrementum impetrandum conducat, nam ad ipsam conversionis gratiam obtinendam, vel maximè juvat, adeòque vel hoc etiam titulo negligenda non est.

Secundò sciant tales, se non impetrare, eò quòd malè petant. Ita sanctus Jacobus cap. 4. indicavit dicens: *petitis, & non accipietis, eò quòd malè petatis, ut in Concupiscentiis vestris insumatis*; quæ enim Mater tenello Filio suo cultrum aut sclapetum petenti annuat? an non potiùs melius quid ipsi offert; ita & DEVS sæpe non exaudit ad votum, ut exaudiat ad salutem, quemadmodum sanctus Isidorus advertit; hinc consolatoriè prorsus sanctus Bernardus ait: *Nemo vestrum parvi pendat orationem suam, postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo, & unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut id, quod melius est.*

Tertio, quia non negat, sed differt, ut ait sanctus Augustinus de verbis Domini; *cùm aliquando aliquid tardiùs donat, commendat dona, non negat; desiderata diu dulciùs obtinentur, citò autem data vilescunt. Pete, quare, insta petendo, & quærendo crescas ut capias. Servat tibi DEVS, quod non vult citò dare, ut & tu discas magna desiderare.* Itaque quicunque talis est, deinde cum pio Asceta dicat lib. 3. cap. 15. *Domine, tu scis, qualiter melius est: fac hoc vel illud, sicut volueris, da quod vis, & quantùm vis, & quando vis, quia & res, & mensura, & tempus à te electa scio optima esse.*

Epilogus.

Atque hi modò errores sunt, qui communiùs circa orationem committi solent; quivis ergo illos bene consideret, & tantò impensiùs emendare & devitare studeat, quantò majorem ex iis emendationem, & ex oratione fructuosè obita utilitatem

litatem sperare potest; de reliquo sibi illud sancti Pauli ad Philipp. cap. 4. dictum putet: *nihil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud DEVM: petite & accipietis*, petite, inquam, cum fide, ut credatis DEVM audire: petite cum spe, ut speretis vos exaudiendos: petite cum charitate & constantia, ut mereamini exaudiri: petite in nomine Christi, quia ipse dixit Joan. 15. *Si quid petieritis Patrem meum in Nomine meo, dabit vobis*, hucusque modo, inquam, petite, & accipietis, & sic gaudium vestrum erit plenum hîc temporaliter, & ibi in æternum. Amen.

Exemplar Octavum.

In quo ostenditur quomodo vitium aliquod reprehendi & corrigi debeat?

Thema.

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur. Luc. 14.

Scopus.

Demonstrandum, quàm nullus homo causam superbiendi habeat.

Syllogismus principalis.

Tunc nullam habemus caussam superbiendi, quando omnia, per quæ ad superbiam incitamur, vel Bona non sunt, vel certè aliena sunt; atqui verum est antecedens, ergo etiam consequens.

EXORDIUM.

Solent ij, qui charas aviculas in cubiculo custodiunt, liberum quidem volatum in illo relinqere, sed ne in altum se extollere & evolare queant, alas detruncare; hunc modum & DEVS consuevit servare, habet & Is in hoc mundo aviculas aliquas suaviter quidem canentes, ideóque singulariter ab eo dilectas, id est, tam voce, quàm factis ipsum assiduò laudantes & Benedicentes relinquit etiam ipsis libertatem in agendo, sed ne per superbiam in altum se extollant, & ab eo avolent, vel ipse illis per occultas inspirationes aut libros spirituales alas magnæ de se æstimationis abscindit, vel certè Concionatores, qui hoc faciant, mittit; quare cùm & mihi hoc officium commissum sit, & aliunde mihi notum sit, has alas

alas, quantumcunque abscindantur, semper iterum succrescere, & ego hodie forficem accepi mecum, qua meis Auditoribus alas, si fortè alicui nimiùm iterum succreverint, decurtem. Confido autem, & vos decurtationem hanc tantò libentioribus animis passuros, quantò meliori intentione, solius scilicet gloriæ divinæ & vestræ salutis intentione eam à me fieri nôstis.

Tentatio prima.

Prima tentatio superbiæ oritur *ex statûs amplitudine & dignitate*; hîc enim multos reperire est, qui cum Pharisæo dicant: *Domine, gratias tibi ago, quòd non sim sicuti cæteri hominum*; sed nolite, ô boni, nolite de vestra nobilitate aut dignitate gloriari, quia nisi cum virtute conjuncta sit, ab hominibus quidem vanis & insanis, non tamen perinde etiam à DEO & prudentibus magni fieri aut æstimari solet, id quod jam olim Romani sapienter indicârunt, cùm duo templa ædificârunt, honori unum, virtuti alterum, sed ita inter se connexa, ut nulli ad honoris templum aditus pateret, nisi per virtutis templum priùs transiisset; pulchrè insinuantes omnem splendorem & gratiam, quæ vel nobilitati vel dignitati inest, ex virtute velut nativa matrice nasci debere, uti præclarè etiam sanctus Bernardus advertit: dum dixit: *Virtus mater gloriæ est, sola enim est, cui gloria iure debetur, & securè impenditur; quæ autem est sine virtute aut gloria, profectò indebitè venit, properè afficitur, periculosè captatur.* Notate hoc, ô Nobiles, & unde nobilitas vestra splendorem secum accipiat, discite; certè si primam originem nobilitatis indagare velimus, deprehendemus, olim majores nostros duo potissimùm officia; quæ homines magis virtuosos requirerent, & prudentes, exercuisse, scilicet cultum DEI & Patriæ defensionem; ad gemina hæc officia optimos quosque ex se ipsis elegerunt, & illos quidem, qui ad cultum D E O specialiùs tribuendum fuerunt electi, Canonicos (unde Cathedrales nobilium Ecclesiæ exortæ sunt) alios verò, qui ad Patriam defendendam deputati fuerant, Equites (unde ordo Equitum die Ritterschafft nomen sumpsit) appellârunt, utpote qui equis plerumque vehi consueverunt. In hoc autem selectu non ad ipsum præcisè sanguinem & nativitatem attendebant,

bant, quia bene ſciebant, hac ratione nos omnes æquales e-
ſe, juxta notum diſtychon:

Si Pater eſt Adam Cunctorum, Mater & Eva,
Omnes nónne ſumus nobilitate pares?

Sed virtutis potiſſimùm rationem habebant, non ignoran-
tes, quod ſanctus Bernardus dixit: *Sola nobilitas eſt, eſſe cla-
rum virtutibus*; hinc more ſuo egregiè nobiles S. Gregorius
Nazianzenus hortatus eſt, dicens: *qui generis ſplendorem in-
ctatis, date operam, ut mores quoque nobilitetis.* Sed & vos
qui variis in officiis & dignitatibus conſtituti ſupercilia pro-
pterea attollitis, hanc doctrinam bene notate. mementote
non propterea quòd altiores eſtis, etiam laude & æſtimatione
digniores vos eſſe, id quod ingenioſo nonnemo figmento o-
ſtendit, dum dixit, ortam quondam inter partes domûs Con-
tentionem eſſe, quænam cæteris omnibus præferenda eſſet,
eámque ob cauſſam peritos aliquos æſtimatores ſelectos, qui
omnes partes accuratiùs inſpicerent, & qualia quiſque in ſe
Bona contineret, curioſiùs obſervarent. Itaque initium à
Camino utpote cæteris altiore, quíque adeò haud dubiè pal-
mam ſibi adjudicatum iri ſperabat, factum, ſed in eo nihil
præter altitudinem & extrinſecum candorem, reliqua omnia
nigra, fumoſa, deformia inventa, quare relicto illo ad alias
partes conſiderandas ventum, quæ quantò erant inferiores,
tantò plura & majora in ijs Bona ſunt reperta, quouſque
denique in ipſam cellam deſcenderunt Arbitri, illámque dul-
ciſſimo & ſelectiſſimo vino refertam depræhenderunt, tum
enim exclamare coacti ſunt: Bonum eſt nos hîc eſſe, atque
ſine ulla ulteriore controverſia palmam præcedentiæ cellæ
adſcripſerunt. O quàm pulchrè ſuperborum indolem hic
Caminus explicat! ſunt namque & illi dignitate, & ſtatu al-
tiores aliis, adeóque ijs, qui exteriora tantùm conſiderant,
ſpecioſi apparent, ſed ſi interiora conſiderentur, nihil niſi ni-
gredo peccati, & fumus vanitatis copioſam olim lachrymis
cauſſam præbiturus reperietur, cùm interea humiles dulciſſi-
mo vino ſecuræ & tranquillæ conſcientiæ abundent. Acce-
dit, quòd honor, qui ipſis à ſubditis exhibetur, non ipſis, ſed
DEO exhibeatur, id quod bene quondam Agaſo mulo ſuo o-
ſtendit, dum eidem in publica proceſſione Iſidis Deæ ſtatuam
portanti, & quòd homines ante ſe in genua procidere adver-
teri

terit, elato latus pupugit, dixítque: non tibi, sed Isidi, scilicet honor hic exhibetur. Ita & Servator noster olim Apostolos Lucæ 10. correxit, dum illis ad se cum gaudio venientibus, jactantibúsque, quòd dæmonia illis subijcerentur, dixit: *Nolite gaudere, quia spiritus vobis subiciuntur, gaudete autem, quòd nomina vestra* (propter virtutem) *scripta sint in cælis*; quisquis ergo hâc tentatione pulsari se advertit, illud Eccles. 3. consilium altè menti imprimat: *quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam; quoniam magna est DEI potentia solius, & ab humilibus honoratur.*

Tentatio Secunda.

Secunda tentatio *ex corporis pulchritudine* oritur, cui mulieres præcipuè sunt obnoxiæ, à quibus proinde nihil frequentius auditur: Domine, gratias tibi ago, quòd non sim sicuti cæteri hominum, deformes, pallidi & uno alterôvè membro carentes. His itaque ut alas has præscindam, duas doctrinas, velut duas partes forficis offero, & considerandas relinquo. Prior est, ut bene considerent, quid sit corpus illud pulchrum, unde tantopere efferuntur, nempe ut sanctus Bernardus rectè advertit, fimus hi ve tectus, aut vas stercorum cute bene colorata coopertum, id quod solerter Rex aliquis suis Aulicis declaravit, ut Pater Jacobus Biderman in suis acroamatis refert, dum vas fœditissimo stercore repleri, & supra illud statuam Virginis elegantissimè vestitæ collocari jussit, subinde quid de statua hac Virginis quisque sentiret, edicere præcepit, cúmque omnes eam miris laudibus extollerent, nec satiari ejus aspectu possent, tandem vestes removeri & latentem sub illis cloacam ostendi voluit, simúlque dixit: Ecce hoc est pulcherrimum illud objectum, quod in sano propemodum amore complexi estis. Si simili modo mulieres ejusmodi superbæ interdum mentis oculum, non ad exteriorem speciem vestium & cutem, sed ad sordes intus latentes converterent, profectò & ipsæ cessarent à nimia æstimatione suæ pulchritudinis, atque ad internam pulchritudinem, quæ nulla vetustate aut morbo corrumpitur, totis viribus procurandam se converterent. Posterior doctrina est, quòd non vana duntaxat, sed etiam proximo, quem ut nos

ipsos

ipsos diligere debemus, summè nociva sit pulchritudo, nam ut rectè Salomon ait Ecclesiast. cap. 5. *propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hac concupiscentia quasi ignis exardescit.* Experti sunt hoc Samson, David, Holofernes, & innumeri alij, ut non immeritò aliqui faciem mulieris facie Basiliſci venenatiorem dicere ausi sint, nam Basiliscus non necat, si ipse videatur, sed tantùm si ipse aspiciat alios, mulieris autem facies etiam ab alio conspecta necat, hinc tam solicitè monet Ecclesiast. cap. 9. *Virginem non aspicias, ne forte scandalizeris in forma illius*; Hinc sanctus Job tam arctè pepigit fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de Virgine; an non ergo potiùs tristandi; & se humiliandi; quàm superbiendi occasionem ex pulchritudine sua debent desumere formosæ mulieres, ita sanè, nempe ut pavo pennas suas extensas dimittit, & contrahit, si pedum nigredinem videt, ita & mulieres tales se extollere ob pulchritudinem desinent, si pedes, id est, infelices effectus pulchritudinis considerent. Quare omnes ejusmodi mulieres sapientissimum Salomonis effatum altè pectori suo inscribant. Proverb. 31. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo? mulier timens Dominum ipsa laudabiliter*: Sed & Epitaphium ejusmodi mulieris sepulchro alicuiquopiam olim adscriptum semper in memoria habeant.

Steh still / O Mensch / diß Grab beschau /
Es ligt darinn ein edle Frau /
Sie ware reich / vnd wol gestalt /
Darumb sie liebten Jung vnd Alt /
Jetzt hat die schöne Gstalt ein End /
Jetzt ist all Lieb vnd Gunst zertrent.
Ach trau der eitlen Schönheit nit /
Sonst hast mit Fleisch ein ewigen Stritt /
Vor allem lieb der Seelen Gstalt /
Die ist allein / die nit veralt.

Tentatio Tertia.

Tentatio tertia *ex divitiis* oritur, ob quas non pauci iterum efferuntur, & dicunt: Domine, gratias tibi ago, quòd non sim, sicut cæteri hominum; sed & his non difficile erit alas præscindere, si pariter duas veritates bene perpendant.

Prima

Prima est, quòd divitiarum harum non sint Domini, sed dispensatores tantùm, uti clarè sanctus Job cap. 1. insinuavit, dum omnibus divitiis ablatis dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit*; quis autem non rideat, si Æconomus, Quæstor, aut Thesaurarius Regis ob divitias Regis suæ curæ concreditas, de quibus severissimam olim rationem pendere debebit, supra alios extollere se vellet; verè non superbiendi sed timendi causas habet talis, maximè si terribilem illam sancti Jacobi cap. 5. sententiam ponderare velit: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt, aurum & argentum vestrum eruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Thesaurizâstis vobis iram in novissimis diebus; tunc nempe, quando dicetur: stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ parâsti, cuius erunt?* tunc enim verificabitur, quod Ecclesiast. 41. prædicitur: *O Mors, quàm amara est memoria tua homini habenti pacem in substantiis suis!* Altera veritas est, quòd, qui ejusmodi divitias possident, in manifesto salutis suæ amittendæ periculo versentur, uti jam pridem Servator ipse indicavit, dum dixit Matth. 19. *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis: facilius est Camelum per foramen acûs transire, quàm divitem regnum cælorum*; Quis non exhorreat ad ejusmodi veritatem ab ipso veritatis Auctore prolatam? quis efferatur & superbiet propterea, quòd sibi magis, quàm alteri via ad felicitatem supremam difficilis sit facta, quisquis ergo tali tentatione pulsatur, saluberrimum sancti Pauli monitum sibi applicet, quod per Timoth. cap. 6. divitibus suggeri voluit: *Divitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.*

Tentatio Quarta.

Tentatio quarta *ex scientiis & artibus* oritur, quæ sunt aptissimum nutrimentum superbiæ; hinc meritò dixit Apo-

ſtolus, ſcientiam præ reliquis inflare, faceréque, ut plurimi dicant, non ſum, ſicuti cæteri hominum; ſed neque his difficile erit alas ſuas præſcindere, ſi duo bene perpendant. Primò illam ſancti Pauli ſententiam 1. ad Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* an fortè juſtè gloriatur Puer de pulchra ſcriptura, in qua formanda manum ei Magiſter duxit? aut certè ſuperbiet Concionator de pulchra Concione habita, quam integram ex libro alieno deſcriptam declamavit? an non autem DEVS adhuc operatur omnia in omnibus, & manum ad quævis opera ducit? an non ex illo tanquam ex univerſali libro omnis doctorum ſcientia deprompta eſt? quid ergo vanè gloriantur? certè non modò non efferri, ſed potiùs humiliari deberent, qui ſcientiis ejuſmodi ſunt præditi, ut enim ſol radios ſuos plerumque in caſas tenues & rimoſas magis ſpargit, magísque eas illuminat, ita DEVS peccatoribus interdum majorem ſcientiam communicat, ut magis Rei ſint & puniantur, ſi lumine tali malè abutantur; hinc certè Thomas Kempenſis lib. 1. cap. 2. *Noli extolli de ulla arte aut ſcientia, ſed potiùs time de data notitia.* Secundò perpendant tales, quòd tales artes & ſcientiæ ſint mera inſtrumenta, ac proinde ſicut Chirurgum non inſtrumenta, etſi aurea vel argentea ſint, ſed uſus eorum peritus commendat, ita nec Doctorem aut Artificem ſua ſcientia vel ars laude dignum faciat, niſi quatenus eas ad DEVM amandum gloriámque illius & ſalutem promovendam uſurpat. Id quod eleganter ſanctus Paulus 1. Corinth. 13. inſinuavit, dum dixit: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus ſum ſicut æs ſonans & Cymbalum tinniens*, quaſi dicat, ſicut cymbalum, ad Elevationem hoſtiæ in Miſſa pulſari ſolitum licet plerasque excitet ad pectus percutiendum, variósque affectus bonos eliciendos, nec tamen propterea aliquid laude dignum egiſſe cenſetur; ita nec Doctor, nec Concionator, ſi alios ad DEVM cognoſcendum & amandum excitent, niſi & ipſi faciant, ad quod hortantur, laude digni cenſendi ſunt. Hinc præclarè ſanctus Auguſtinus lib. 12. confeſſus eſt: *O felix ille homo, qui ſcit omnia illa, ſe autem neſcit; Beatus verò, qui ſcit, etſi omnia illa neſciat: Qui verò ſe & illa novit, non propter illa, ſed propter ſe ſolùm Beatus eſt.* Quiſquis ergo ſimi-

simili tentatione pulsatur, sibi applicet, quod olim sanctus Dorotheus discipulo suo Dositheo ad vanam gloriam ex eo, quòd sedulò Infirmis inserviret, capiendam incitato dixit: *Mi Dosithee, tu bonus quidem es Infirmarius, sed non propterea bonus Religiosus.* sic ergo & isti sibi dicant: *Tu quidem es bonus Doctor, Magister, Pictor, Sculptor &c. non tamen propterea bonus Christianus.* Certè adveniente Die Judicii inquit pius Scriptor lib. 1. cap. 3. *non quaretur à nobis, quid legerimus, sed quid fecerimus; nec quàm bene diximus, sed quàm bene viximus; si ergo vis aliquid utiliter scire & discere, ama nesciri, & pro nihilo reputari; hæc est altissima & utilissima lectio, suipsius vera cognitio & despectio.* Dic ergo potiùs cum sancto Paulo: *Ego non iudicavi, me scire aliquid inter vos, nisi IESVM Christum & hunc crucifixum*; Hunc pro Magistro elige, ab hoc veram scientiam cognoscendi & amandi DEVM disce; verè enim *bene doctus est, qui DEI voluntatem facit, & suam voluntatem relinquit*, ait iterum pius Asceta.

Tentatio Quinta.

Tentatio quinta ex vitæ sanctitate seu bonis operibus nascitur, quæ quidem tantò subtilior est, quantò honestior titulus per illa offerri videtur ad gloriandum; si enim, ut suprà dictum est, Virtus mater gloriæ est, an non justè videtur gloriari posse, qui variis virtutibus præditum se advertit? an non jure dicere poterit: *DEVS gratias tibi ago, quòd non sim, sicut cæteri hominum*? minimè, & his profectò alæ præscindendæ sunt, id quod facile erit, si considerare velint, quàm pauca opera eorum Bona futura sint, si ad libram divinæ justitiæ examinentur; nimirum omnes fateri debemus illud Isaiæ cap. 64. *facti sumus immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ Iustitiæ nostræ*: omnes fateri debemus, vitam nostram similem esse argumento Pueri, unam fortè constructionem bonam in argumento, reliqua omnia plena solœcismis & erroribus habentis, aut togæ laceræ mendici pulchrum aliquem centonem assutum gerentis. Hinc meritò sanctus Job. cap. 9. dicebat: *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti*: magis verò adhuc alas æstimationis propriæ tales demittent, si perpendant, quàm

nihil sit omne, quod agunt, si cum debito apud DEVM contracto comparetur, quis enim non stultissimum diceret eum, qui multa millia millionum aureorum deberet alicui, & de his aliquando obolum solvisset, gloriari hâc solutione auderet? atqui idem facit, quisquis ob opera quantumcunq; multa & excellentia gloriatur; nam minor est inter talia opera & Beneficia DEI comparatio, quàm inter obolum & multa millia millionum, hinc rectè Christus Lucæ 17. dixit: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

Epilogus.

Quare colligamus denique omnes doctrinas & salubertimam DEI ipsius admonitionem audiamus per Jeremiam dicentem cap. 3. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nôsse me.* Dicamus proinde cum S. Paulo ad Gal. 6. *absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi.* Dicamus cum sancto Davide. 2. Regum 6. *ludam & vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis*; sic qui se humiliat, exaltabitur, audiétque: *Amice ascende superius*, ad cælum nempe, ubi tantò honorabitur ampliùs, quantò vilior hîc in suis & aliorum oculis fuerit, humilibúsque promissam requiem per totam æternitatem participabit. Amen.

Exemplar Nonum.

In quo ostenditur, quomodo materia aliqua controversistica in Concione tractari debeat.

Thema.

Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno Matth. 2.

Scopus.

Ostendenda motiva fidei Catholicæ, mediáque ad eam conservandam offerenda.

Syllogismus principalis.

Sancti tres Reges videntes Stellam valde gavisi sunt, eámque promptè sequebantur, quia eos ad Christum ducebat; Atqui sunt

similis est stella Fides Catholica; Ergo Catholici quoque, quibus ea apparuit, valde gaudere, eámque promptè sequi debent.

EXORDIUM.

Laudabilis apud quosdam Religiosos mos est, ut singulis annis semel vel sæpius renovationem quandam votorum instituant, idque ob tres potissimùm fines. Primò ut hâc ratione memoriam Beneficii per vocationem ad religiosum statum accepti renovent. Secundò ut ad gratias pro eodem Beneficio referendas se exstimulent. Tertiò ut in concepto proposito se firment, dispiciántque, quomodo vocationem suam per opera convenientia, certam facere possint. Hunc morem sancta Mater Ecclesia optat ab omnibus Christianis observari, & quidem hodierno potissimùm die, in quo Gentes ad agnitionem veri luminis vocatæ sunt, atque adeò Catholica Fides initium sumpsit. Eum in finem cum tanta solemnitate festum hoc celebrat, ut vix ullo in alio similem adhibeat, utpote cujus octavam non nisi per summa festa interrumpi sinit; ut ergo tam pio & sancto dilectissimæ Matris desiderio cum debita reverentia & subjectione satisfaciamus, & hodiernum diem cum spirituali gaudio celebrantes, fidei nostræ professionem alacri gratóque animo renovemus, ostendam in præsenti Concione, quàm verè dici possit, & nobis stellam apparuisse, per quam verè ad Christum credendum, adorandum, imitandum & amandum ducamur; Quomodo proinde hanc stellam sequi & conservare deinceps debeamus, vos interea non aures tantùm mihi benevolas porrigite; sed mentis etiam oculum ad tantam stellæ pulchritudinem contuendam ultrò aperite, & convertite.

Pars Prima.

Atque ut à prima Concionis meæ parte incipiam, & fidei nostræ cum stella, quæ magis apparuit, similitudinem ostendam, id haud difficile mihi accidet, si proprietates, quas stella hæc habuit, accuratiùs ponderemus, & quàm verè etiam in nostra fide reperiantur, luculenter demonstremus. Quatuor autem præcipuè in stella Magorum considerandas proprietates invenio.

Prima est, quòd *unica* fuerit; eadem enim, quæ ipsos ex

Patria exciverat, eadem, in quam, postquam ab Herode discesserunt, iterum illis apparuit, & ad Christum perduxit. hæc proprietas etiam pulchrè fidei nostræ convenit, ut elegantèr sanctus Leo Magnus more suo Sect. 4. in Nativitate Domini ostendit his verbis: *Magnum præsidium est, fides integra, fides vera, in qua nec augeri ab ullo quidquam, nec minui potest, quia nisi* una *est, fides non est, dicente Apostolo ad Ephesios 4. Vnus DEVS, una fides, unum Baptisma, unus Dominus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, huic unitati, dilectissimi, inconcussis mentibus inhærete, & in hac omnem sectamini sanctitatem, & in hac præceptis Domini inservite, quia sine fide impossibile est placere DEO, & nihil sine illa sanctum, nihil castum, nihil vivum; justus enim ex fide vivit.* Hanc unitatem etiam ipse sponsus Canticorum 5. in sponsa sua, quæ Ecclesiam significat, laudavit, dum dixit: *Vna est columba mea, perfecta mea*; & meritò hæc unitas pro primario signo veræ fidei assignatur, quia cùm fides sit universalis regula juxta quam dirigere viam, id est, actiones suas debent Christiani meritò unam & indivisibilem esse oportet, cùm veritas in indivisibili consistat. Jam verò hanc unitatem Fidei Catholicæ convenire, usque adeò clarum est, ut nemo, nisi qui pertinaciter resistere veritati velit, negare id possit; percurrat sanè quis omnes orbis partes Europam, Asiam, Africam, Americam, & ubique eosdem fidei articulos à Doctoribus Ecclesiæ tradi & explicari deprehendet, cùm tamen apud Hæreticos usque adeò dissentiant in substantialibus, ut in eadem non dicam Provinciâ, sed etiam civitate discrepantes doctrinæ circa Sacramentorum numerum aliásque similes doctrinas reperiantur. Neque obstat, qnòd etiam inter nostros Doctores magna interdum circa Theologicas doctrinas discordia inveniatur; nam etsi hoc non negemus, nunquam tamen hæc differentia circa articulos fidei versatur, ubi enim de his agitur, mox oculos mentis claudunt, & cum debita reverentia judicium suum definitionibus Ecclesiæ, utpote per spiritum sanctum illustratæ subjicunt, uti passim præfixæ in libris protestationes testantur.

Secun-

Secunda proprietas erat ſtellæ, quòd fuerit valde *ſplendida & fulgens*, non quocunque ſplendore, ſed Sancto & efficaci, qui propterea ita permovit tres Sanctos Reges, ut ſine morâ patriam ſuósque deſererent, & ſtellam hanc ad Chriſtum ducentem ſequerentur; per quam quidem proprietam pulchrè altera fidei veræ proprietas, ſcilicet ſplendor Sanctiratis adumbratur, quæ ſanè Sanctitas usque adeò neceſſaria eſt ad veram fidem, ut ſine ea neutiquam fidei divinæ rationem & nomenclaturam mereatur, cùm enim fides in hac vita in locum luminis gloriæ ſubſtituatur, atque adeò potiſſimum ſit inſtrumentum, quo homo ad Deum velut ultimum ſuum finem ex toto corde amandum dirigitur & excitatur, hic amor autem perfectè haberi non poſſit, niſi homo per Sanctitatem totus Dei obſequio conſecretur, & ab omnibus quidem, quæ Deo diſplicent ſtudiosè abſtineat, ea verò, quę eidem placent, accuratè exſequatur, facilè apparet, eam duntaxat fidem pro vera cognoſcendam eſſe, quæ, quantum eſt ex ſe, homines ad ſummam Sanctitatem perducit, & ad Chriſtum, qui ad eam docendam in hunc mundum miſſus eſt, perfectè imitandum impellit; hoc autem noſtram fidem præcipuè facere, quis ignorat? ubi enim major cum Deo familiaritas, accuratius perfectionis ſtudium, ſtrictior paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ obſervatio, generoſior in adverſis conſtantia, &, ut verbo omnia abſolvam, perfectior Chriſti imitatio reperitur, quàm in noſtra fide ac religione? Econtrario verò quis Sanctam fidem dicat Adverſariorum, quæ in ſolo ferè interno affectu conſiſtens non modo ad opera Sancta non impellit, ſed ea omnia ut panno menſtruato ſimilia deteſtatur? Neque dicere poſſunt Adverſarii, ſuam fidē rectiùs huic ſtellæ comparari, eo quòd multo certiùs ad Chriſtū ducat, utpote quē ſolū Mediatorē ipſi agnoſcūt, nā hic, vel ipſe reſpondebit Matth. 7. dicēs: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnū cælorum.* Nimirū, ut bene notat Apoſtolus ad Titum cap. 1. *Confitentur ſe nôſſe Deum & Chriſtum, factis autem negant, cùm ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi*; Quomodo enim imaginari poſſumus, eos in Chriſtum credere, eúmque amare, qui vitam ejus Sanctiſſimam & virtutes ab eo nobis in exemplum relictas tam parvi faciunt, & imitari renuunt? aliter ſanè nos Sanctus Joannes dilectiſſi-

mus ejus discipulus informavit. 1. Joan. 2. dicens: *Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.*

Tertia proprietas stellæ Magorum erat, *quòd miraculi fuerit producta*; neque enim fuit ordinaria quædam stella neque Angelus quispiam in stellæ forma apparens, sed vera stella à Deo de novo unicè ad hunc finem creata, ut Magos mirabiliter ad præsepe perduceret, quæ quidem proprietas iterum pulchrè demonstrat nostram fidem illi stellæ similem esse, & ad Christum ducere, utpote cui proprium quodam modo sit, miraculosam esse, seu miraculis confirmari, cujus quidem necessitatis ratio vel ex ipsa natura locutionis seu revelationis desumitur, hæc enim cùm obscura sit, atque adeò in se non cognoscatur evidenter, meritò debebamus infallibile quoddam in eo judicium reperire, per quod cognosceremus, eam non ab homine, sed ab ipso Deo provenire, atque adeò necesse erat, ut homini vel alteri locutionem hanc Dei proponenti talibus operibus assisteret, quæ à nulla pura creatura patrari possunt, ex quibus tanquam Dei sigillo locutio illius cognosceretur, quæ quidem opera miracula vocamus, de quibus proinde ipse Christus Joan. 10. dixit: *Si mihi non vultis credere, operibus meis credite*, utpote quæ sunt manifesta testimonia Patris cœlestis per me loquentis, nam ut Joan. 1. dixit: *Ego maius habeo testimonium Ioanne*, opera scilicet, quæ dedit Pater, ut conficiam; *ipsa opera, quæ Ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me*; sed & ipsa experientia satis confirmat, ubicunque fides promulgata est, eam ab initio miraculorum auxilio fuisse plantatam, uti nostris adhuc temporibus in novo orbe videre est, id quod adeò clarum judicatur, ut ipse etiam Lutherus Tomo 2. Witt. folio 245. §. 1. id fatetur, dicens, instruendum esse populum, ut suos Verbi Prædicatores quærat, quis te misit? ubi sunt tuæ litteræ & sigilla? ubi miracula, quæ te legitimè missum testantur? neque recte dicunt Adversarii, non ampliùs necessaria esse miracula, cùm fides nostra satis firmiter jam radicata sit; nam etsi non sit adeò necessaria, ut quivis, qui eam prædicat, maximè apud eos, qui jam bene instructi sunt, ea facere debeat, sunt tamen ita necessaria, ut DEUS semper adhuc eam quodammodo foveat & conservet per illa, sicut etiam bene radicatis arboribus

non

non quidem opus est quotidiana irrigatione, necessaria tamen est pluvia suo tempore mittenda, ne defectu succi exarescant; cùm ergo in sola nostra catholica fide hæc irrigatio per continuatam miraculorum patrationem usque ad hanc horam reperiatur, nulla autem ab ullis Hæreticis patrata conspiciamus, an non meritò nobis potiùs, quàm illis veræ fidei stellam illuxisse credamus, & gratulemur? neque dicere possunt Adversarii multa apud nos falsa miracula pro veris vendi, nam neque nos hoc negamus; neque tamen inde infertur rectè, nulla vera miracula reperiri aut patrari, cùm hæc ab illis per personarum ea patrantium Sanctitatem, intentionis rectitudinem, constantem durabilitatem, aliásque similes circumstantias, per quas Christi & Apostolorum miracula vera fuisse cognovimus, facilè distinguere valeamus.

Quarta tandem proprietas stellæ Magorum erat, quòd *de cælo missa sit*; inde enim SS. tres Magi collegerunt, se ad eam sequendam vocari; quæ proprietas ante omnes ostendit, & probat, fidem nostram huic stellæ similem esse, cùm enim ex una parte missio usque adeò necessaria sit ad Evangelii prædicationem, ut ipse Dei Filius hoc officium suscipere noluerit, nisi priùs à Spiritu Sancto super eum apparente ad illud instructus, & à Patre æterno dicente: *hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite*: testimonium accepisset; & ipse etiam Lutherus in Psalm. 82. Them. 2. folio 140. dicat: **Alle Pfarrer und Obrigkeiten sollen fleissig auffmercken/ und dieser Sach halben ihre Anhörer embsig ermahnen/ daß sie die Prediger/ so sich selbsten eintringen/ als Mausköpff und gewisse Botten deß Teuffels vermeyden.**

Ex altera verò parte apud nos pulcherrimo ordine ab ipsis usque Apostolis continua Successio Pontificum & Episcoporum ostendi queat, non autem apud Hæreticos, uti fusè ostendunt Controversistæ, an non meritò iterum nostram fidem pro vera stella ad Christum perducente agnoscamus, & gaudeamus?

Pars Secunda.

Ita sanè. Credo ergo vos agnoscere tandem Vocationis vestræ magnitudinem, sed quia ex parte vestra requiratur, nunc scire forsan desideratis? ut ergo huic desiderio respon-

deam, aio breviter, tria à vobis requiri. Primò ut summas
constantes pro Beneficio hoc gratias tantò frequentiùs dei
ceps agatis, quantò clariùs illius magnitudinem modò co
gnovistis; quid enim mei Auditores, diceretis, si inter mul
millia cæcorum in uno loco congregatorum & vos pariter
cæci consisteretis, & inter tot millia unum duntaxat vel alte
rum Deus à sua cæcitate curâsset, an non summum sibi & in
æstimabile Beneficium collatum talis censeret? an non a
summas ei gratias agendas summè obligatum se fateretur
arqui simile vobis Beneficium modò obtigit, dum intra tr
millia Hæreticorum vobis ante omnes illos verum fidei lu
men illucescere fecit, an non gratias tantò ampliores agetis
quantò major est miseria cæcitas animæ, quàm corporis, &
quantò graviora sunt pericula & damna, in quæ ista præcipi
tat? an non ergo vobis patiter ac Tobiæ à cæcitate libera
to, & quomodo gratum se exhibere posset, à Sancto Raphaele
scire cupienti, dictum putabitis: *Benedicite DEVM cæli & ter
ræ, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vo
biscum misericordiam suam.* Secundò aio diligenter caven
dum, ne ad Herodem Christi inimicum vos convertatis, id
est, ne cum Hæreticis sine necessitate conversemini, sed illud
Sancti Pauli consilium sedulò observetis Tim. 3. *Hæreticum
hominem post unam & secundam correptionem devita, sciens,
quia subversus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit propri
iudicio condemnatus.* Idem monet Sanctus Joannes 2. epist.
his verbis: *si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert,
nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis, qui enim dix
ei ave, communicat operibus eius malignis*, sicque suo damno
verificat commune proverbium: Qui amat periculum, per
ibit in illo. Tertiò denique promptè sequendam aio, id
quod fiet, si vitam principiis fidei nostræ conformem institu
tueritis, seu quod idem est, si vocationem vestram ad catholi
cam fidem juxta S. Pet. 2. cap. 1. per bona opera certam facere
studeatis: *quid enim proderit, Fratres mei*, ait rectè Sanctus
Jacobus cap. 1. *Si fidem quis dicat se habere, opera autem non
habeat? nunquid poterit fides salvare eum?* vultis autem sci
re, quænam à vobis opera exigantur? audite Sanctum Gre
gorium Nyssenum tract. de nom. & confess. Christi ea diffu
tè explicantem: *Christianismus inquit est, imitatio divinæ
natura*

natura; si igitur Christianus es, Christum Deum imitare; noli vacuum ferre nomen atque inane, sed plenam tanti mensuram nominis imple, imple, inquam, operibus nomine dignis.

Epilogus.

Agite ergo, Auditores, & quandoquidem simili cum Sanctis tribus Magis gratiâ vos dignatus est Deus, simili quoque modo gratos exhibere vos studete, sequimini promptè lucentem hanc fidei stellam, certóque vobis persuadete, ab eâ quodammodo repeti, dicíque ad vos illud Christi: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Joan. 22. verè enim inveniet Christum æternam sapientiam, atque adeò experietur id, quod Proverb. 8. Salomon in illius persona dixit: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem in Domino*, quam nobis omnibus per ejusdem servatoris nostri merita concedere dignetur, Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Amen.

Exemplar Decimum.

In quo ostenditur quomodo catechetica aliqua doctrina in concione cum fructu explicari possit.

Thema.

Quid ergo Baptizas, si tu non es Christus?

Scopus.

Declarandus usus aquæ lustralis, atque ad eam piè adhibendam Auditores excitandi.

Syllogismus principalis.

Tunc meritò frequenter & piè aqua lustralis est usurpanda, quando varia tam animæ, quàm corpori commoda præstat; atqui præstat talia commoda, ergo frequenter & piè est usurpanda.

EXORDIUM.

Vereor, ne dum paulò ante hanc Concionem aqua lustrali de more à Sacerdote conspersi estis, etiam vos mente saltem ad eundem dicatis: Quid tu Baptizas? cur nos hâc aquâ Conspergis? quem fructum inde sperare possumus? huic ergo Quæstioni in hac Concione tantò accuratius respondebo, quan-

quantò pauciores sunt, qui noverunt æstimare aquæ lustr
lis, quæ dominicis diebus benedici solet, præstantiam. Dica
ergo primò de origine aquæ lustralis, & effectibus illius. Se
cundò corollaria aliquot subjungam, quæ propter causſæ
militudinem etiam aliis ejusmodi rebus Benedictis seu sacra
mentalibus, ut vocant Theologi, facilè & cum fructu appli
cari possunt; cùm ergo plurimum referat, ut ejusmodi re
rum utilem piúmque usum bene addiscatis, & practicem
spero quoque, vos magna cum attentione & voluptate dicen
tem audituros.

Pars Prima.

Primam ergo partem quod attinet, sciendum, jam olim
apud Ethnicos fuisse morem, ut, priusquam ad templum ac
rent, aquâ se lavarent, judicantes, indignum esse, ut homines
ad Deos locuturi accederent, nisi priùs purificati; hinc e
iam in veteri testamento & novo similis mos retentus est, &
in veteri quidem exod. cap. 30. singularis locus & vas consti
tutum est, in quo Aaron & Filii ejus ad altare accessuri se la
varent, sed & Populus num. 19. sæpe conspersus est, ut mundi
tus per ejusmodi asperſiones tantò digniùs coram DEO com
parere & Sacrificio precesque offerret. In novo verò testa
mento apud primos Christianos similem modum retentum
testatur Sanctus Paulinus Nolanus Epist. 31. dum ait, fontem
ante templum stetisse, in quo ingressuri templum lavarent
manus, & sic ad litteram servarent illud Sancti Pauli 1
Tim. 2. *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus* &c.
quia verò Deus magis optat, ut homines puro corde, quàm
corpore ad ipsum accedant, Ideo Sancta Mater nostra Eccle
sia, sicut semper in perfectione crevit, ita meliores quoque
Cæremonias introduxit; &, ne antiquas consuetudines pen
tus deleret, in perfectiores mutavit, ideóque aquam lustralem
per suos Sacerdotes Benedici jussit, quem morem deinde Ale
xander Anno Christi 132. ab universa Ecclesia observa
præcepit, & id quidem duplicem ob causſam. Primò ut ho
mines, qui aqua se conspergunt, vel consperguntur, memine
rint animam suam mundare, ut puriori cum conscientia De
um precentur, & sic tantò faciliùs impetrent quod petunt
non enim aqua hæc habet vim per se delendi peccata, sed

vat tantùm ad excitandam contritionem, per quam deinde peccata dimittantur; unde Ecclesia in aspersione utitur his verbis Sancti Davidis Psalmo 50. *Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.* Item: *Miserere; mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam:* hæc ergo & similia verba quivis etiam Christianus, dum templum adit, & aqua lustrali se aspergit, sive, dum domo egreditur, sive noctu somnum capit, usurpare deberet, & magnum haud dubiè fructum ex tanto usu reportaret. Secundò benedicitur hæc aqua, ut varia per illius pium usum Beneficia & favores hominibus conferantur, quæ quidem sunt duplicis classis; nam aliqua ad animam, & alia ad corpus referuntur; ad animam pertinent, quod Diabolus pellatur à nobis & nostris rebus, hunc enim in finem exorcismus seu adjuratio adhibetur in Benedictione hujus aquæ, quem effectum Sanctus Norbertus cum suis Monachis specialiter est expertus; cùm enim monasterium ædificare vellent, & integri exercitus Dæmonum impedire eos volentium apparerent, mox aquâ Benedictâ & signo Crucis pulsi sunt, ut in ipsius vita legitur. Simili modo Sanctus Anno Episcopus Colonienſis, cùm in agone dæmonem vidisset, aspergillum petiit, & hostem aquâ lustrali fugavit; imò Sanctus Macrobius obsessam Mulierem non alio modo à dæmone, quàm per hanc aquam pro potu datam liberavit; Unde eadem aqua etiam à turpibus cogitationibus & phantasmatis sanat; si enim dæmonem à corpore arcere potest, quantò magis ab animo poterit? hinc aqua Benedicta miscetur sale Benedicto, ut sicut sal à putredine carnes defendit, ita etiam animum à Spirituali putredine turpium cogitationum tueatur. Tertio præparatur per pium hujus aquæ usum mens hominis, ut rectiùs orationem, divinâque alia mysteria peragat, & ideo in altarium & templorum Benedictione adhibetur hæc aqua, ut à locis talibus omne devotionis & orationis impedimentum excludatur; imò ob hanc ipsam causam solet aqua talis ad fores Ecclesiæ constitui, ut ejus usu Christiani se adversus dæmonis potestates & insidias defendant. Jam verò corporales effectus quod attinet, illi quoque ad tres revocari possunt classes. Prima classis est, quòd magicæ artes à corporibus arceantur, vel certè infirmentur; sic anno 1609.

Pistor

Pistor à maleficio, quo panem pinsere prohibebatur, liber-
tus est, ut in Pædagogo Christiano parte 6. cap. 6. videre est;
sic etiam Sanctus Hilarius Ethnico, cujus equus incantatus
fuerat, hanc aquam dedit, & veneficium depulit. Secunda
classis est, quòd morbos à corporibus dispellat; sic Sanctus
Arnolphus quinque ægros solâ aquâ Benedictâ sanavit: San-
cta Brigitta tribus cæcis per eandem aquam visum restituit;
Sanctus Wilibaldus pestis rempore eam potandam dedit, &
multos liberavit; sed & pecorum morbos fugavit, sic Pæda-
gogus Christianus refert, quendam, cùm multos equos in it-
nere amisisset, & ille, quo vehebatur, graviter ægrotaret, a-
quâ à Patribus Societatis acceptâ sibi & equo Medicinam
tulisse; sic in Ancyra urbe cùm pestis pecus absumeret,
Theodorus aquâ hâc oblatâ, malum totum avertit. Tertia
classis sunt. Quòd tempestates & noxia animalia pellat ab
agris; sic S. Vincentius Fererius grandem tempestatem aver-
tit, & serenitatem obtinuit. Idem locustas, quæ 14. diebus
agros devastabant, ad unam omnes eâdem aquâ occidit, insu-
pérque fertilitatem impetravit; quod adhuc magis confir-
mat aliud exemplum quod anno 1603. in Æthiopia contigit,
ubi Pater Petrus Paz Rusticis dividens aquam hanc omnes
locustas fugavit, solis Hæreticorum agris, & uno ex Catho-
licis, quem mulier incredula non asperserat, vastatis uti idem
Pædagogus refert. Hi sunt ergo effectus aquæ Benedictæ,
quos omnes Ecclesia petit à DEO, dum in aquæ hujus Bene-
dictione his verbis utitur: *Virtutis tuæ Benedictionem infun-
de.*

Pars Secunda:

Atque ex hactenus dictis aliquot corollaria deduco, &
Primò quidem hinc deduco, quòd malè illi faciant, qui ne-
scio ex quo contemptu aut negligentia omittunt aquam hanc
domum portare, & usurpare; quid mirum si Diabolus, mali
homines & varia infortunia ad tales domos accessum habe-
ant? vult quidem, ô Auditores, vult Deus juvare, sed vult et-
iam media à se ordinata adhiberi, inter quæ non postremum
est hæc aqua; aliter æstimavit hanc aquam mulier illa, de
qua Pædagogus testatur, quòd in Insula Japoniæ sæpe ad
quinquaginta vel Sexaginta passuum millia miserit, ut affer-
retur.

Secun-

Secundò deduco, quantam curam debeant habere Patres & Matres, ut eorum liberi, quando vel cubitum eunt, vel domo exeunt vel templum ingrediuntur, hâc aquâ aspergantur, certè in vita Sancti Dominici legitur, quòd ipsa Beatissima Virgo noctu dormientes Fratres hâc aquâ asperserit. Maximè verò in agone apud ægros perpetuò hæc aqua adesse deberet, eâque sæpius æger aspergi ne hostis infernalis accessum habeat.

Tertiò deduco, quàm graviter peccent, qui hanc aquam irreverenter tractant, vel omnino ad varias superstitiones abutuntur; grande profectò hoc peccatum est, ideo sæpe graviter punitum; rectius proin faciunt, qui pio affectu & reverentiâ ad cibos suos & Brutorum suorum parandos, ad lac & Butyrum coagulandum &c. utuntur; atque ne vobis deesse hæc aqua possit, scitote, sufficere ad hoc ut aqua Benedicta censeatur, si illi, quæ Benedicta est, misceatis aliam, modò plus de aqua Benedicta semper remaneat; addo quòd paucæ guttæ eundem effectum habeant, quàm multæ, cur ergo una vel altera mensura pro tota hebdomade non sufficiat?

Sed dicet forte non nemo, cur ergo multa pecora aut agri aut homines pereunt, vel damnum patiuntur, etiamsi aqua hæc Benedicta adhibita fuerit? Respondeo & Quæro, cur multi ægri moriuntur, licèt medicinas sumant? nimirum Bona sunt hæc remedia, sed non infallibilia, quia ergo non scimus, an non in hoc vel illo casu profutura sint, hoc ipso adhibere ea debemus, quoties possumus, certi, aut speratum effectum Deum concessurum, aut id, quod magis nobis utile esse cognoverit. Addo tamen sæpè diffidentiam nostram in caussa esse, quia cum modica fide & reverentiâ tales res Benedictas adhibemus.

Epilogus.

Ergo saltē deinceps clamemus cum Apostolis: *Domine, adauge nobis fidē*, quâ has & similes Cæremonias credamus; imaginemur, à Deo nobis ostendi fontem aquæ Benedictæ, & dici illud Isaiæ 15. *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus salvatoris.* Clamate ergo cum muliere Samaritana Joan. 4. *Domine, da mihi hanc aquam*, imò ipsi haurite, & ita in templo, domo & aliis occasionibus erga vos & liberos ac pecora vestra, usurpate,

pate, ut fiat hæc aqua, hic quidem in salutem corporis animæque, in altera autem vita fons aquæ salientis in vitam æternam. Amen.

Caput II.

Quomodo de Beatissima Virgine Concionis variæ haberi possint.

Variæ sunt occasiones, in quibus oportet Concionem de hac Sanctissima Cæli Regina instituì, sed tres præcipuæ quarum prima se in Festis ejus offert. Secunda in peregrinationibus ad templum aliquod miraculis celebre institutis, uti non rarò contingit. Tertia denique in Congregationibus, Rosarii præcipuè, quales plerumque in celebrioribus paulò locis reperiuntur! pro singulis ergo his occasionibus unam vel alteram Ideam in hoc capite proponam, simúlque conceptus aliquot subjungam, ad plures ejusmodi conciones facili negotio habendas.

§. I.

De Concionibus in Festis Beatissimæ Virginis Mariæ habendis.

Triplicis generis Conciones in Festis Beatissimæ Virginis instituì possunt, scilicet vel ad ipsum Festum accommodatæ vel Beatissimæ Virginis excellentiam, potentiam, Charitatem erga homines, aliáque similia motiva ad ejus amorem, licientia exsplicando; vel denique modum eam colendi, riásque exercitationes ad eam pertinentes proponendo, singulis Ideam seu exemplar in hoc paragrapho ostram.

Exemplar Primum.

In quo ostenditur, quomodo Concio de Beatissima Virgine Festo accommodata haberi queat.

Th

Thema.

Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, Matth. 1.

Syllogismus principalis primus.

Tunc meritò creditur Beatissimam Virginem sine macula esse conceptam, quando solidis rationibus, tum ex auctoritate ipsius Dei, tum variarum Doctorum, tum ex ipsa Maternitate huius Sanctissimæ Virginis petitis, ad id credendum persuademur; atqui verum est antecedens, ergo etiam consequens.

Syllogismus principalis secundus.

Tunc meritò immaculati animi ac vitæ studium ferventer suscipitur, quando hic modus immaculatam conceptionem Beatissimæ Virginis colendi est, tum in se perfectissimus, tum eidem immaculatæ Virgini gratissimus; atqui ita se res habet, ergo &c.

EXORDIUM.

Si hodiernum festum considerem, mihi videtur circa illud plerisque Christianis accidere, quod illis evenire solet, qui gemmam aliquam pretiosam invenerunt; sed quia illius pretium ignorant, parvi faciunt, ideóque etiam nullum aut exiguum fructum aut solatium ex eo referunt. Ita, inquam, & plerique Christianorum celebrant hoc Festum, sed cum exigua devotione ac fructu, quia nesciunt, quale sit hoc Festum, quàm gratum Beatissimæ Virgini, & quomodo illud colere debeant; his ergo hac Concione succurram, & docebo inprimis. Quid sit festum Conceptionis. Secundò quàm gratum sit Beatissimæ Virgini, si debito modo id colatur. Tertiò quomodo id ipsum celebrare debeamus, quæ omnia ut dignè & cum fructu præstare possim, ad te me Converto, ô Virgo purissima, dicoque cum Ecclesia: *Dignare me laudare te, Virgo Sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos*, ut Auditoribus meis tuam Sanctam & immaculatam conceptionem dignè explicare & probare, eósque simul in tui amorem accendere valeam.

Pars Prima.

Atque ut à prima parte incipiam, sciendum est, primum nostrum parentem ab initio originali justitia praeditum fuisse, id est tali qualitate, per quam plenum dominium habebat super omnes suas potentias ita ut sine ulla difficultate à peccatis abstinere, & Bona opera facere posset; postea verò Deum certam arborem in Paradyso ei ostendisse, & tale cum illo pactum fecisse, ut, siquidem abstineret ab esu fructuum illius arboris, eandem originalem gratiam in omnes posteros transfunderet; si verò comederet contra Dei Mandatum, omnes posteri ejus originali gratia carerent, nisi per speciale[] privilegium eximerentur; & ita reipsa contigit, nam cùm serpens Evam, & Eva Adamum induxisset ad pomum de illo ligno comedendum, mox non tantùm Adam & Eva originali justitia privati; & è Paradyso ejecti sunt, sed etiam decretum â Deo factum est, ut omnes, qui ex Adamo per ordinariam generationem generandi essent eâdem pœnâ involverentur, unde breviter duo colligere licet.

Primò quid sit peccatum originale videlicet peccatum primi parentis quatenus nobis imputatur, & ob id nos gratia originali privati sumus; unde sequatur, tres effectus mali in corpore, scilicet infirmitates, mortem, & putrefactionem tres in anima, scilicet concupiscentiam inordinatam, cæcitatem animæ & mortem æternam, seu privationem visionis Beatificæ exortos esse.

Secundò colligitur peccatum hoc originale omnes homines nus puros homines ab Adamo per naturalem generationem descendentes contraxisse, solâ Beatissimâ Virgine excepquam, licèt aliqui pariter in originali peccato fuisse concaptam asserant; plerique tamen hodie Auctores contrarium tenent, idque triplici ratione satis efficaci persuadent. Primò variis Congruentiis ex Filiatione Christi & Maternitate hujus Sanctissimæ Virginis petitis, sed hæ utpote subtiliores Theologis relinquendæ sunt. Secundò probant id ipsum ex variis revelationibus & miraculis, quæ, uti magis ad fo-

forum pertinent, ita non aberit aliquas narrâsse. Et primò quidem ipsa Sanctissima Virgo Sanctæ Brigittæ dixit, se esse sine macula conceptam, & hoc non definiri à sede Apostolica, ut Fideles habeant magis occasionem suum erga ipsam affectum ostendendi, uti Bernardus de Bustis Sect. 1. p. 1. refert, idem etiam aliàs Canonico revelavit, uti Sanctus Anselmus lib. 1. miracul. cap. 7. scribit, nam, cùm Canonicus iste noctu per aquas ex fornicatione rediret, & Matutinum de Beatissima Virgine recitans à Dæmonibus eversâ naviculâ submersus esset, jámque ab iisdem ad infernum raperetur, subitò ab hac Sanctissima Virgine ereptus est, audivítque, si gratus esse vellet, operam dare debere, ut à fornicatione deinceps abstineat, & Festum immaculatæ conceptionis devotè celebret: Deinde ipse etiam Sanctus Thomas, cujus auctoritate tamen se maximè tuentur Adversarii, Fantino Episcopo Patavienſi id revelavit, cùm enim Episcopus hic legeret tertiam partem Sancti Thomæ, & miraretur, quòd ibi determinâsset, quod Beatissima Virgo in originali peccato sit concepta, apparuit ei Sanctus Thomas dicens: Scias Domine Episcope, quòd, quando talem opinionem posui, solùm habui respectum ad statum, quo Beatissima Virgo peccatum ortginale contrahere debuerat, nisi per Filium suum esset præservata; sed DEI filius Matrem suam ab omni macula præservavit. Ita Nicolaus de Padua, tum ejus Vicarius & Doctor asserens, se ab hoc Episcopo visionem hanc non sine magna lachrymarum effusione propriis auribus audivisse, teste eodem Bernardo de Bustis. Sect. 7. cap. Id ipsum verò aliis adhuc miraculis est confirmatum, inter quæ primum meritò locum habere debet, quod Alexandro Alensi viro doctissimo ex ordine Sancti Francisci contigisse scribitur, cùm enim hic in festo Conceptionis coram tota Universitate doceret, Beatissimam Virginem esse in macula originali conceptam, repentino ac gravi morbo correptus, eóque singulis annis eodem die redeunte tentatus est, donec votum fecit, se librum de immaculata conceptione compositurum, hoc enim votô facto mox sanatus est, & postea in morte sua assiduè hæc verba ingeminavit: Maria, Domina mea, tota pulchra es, & macula originalis nunquam fuit in te. Nec minùs mirabile est, quod idem

Bernardus de Bustis in Civitate Mantuæ accidisse narrat, quòd scilicet cùm Dominicanus quidam in solemnissima disputatione probare vellet, Beatissimam Virginem esse in macula conceptam, omnia verba in ejus ore mutata sint, dixeritque, propono vobis istam veram conclusionem, quòd Beatissima Virgo sit sine macula concepta, cúmque Fratres irascerentur, & ille emendare vellet, nihil aliud dicere potuerit. Sed quia fortè similes revelationes & miracula ab Adversariis ut incerta explodentur, ideo tertium argumentorum genus ex affectu erga Beatissimam Virginem petitum sic formant nostræ sententiæ Auctores: quidquid probabiliter & sine incommodo Beatissimæ Virgini attribui potest, id meritò tribuitur, sed hoc fieri potest in immaculatæ conceptionis assertione, ergo meritò asseritur. Major est Sancti Augustini, Bernardi & aliorum; minor autem ex eo probatur, quòd major pars Doctorum ita sentiat, neque ullum in conveniens ex tali assertione secuturum appareat, sed potiùs magni favores & gratiæ ab hac Sanctissima Virgine, quia & ipso Christo sperari possint, si tam honorificè de illa sentiamus & loquamur, quidni ergo id agamus? atque ex hoc patet nunc, quid sit dies conceptionis, nimirum dies ille, quo devota mente recolimus Beatissimam Virginem esse sine macula conceptam, ideóque ipsi quidem Deo gratias agimus pro tanto favore, ipsi verò Sanctissimæ Virgini gratulamur tale privilegium, debitúmque ob id honorem exhibemus. Et hoc Festum jam olim in ipso etiam cælo celebratum est, uti supra citatus Auctor Sect. 8. p. 3. & 4. refert, & meritò vix enim aliud tam gratum est Sanctissimæ Virgini, quia per hoc in memoriam revocatur donum, quod soli ipsi convenit, & quo ex speciali affectu Dei erga ipsam ante omnes alios homines condecorata est; cùm ergo honos iste Sanctissimæ Virgini exhibitus in totum etiam genus nostrum humanum quodammodo redundet, meritò exclamamus cum Beskidensibus Judith. cap. 15. *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu Honorificentia Populi nostri*, & illud 1. Matth. repetimus *absit rem istam facere, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.*

Pars Secunda.

Sed videor audire vos dicentes, non dubitare vos de immaculata conceptione, sed firmum concepisse propositum eandem ad mortem usque, vel ipsius etiam, si oportebit sanguinis effusione defendendi; illud verò potiùs scire vos desiderare, quomodo eandem Conceptionem dignè colere debeatis; cui desiderio vestro æquissimo ut satisfaciam, aio, varios esse modos à variis assignatos, sed communem esse, quo suadetur, ut cogitatione, verbo, & opere, colatur; *cogitatione* quidem, si firmiter credatur, &, ut non pauci faciunt hodiè, etiam votum concipiatur, eandem defendendi: *Verbo*, si ea condignis laudibus celebretur, (id quod officij de immaculata conceptione recitatione, & Sacrificii oblatione potissimùm fieri potest) & in necessitatibus, præcipuè tentationibus ad peccandum, auxilium hujus Sanctissimæ Virginis per immaculatam conceptionem imploretur, usurpando illos Ecclesiæ versus: *Dignare me laudare te, Virgo Sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos.* *Opere* denique, si varia seu misericordiæ seu patientiæ in ipsius honorem peragantur, ut suo modo locum habeat illud sponsi cantic. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Ada.* Sed Ego, uti non improbo hunc modum, ita alium longè gratiorem Virgini singulariter commendo, quem quidem colligo ex apparitione cuidam Religioso facta, dum ei in specie rugosæ anûs apparuit Sanctissima Virgo, dicens, talem se esse in ejus mente. Ex quo sic argumentor, talis est Beatissima Virgo in mente cujusque, qualiter mens ejus constituta est, ergo ut Beatissima Virgo in aliquo sit sine macula concepta, debet etiam mens ejus sine macula existere; Verbo, dicere volo, optimum esse modum colendi immaculatam conceptionem, ut, sicut nos ipsam salutamus, & dicimus: *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, ita nos quoque mundiriæ corporis & animi ita studeamus, ut ipsa vicissim de nobis dicere possit: totus pulcher es, dilecte mi, & macula non est in te. Ad hanc nos hortatur illis verbis Sanctus Joannes 1. Jo. 3. *Filioli mei, non diligamus verbo & lingua, sed opere & veritate*; sine hac parvi facit devotionem nostram & confessionem immaculatæ suæ conceptionis, sed potiùs usurpabit illa Sancti Jacobi Ver-

ba cap.2. *Fratres mei, quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat; nunquid poterit fides salvare eum?* opus ergo à vobis exigitur, ô dilecti, opus, inquam, illud, ad quod Sanctus *Hieronimus* Serm. de assumptione verbis his notatu dignissimis vos adhortatur; *Igitur dilecti issimi amate, Mariam, quam colitis; colite quam amatis; quia tunc verè colitis & amatis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis*; faci nempe B. Virgo ut Jehu, lib. 4. reg. cap. 10. dicens: *Nunquid cor tuum rectum cũ corde meo? si est, da manũ* (id est, opus) *tuam*. ut ergo clariùs edisseram, & in compendium redigam, quid quid ad solidum cultum immaculatæ conceptionis pertinet, tria aio præstanda.

Primò ut firmissimum faciatis decretum, inprimis quidem ad honorem Dei, deinde etiam ad honorem Beatissimæ Virginis ab omni non tantùm mortali, sed etiam veniali delibo rata admissa macula, imò etiam à transgressione regulæ sine peccato obligantis ahstinendi, dictúmq; vobis ab ea credatis *Quodcunque dixerit vobis* (Filius meus) *servate, & facite*; hæc hæc professio est gratissima, hoc est verè dicere, me nunquam te derelicturum neque contra tuum & tuæ immaculatæ conceptionis honorem quidquam facturum, sed eandem verbo & opere defensurum.

Secundò ut certò vobis persuadeatis, vos non omnino immunes esse ab omni peccato, sed, ut Sanctus Bernardus ait, cæ nostrum angulos habere; ubi autem anguli sunt, ibi & sordes, itáque ab eadem vobis dictum putate: *scrutemur vias nostras, & studia nostra, & in eo se iudicet quisque profecisse, cùm id invenerit, quod reprehendat, sed Si id, quod invenerit reprehendat; tunc non te fallit inquisitio tua, si rursus opus scrutinio advertisti*; id quod ipse etiam Christus religioso cu piam per Mariam Olgniacensem significari jussit, ut Par Petrus Penneguin in sua Isagoge testatur parte 3. cap. 15. nu 14. id ergo potiùs agamus, ut citò abluamus maculam, quæ contraximus, & ex defectu nostro medicamentum superbi nostræ accipiamus, & statuamus deinceps cavere, ita, ut sic ex scorpione fit oleum contra ictum illius, ita & nos ex pecca to humiliationem, velut optimum contra illud remedium cliciamus.

Tertiò ut hunc ipsum ob finem sine macula concepto

Virg

Virginem in Patronam & Adjutricem eligamus, eique corpus & animam committamus dicentes cum Sancta Agnete: *Cor meum & corpus conserva immaculatum*; atque adeò, si occasio maculandi animam ingruerit, credamus à Beatissima Virgine dici nobis: Fili mi abstine propter me; quis ex tali cogitatione non sentiret cor suum emolliri, atque ad cavendum peccatum efficaciter incitari? quis non speraret semper hoc medio victorem vitiorum futurum? ita certè expertus est gravissimus peccator ille, qui prima die ad honorem SS. Trinitatis. Secunda ad honorem Beatissimæ Virginis abstinere à mala consuetudine jussus, ita immutatus est, ut facilem sibi experiretur abstinentiam, quam antea impossibilem judicârat. Idem & nos experiremur, si similem victoriam semel iterúmque propter Beatam Virginem reportaremus de vitiis nostris, tunc cum fiducia diceremus, quod in calendario novo morientium hodie petitur his verbis: *O Maria, sine macula concepta, fiat cor meum immaculatum, ut plùs te amet, & honoret apud omnes, quàm ulla creatura te possit inhonorare; tu vitam tuam sine macula inchoâsti, ora pro me apud Filium tuum Jesum, ut ego sine macula eam finiam.*

Epilogus.

Sed finio, & omnes, quantùm possum adhortor, pulcherrimis illis verbis Sancti Bernardi: *Totis medullis cordium, totis præcordium affectibus, & votis omnibus Mariam hanc* (sine macula conceptam) *veneremur, quia sic est voluntas eius, qui omnia vult nos habere per Mariam.* Flectamus ergo genua cordis nostri, accedamus ad altare, & dicamus. O purissima Dei Mater & Virgo, Patrona nostra clementissima, nos famuli & ancillæ tuæ, licèt undique patrocinio & amore tuo indignissimi, freti tamen pietate & misericordia tua singulari, & Zelo illo, quem habes erga salutem animarum nostrarum, coram tota curia cælesti profitemur, nos firmissimè credere, te sine omni macula originali conceptam esse, & hanc ipsam opinionem, non tantùm pro viribus defensuros, sed etiam operam daturos, ut alii firmiter credant, & non tam cogitatione & verbo, quàm opere & immaculatæ vitæ studio colant atque defendant. Obsecramus te igitur, suscipe nos in clientes tuos & cultores immaculatæ conceptionis tuæ perpetuos, adesto

nobis in omnibus actionibus nostris, sed illis præsertim vi-
tiis, quæ immaculatam Conceptionem tuam singulariter de-
decent expugnandis, nec deseras nos in hora mortis nostræ
sed potiùs in immaculatum tuum sinum nos suscipe, & in Pa-
radysum Cælestem transporta, ubi cum omnibus Sanctis in
omnem æternitatem gratissimum tibi præconium illud acci-
namus: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Exemplar Secundum.

In quo ostenditur, quomodo motivum aliquod ad Beatiss-
mæ Virginis amorem alliciens proponi queat.

Thema.

Erunt signa in sole & stellis, & in terris pressura gentium
præ confusione sonitûs maris & fluctuum arescentibus homi-
nibus, præ timore & exspectatione, quæ supervenient univer-
so orbi Lucæ 11.

Scopus.

Demonstrandum, quòd Beatissima Virgo sit arca spiritua-
lis, per quam ab æterno interitu servari debeamus, seu quòd
amor Beatæ Virginis sit verum signum prædestinationis.

Syllogismus principalis.

Sicut in diebus Noë, ita erit adventus Filii Hominis; ergo
maturè confugiendum est ad Arcam aliquam spiritualem, in qua
salvemur; atqui Beatissima Virgo talis est arca spiritualis; er-
go maturè ad eam confugiendum est.

EXORDIUM.

In libro Geneseos cap. 6. legitur, quòd, cùm DEUS videret
quòd multa malitia hominum esset in terra, tactus dolore
cordis intrinsecus, decreverit delere hominem & animantia
ideóque Noë ad se vocaverit, eique, ut arcam ædificaret, præ-
ceperit; quod cùm strenuè executus fuisset Noë, à Concivi-
bus quidem suis ab initio derisus, & pro deliro habitus est
sed magno eorum damno, nam postquam Noë in arcam cum
Filiis ingressus est, omnes in diluvio submersi, serò errorem
suam cognoverunt, frustráque deplorârunt. Quod tempore
Noë evenit, idem etiam in fine mundi continget, ut
ipse Christus prædixit dicens; *Sicut in diebus Noë, ita erit*
adven-

adventus Filii hominis; sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & ad nuptias tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noë in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes; ita erit adventus Filii hominis, atque adeò, quisquis diluvium illud terribile judicii divini & æternæ damnationis evadere voluerit, meritò maturè sibi de arca spirituali prospicere debet. Etsi verò non ignorem plures ejusmodi arcas, id est, signa prædestinationis passim ab Ascetis assignari, judico tamen hanc prærogativam ante alias Beatissimæ Virgini convenire; quare ut maturè ad illam per veram devotionem & fiduciam confugiatis, hac concione fusiùs ostendam, quam rectè illa arcæ spirituali comparetur, & quàm meritò devotio erga illam inter præcipua prædestinationis signa numeretur; Vos interea, ut tantò promptiùs ad arcam confugiatis, mentes animósque præparate.

Narratio.

Solent Rhetores, quando naturam & præstantiam alicujus rei accuratiùs volunt ostendere, ante omnia quatuor causas principales indagare, his enim cognitis judicant, non difficulter cujusque rei naturam & præstantiam cognosci posse; quòd si ergo & nos cognoscere velimus, quàm verè Beatissima Virgo spirituali arcæ comparetur, non meliùs videmur id obtinere posse, quàm si quatuor dictas principales causas, scilicet materialem, formalem, efficientem & finalem indagemus; nam quoad omnes summam inter utramque arcam similitudinem deprehendemus.

Confirmationis Prima Pars.

Nam primam materialem causam quod attinet, qualis ea in arca Noëtica fuerit, facer textus Genes. 6. indicat, dum ait: *fac tibi arcam de lignis lævigatis* (Chaldæi & Rabini ex libris Cedri intelligunt) *& Bitumine linies intrinsecus & extrinsecus*; sed hæc multò perfectiùs in arca nostra spirituali repetiuntur; illa namque verè erat ex cedro, id est, altissimis perfectionibus composita, omnísque tam corporalis, quàm spiritualis putredinis expers: illa verè erat lævigata, id est, ita mortificata, ut neque spiritus adversus carnem, neque caro adversus spiritum concupisceret; Illa verè erat Bitumine

gratiæ intrinsecus & extrinsecus illita & armata, ita, ut nec unica gutta diluvii, id est, peccati cujuscunque in eam unquam intraverit, id quod clarè sanctus Bernardus in Epist. ad Canonic. Lugdunenses indicavit, dum dixit: *magna fuit Sanctificatio Ieremiæ, quia potuit faciliter vitare culpam mortalium: maior sanctificatio Ioannis Baptistæ, quia potuit vitare frequentiam venialium: maxima Virginis Mariæ, quia potuit vitare, imò vitavit omne peccatum.*

Pars Secunda.

Jam verò, si formam arcæ Noëticæ consideramus, eam sic describit sacer textus loco cit. *Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius, fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius, ostium autem arcæ pones ex latere deorsum cænacula & tristega facies in ea*; sed & hæc perfectiùs longè in arca nostra reperiuntur, nam primò quanta illius in omnem partem dimensio fuerit, pulchrè iterum sanctus Bernardus in quodam sermone indicat, dum ait: *Quam misericordiæ tuæ, ô Benedicta, longitudinem, profunditatem, sublimitatem & latitudinem queat investigare, nam longitudo eius usque ad novissimum diem invocantibus eam subvenit universis; latitudo eius orbem terrarum replet, ut tua misericordia omnis terra plena sit; sic & sublimitas eius civitatis supernæ invenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris, & in umbra mortis obtinuit Redemptorem*; imò Idem Sanctus dixit, hanc arcam majorem & latiorem esse toto orbe terrarum, quin & ipsis cælis: *O Venter*, inquit, *capacior cælis, diffusior terris, latior elementis, qui illum continere voluit, quem totus orbis comprehendere non potuit, & qui tribus digitis molem terræ comprehendit.* Fenestra hujus arcæ spiritualis erat puritas & integritas hujus Sanctissimæ Virginis, per hanc enim excludebantur omnes malignæ humiditates inordinatorum affectuum; E contrario verò soli justitiæ & clarissimæ luci æternæ sapientiæ & calori seu amori intensissimo Spiritus sancti aditus copiosè patebat. Ostii seu Januæ vicem misericordia hujus sanctissimæ Virginis subit, per quam facilè sanè aditus conceditur omnibus eam pullantibus, quemadmodum pulchrè S. Bernardus his verbis indicat:

sinum

sinum misericordiæ suæ Maria omnibus aperit, ut de plenitudine eius omnes accipiant. Denique nec habitationum deest diversitas, nam quemadmodum in arca Noëtica tres reperiebantur contignationes, una pro avibus. secunda pro hominibus. Tertia pro Quadrupedibus; ita in nostra quoque arca spirituali una quodammodo reperiebatur habitatio pro peccatoribus, qui Bestiis comparantur à sancto Davide psalmo 28. dicente: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*; alia pro justis, qui verè hominis appellationem merentur, quia rationi & legi divinæ conformiter vivunt; & ultima denique pro Angelis, qui avibus propter volandi canendíque facultates meritò assimilantur, de quibus hic rursus sanctus Bernardus loquitur: *Ex hoc Beatam te dicent omnes generationes, quia omnibus generationibus vitam & gloriam tribuisti; in te nimirum Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inveniunt in æternum*; an non ergo propter formam rectè arcæ comparatur B. Virgo?

Pars Tertia.

Non minùs tamen etiam quoad efficientem causam perfectissima reperitur similitudo, nam quoad corpus quidem ædificata erat à sancto Joachimo, qui verè gratiam invenerat coram Domino, & ambulabat cum eo, & propter sterilitatem ab initio irridebatur à vicinis, ut Noë: quo ad animam, à quo ædificata fuerit, clarè sanctus Augustinus in lib. contra duas hæreses indicavit, dum ait: *Vnde sordes in Maria, quæ nec in concipiendo libidinem, nec in pariendo est passa dolorem? unde sordes in illa domo, in qua nullus habitator terræ accessit? solus ad eam eius fabricator, & dominus venit*; si ergo Christus hanc arcam fabricavit, quis non videt, eam ob varias quidem causas, sed præcipuè quia mundum restauravit, eíque requiem (quam significari per vocem *Noë* Interpretes notant) attulit sempiternam, ipsi Noë optimo jure comparari posse, atque adeò etiam ex hac parte tantò præstantiorem esse arcam nostram spiritualem, quantum dignitate sua, aliisque omnibus prærogativis Christus Noëmum antecedit.

Pars

Pars Quarta.

Verùm quod ſpecialiter arcam noſtram commendat, cau-
ſæ finalis ſimilitudo eſt cum arca Noëtica; ut enim illa a
humanum genus ab interitu corporali & temporali ſerva-
dum exſtructa eſt; ita ad homines à morte ſpirituali & æter
redimendos arca noſtra ſpiritualis eſt præparata; quam o
cauſam meritò amor & fiducia erga illam inter præcipu
prædeſtinationis indicia numeratur; & hoc eſt, quod hod
potiſſimùm à vobis, dilecti Auditores, bene adverti velim
non poſſumus quidem in hac vita ſine ſpeciali DEI revelatio-
ne certitudinem phyſicam habere de noſtra prædeſtinatione
(*neſcit enim homo, an amore, an odio dignus ſit*, teſte Salomo-
ne Eccleſiaſt. 9.) nihilominus tamen probabilia quædam in-
dicia, per quæ moralem quandam ſpem ac certitudinem ſa-
lutis noſtræ concipere valeamus, habere nos poſſe, omnes
Theologi concedunt, & intra hæc meritò præcipuum, pot
Chriſti amorem, locum habere devotionem erga ſanctiſſi-
mam Virginem probant ſequentibus, iiſque efficacibus ar-
gumentis.

Primò ex comparatione cum mulieribus antiqui teſta-
menti liberantibus ab interitu, & figurantibus hanc ſanctiſ-
ſimam Virginem; nam ut Eva erat mater corporaliter vivet-
tium à primo Adamo progenitorum, ita ipſa eſt mater ſpiri-
tualiter viventium, & à ſecundo Adamo, id eſt, Chriſto pro-
genitorum: ſicut Filia Pharaonis Moyſen ex aquis extraxit,
ita Beatiſſima Virgo velut Filia ſummi Regis digniſſima
Chriſtum ex aquis tribulationum & periculorum, quæ ſæpius
eum ſuffocare debuiſſent, ſervavit, ut homines à Tyranni
diaboli educere & liberare poſſet: ſicut prudentiſſima Abigail
placavit iram Davidis, ne iret ad ſanguinem: Betſabea pul-
cherrima Salomoni Regnum impetravit. Judith pulcherri-
ma Holoferni caput abſcindendo patriam ab interitu libera-
vit: Itémque caſtiſſima Eſther liberationem ſuæ gentis ma-
ximâ felicitate procuravit; ita miſericordiſſima noſtra Mater
hæc omnia tantò perfectiùs præſtitit, quantò pluris facien-
dum eſt, ab æterna quàm temporali morte eſſe ſervatum, &
ad cæleſte, quàm terreſtre regnum fuiſſe promotum.

Secun-

Secundò idipsum probant, & colligunt ex variis scripturæ locis, quæ ex divino instinctu ab Ecclesia ipsi attribuuntur, quales sunt v. g. *Beatus homo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei; qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino; qui autem in me peccaverit, ladet animam suam; & omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.* Prov. 8. simili modo etiam attribuitur illi memorabilis illa Ecclesiast. 24. cap. Sententia: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: in Iacob inhabita, & in Israël hæreditare, & in Electis meis mitte radices;* præ reliquis autem pulchrè hanc veritatem confirmat, quòd illa sententia Canticorum 7. *Venter tuus, sicut acervus tritici*; ei accommodetur; per eam namque Interpretes significare volunt Christum fuisse fertilissimum illud granum tritici, de quo in Evangelio ipse olim loquebatur, quod in terram per mortem conjectum, mortuúmque fecit fructum multum, ideóque pro electo hoc tritico Justorum ventrem seu sinum Beatissimæ Virginis velut horreum vel receptaculum fuisse præparatum.

Tertiò pari modo id ipsum colligitur ex titulis, qui ab eadem Ecclesia huic sanctissimæ Virgini attribuuntur, quales sunt janua cæli, stella matutina, civitas refugii, præcipuè verò Mater DEI, & arca fœderis, nam si Salomon matri suæ Bersabeæ dixit Reg. 3. cap. 2. *Pete mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* si eodem loco ad Abiathar Sacerdotem dixit: *Equidem vir mortis es, sed hodie non interficiam te, quia portásti arcam DEI coram David Patre meo*; Quantò magis Christus matrem suam dilectissimam exaudiet, & omnibus, pro quibus ipsa intercedet, regnum cæleste dabit? quantò magis parcet, & æterna morte non puniet eum, qui vivam fœderis arcam, id est, matrem suam sanctissimam in corde suo per totam vitam circumtulit?

Quartò etiam auctoritate & consensu sanctorum Patrum id confirmant, ex quibus tantùm unum alterúmve breviter citare placet. Quorum primus est sanctus Anselmus, qui in sermone quodam memorabilem hanc sententiam protulit, omnium hominum cordibus aureo Charactere inscribendam: *Sicut à te despectus, & à te aversus, necesse est, quòd pereat, sic ad te reversus, & à te respectus impossibile est, quòd per-*

pereat. Secundus est sanctus Germanus Patriarcha, qui in sermone de Zona sic loquitur: *Quomodo corpus nostrum vitabis, signum operationis habet respirationem, ita & sanctissimum nomen tuum, ô Virgo Beatissima, quod in ore servorum tuorum versatur assiduè, in omni tempore, loco, & modo vitæ, lætitiæ & auxilii non solùm est signum, sed ea etiam procurat, & conciliat.* Quis non singulare ex talibus sententiis solatium capiat?

Quintò idem ex variis etiam revelationibus probant, nam inprimis ipse DEUS sanctæ Catharinæ Senensi revelavit, ut in tract. 4. dial. cap. 139. legitur, quòd propter incarnationem Filii sui, Matri ejus ex infinita sua Bonitate concesserit, ut nullus peccator, quantumcunque magnus, qui eam debita fiducia & devotione coluerit, à Diabolo abripiatur; ipsam namque esse escam dulcissimam, quâ inescati homines, & præcipuè peccatores ad cælum attrahantur. Sed & Christus quondam Garsendæ nobili Matronæ pro Comite Elzeario, quem educaverat, oranti dixit: Juveni huic, pro quo tantùm oras, noveris me matrem meam dedisse Magistram; nihil ergo de illa dubites. Præ reliquis tamen memorabile est, quòd ipsamet sanctissima Virgo quondam sancto Alano dixit; ut Georgius Pistorius in matre admirabili conc. 7. refert: O dilectissime Sponse: debeo tibi occultum providentiæ divinæ mysterium revelare, quòd mox etiam aliis à me manifestari velim, nempe à salutatione Angelica, per quam totus mundus instauratus est, tædium & horrorem habere esse infallibile signum reprobationis; econtra verò ad illam in animo devotionem & voluptatem sentire, signum prædestinationis est. Aliàs verò sanctæ Brigittæ dixit, ut Pater Petrus Pennequin in Isagoge dissert. 2. n. 5. refert: Ego sum Regina Cæli, Ego mater misericordiæ, Ego justorum gaudium & aditus peccatorum ad DEUM. Nullus est adeò maledictus, qui, quamdiu vivit, careat misericordiâ, quin propter me levius tentatur, quàm alioquin à dæmonibus tentaretur. Nullus est ita alienatus à DEO, nisi fuerit omnino maledictus, qui, si me invocaverit, non revertatur ad DEVM, & habiturus sit misericordiam. Ego vocor ab omnibus misericordiæ Mater, & verè, quia misericordia ejus me fecit misericor-

dem

dem, ideo miserebit, qui ad misericordiam, cùm possit, non accedit, ergo veni, & absconde te sub pallio meo.

Sextò, id ipsa experientia confirmat, quâ constat, quotquot magis in sanctitate & virtute perfecti fuerunt, eos singularem semper erga sanctissimam Virginem amorem, devotionémque habuisse, neque unquam fuisse repertum, qui vel minimam devotionem constanter exercuerit, & tamen mala morte obierit. Nimirum ut Auctor naturæ tenellis agnis naturalem quendam instinctum indidit ad matrem suam ex mille aliis ovibus, licet ferè similibus dignoscendam, ut per eam ali & conservari possent; ita DEUS quoque ut Auctor gratiæ iis, quos salvare decrevit, internum quendam impulsum & amorem ad hanc sanctissimam Virginem ingenerat, ut ad eam confugiant, & per ejus maternam pietatem salvari mereantur. ut adeò integerrimus ille Juvenis Perchmannus ex Societate JESU meritò dixerit: *si amavero Beatissimam Virginem, securus ero meæ salutis, & constantiæ in vocatione.*

Septimò denique id ipsius etiam dæmonis confessiones stabiliunt, qui, licèt Pater mendacii sit, in iis tamen, ad quæ revelanda divina auctoritate compellitur, meritò ipsius confessio non levem auctoritatem habere debet; de hoc ergo legitur in Histor. Ord. Prædic. quòd adjuratus cum socio in obsesso homine jussúsque dicere, quem sanctum maximè reformidaret, sequentia responderit. Primò: Mater DEI est nimis potens in præservandis servis suis, ne in infernum ruant. Secundò fatemur coacti, neminem nobiscum damnari, qui in ejus sancto cultu perseverat devotus. Tertiò, unicum suspirium ab Ipsa prolatum & sacrosanctæ Trinitati oblatum excedit omnium Sanctorum merita. Quartò contra fideles Ejus servos non possumus prævalere. Quintò notum sit omnibus, plurimos in hora mortis eam invocantes salvari. Sextò ampliùs compulsi annuntiamus, nullum in exercitio sacri Rosarii perseverantem damnari, quia ipsa impetrat contritionem, & alia ad salutem necessaria.

Ex quibus omnibus facilè nunc apparet, quàm meritò Beatissima Virgo Arcæ spirituali comparetur, atque adeò nihil aliud supersit, quàm ut in eam maturè confugiamus, eámque in finem duos pedes spirituales usurpemus, quorum primus

primus est fidelis fiducia ad hanc sanctissimam Reginam ideóque illam sancti Bernardi admonitionem perpetuò in mente & auribus habeamus: *in periculis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde.*

Secundus pes est constans erga eandem DEI Matrem devotio, quæ in eo consistit, ut pauca quidem, sed constanter & ferventer peracta obsequia quotidie, vel certè in diebus ipsi specialiter dedicatis, quales sunt Sabbathum & festa illius peragamus; præcipuè tamen imitatio illius in exequenda DEI voluntate procuretur; hoc enim esse efficacissimum imò necessarium medium ad opem illius impetrandam jam olim sanctus Bernardus indicavit dicens: *ut impetres orationis eius suffragium, non deseras conversationis exemplum;* quia imò ipsamet sanctissima Virgo id ipsum satis insinuavit, dum in nuptiis Canæ Gallileæ volentibus vinum per ipsam à Filio impetrare dixit: *quodcunque dixerit vobis, servate & facite*; hoc ergo potissimum caput est, in quo sanctissima Virgo nostram imitationem desiderat, ut nempe non tam ore quàm opere dicamus: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*; tunc enim meritò etiam ad hanc devotionem applicare possumus illud sancti Joannis 1. cap. 5. sententiam: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEVM* (& sanctissimam Matrem illius) *& quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.*

Epilogus.

His ergo duobus pedibus instructi audactet accedamus ad arcam istam spiritualem, & cum magna fiducia dicamus: *Sub tuum præsidium confugimus, sancta DEI Genitrix, nostras deprecationes ne despicias; noli aspicere nostra peccata & demerita, sed potùs merita Filii tui; noli attendere malitiam nostram, sed tuam misericordiam maternam considera: noli meminisse hactenus admissa in tuo cultu & veneratione negligentia, sed potiùs memento, te velut Arcam spiritualem nobis à Filio ablatam esse, dum nos tibi in cruce tam sollicitè in Ioanne commendavit, libera erga nos à periculis cunctis, ô Virgo gloriosa & benedicta, præcipuè verò à diluvio illo terribili ultimæ tem-*

tentia, ut & nos tibi cum Noë post periculum superatum, altare spirituale amoris in corde nostro ædificemus, & laudes tibi ac DEO cum Sanctis omnibus à te liberatis per totam æternitatem canemus. Amèn.

Nota hunc esse copiosissimum fontem, ex plurimæ, eæque satutiles materiæ pro concionibus de B. Virgine hauriri possunt, uti ex sequentibus conceptibus videre est.

Conceptus alii.

I. Ex occasione thematis: *Ecce Mater tua.* Joan. 19. ostendi potest, quomodo B. Virgo verè sit Mater nostra spiritualis, & quidem triplici titulo. 1. Quia, cùm sit Mater Christi, est etiam Mater membrorum ejus; Fideles autem sunt membra Christi, illi ut capiti connexa, uti S. Augustinus in l. de Virg. discurrit. 2. Quia, cùm Christus sit Frater noster, uti ipse Matth. 28. indicavit dicens: *Ite, nuntiate Fratribus meis*: Meritò & ipsa Mater nostra dici potest, uti S. Anselmus de concept. Virg. c. 15. notavit dicens: *O Domina, si Filius tuus factus est per te Frater noster, nónne tu per illum facta es nostra Mater?* 3. & potissimùm, quia omnia officia veræ Matris perfectissimo modo spiritualiter erga nos exercet. Nam 1. sub Cruce nos *genuit*, uti S. Rupertus super verba: *Mater, cùm parit, tristitiam habet*; notavit dicens: *Proinde quia ibi dolores ut parturientis sustinuit in passione unigeniti DEI, omnium nostrùm salutem B. Virgo peperit, & facta planè omnium nostrùm Mater est.* Hinc & Christus ibi potissimùm dixit Joanni omnium hominum Personam sustinenti: *Ecce Mater tua.* Et Salazar in c. 8. Prov. ideo putat cuivis homini illa Canticorum c. 8. verba applicari posse: *sub arbore malo* (id est, cruce ex malo, ut aliqui putant, facta) *suscitavi te; ibi peperit te Mater tua, ibi parturivit te Genitrix tua.* 2. Quia nos sollicitè alit, & educat, omnia necessaria corpori & animæ impetrando, sicut vinum in Cana Galilæa impetravit. Certè S. Hermanno, cùm adhuc Puer esset, lapidem in templo ostendit, sub quo, quoties victu aut alia re indigebat, tantùm pecuniæ reperiebat, quantùm pro præsenti necessitate indigebat; unde meritò, quod olim Pharao Ægyptiis frumentum aut aliud quid petentibus dicebat: *Ite ad Ioseph*, Christus nunc de Matre sua ad nos dicit: *Ite ad Matrem meam.* 3. Quia in sinum suum nos recipit,

cipit, & à periculis ac hostibus defendit, sicut Gallina pull
suos; ut adeò meritò S. Bernardus hortetur: *In dubiis, in a
gustiis, in periculis MARIAM cogita, MARIAM invoca, n
recedat ab ore, non recedat à corde.* 4. Quia hæreditatem
ternam procurat juxta illud Prov. 8. *Qui me invenerit, inv
niet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Unde meritò
mnes illis Siracidis verbis Eccl. 24. ad se invitat: *Transite
me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis i
plemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas m
super mel & favum.* Vide Pistorium de Matre admirab
conc. 3. & nota historiam de Matre jus maternum in B.
transcribente. fol. 29.

II. Ex occasione thematis: *Ave maris stella, DEI M
ter Alma.* potest B. Virgo stellæ Maris comparari. 1. Q
sicut stellæ rotundæ sunt, atque adeò figuræ capaci
mæ; ita & Beata Virgo cælestium donorum capacissi
extitit, uti S. Hieronymus testatus est dicens: *Cæteris Virg
nibus per partes præstatur: MARIÆ verò se totam infudit gr
tia plenitudo.* 2. Quia sicut stellæ nobis parvæ videntur,
se autem altissimæ & maximæ existunt; ita & B. Virgo in
quidem & hominum oculis, dum vivebat, parva & humil
apparebat (hinc enim se Ancillam Domini vocabat) in
verò maxima fuit, uti S. Anselmus testatus est dicens: *Nih
tibi Domina, æquale est, nihil comparabile; omne enim, qu
est, aut supra te est, aut infra te; Supra te solus DEVS est; inf
te omne, quod DEVS non est.* 3. Quia sicut stella maris ill
minat & dirigit navigantes, eósque à periculo naufragii
berat; hinc S. Bernardus: In dubiis, in periculis respice st
lam, voca MARIAM; id quod exemplo Theophili B.
primò negantis, postea verò per illam à Dæmonis potest
liberati probari potest; uti fusiùs in Spec. Exempl. Tit. M
RIA. ex. 6. probari potest. 4. Quia sicut stella suis influx
bus recreat, & conservat homines; ita B. Virgo cælestibus
temporalibus donis impetratis servos sibi devotos lætific
& fovet. hinc meritò Idiota dixit: *Non est in ullo alio nom
post nomen superbenedicti Filii tui tam potens adiutorium; n
est ullum aliud nomen datum sub cælo hominibus post dulce
men IESV, ex quo tanta salus hominibus refunditur, quia sp
omnia nomina reficit lapsos, sanat languidos, illuminat cæ
pro

penetrat duros, recreat fessos, ungit agonistas, & iugum Diaboli extrudit; id quod frequentia anathemata in templis suspensa passim testantur. 5. Quia sicut stella maris attrahit ferrum, ita B. Virgo peccatores; quam ob causam refugium peccatorum dicitur. Hinc & S. Gertrudi olim, teste Blosio in monil. c. 1. splendidissimo pallio cooperta apparuit, & varias, eásque deformes valde bestiolas ad se confugientes magnâ charitate excepit, & pallio suo involuit, cùmque ob hoc factum obstupesceret S. Gertrudis, significatum est illi, per has bestias peccatores indicari, quos illa ad se confugientes pati benevolentiâ suscipere consuevit. Eum in finem narretur historia de Juvene scelerato, qui ad Avunculi consilium quotidie psalterium recitârat, mirabiliter conversò, uti in Spec. Exempl. tit. MARIA. ex. 5. fusiùs refertur.

III. Ex occasione thematis: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem in Domino.* ostendi potest, quomodo B. Virgo sit janua cœli. 1. Quia per illam omnes ad cælum intrare debent, uti S. Bernardus s. de aquæductu testatus est dicens: *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui omnia nos habere voluit per MARIAM.* 2. Quia porta hæc semper aperta est, uti iterum S. Bernardus S. Signum magnum, indicavit dicens: *Sinum Misericordiæ suæ MARIA omnibus aperit, ut de plenitudine eius accipiant universi.* Hinc S. Birgittæ quondam dixit: Ego sum Justorum gaudium, & aditus Peccatorum ad DEVM; nullus est adeò maledictus, qui, quamdiu vivit, careat misericordiâ meâ: Nullus ita abjectus à DEO, qui, si me invocaverit, non revertatur ad DEVM, & habiturus sit misericordiam. 3. Quia ampla est hæc porta, atque adeò sine magna difficultate per eam intratur, id est, per exigua opera ad B. Virginis honorem præstita salus obtinetur, uti pulchrè probari potest variis exemplis, maximè Latronis propter amorem Deiparæ die Sabbathi jejunantis, & nullum occidentis, postea illius ope mirabiliter conversi, uti in Spec. exempl. tit. MARIA. ex. 20. fusiùs videre est; aut Militis quotidie unicum *Ave* dicentis, & à Diabolo, qui sub specie famuli quatuordecim annis ipsi insidiatus fuerat, liberati, uti ibid. V. Salutatio Angel. ex. 5. narratur. Unde meritò Ecclesia canit: *Alma*

Redemptoris Mater, quæ pervia cæli Porta manes. eámq
etiam in alio hymno salutat: *Ave maris stella, DEI Mat
alma, atque semper Virgo, felix cæli porta.*

IV. Ex occasione thematis: *Sub tuum præsidium conf
gimus S. DEI Genitrix*: potest inprimis judicium extremu
tempestati terribili comparari propter exhalationes nostr
rum peccatorum sursum ascendentes, & DEVM graviter o
fendentes; propter horrendum tonitru tubarum Angelic
rum clamantium: *Surgite mortui, venite ad iudicium*: propt
fulgur horrificum adventus Filii hominis, id est, Christi a
judicandum venientis, de quo S. Matthæus c. 24. dixit: Sic
*fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, ita er
& adventus Filii hominis*: & propter fulmen terribile ultim
sententiæ: *Ite maledicti in ignem æternum.* Deinde verò po
test subinferri, varia media ab hominibus adhiberi, ut se co
tra fulmen defendant; alios enim in specus & cellas subte
raneas se abscondere; alios hispanicas cruces eum in fine
portare; alios denique ad Laurum confugere, eò quòd Pl
nius & alii narrent, Laurum nunquam fulmine percuti, un
Imperator quidam, quoties cælum tonabat, caput laureâ co
ronâ cingebat; & horum consuetudinem contra spirituale
tempestatem tantò impensiùs imitandam videri, quantò ce
tiores sunt, se à fulmine terribilis sententiæ non ferienda
esse, si ad Laurum spiritualem, nempe B. Virgininem, qu
tum ob Virginitatis decus semper custoditum, tum ob fol
semper virentia bonorum operum nunquam interruptor
meritò Lauro comparari potest, confugiant; ita enim col
gitur 1. ex S. Bernardi hom. 2. super missus est testimonio,
centis: *Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fædi
te confusus, iuditii horrore perterritus, barathro incipias a
sorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita MARIAM.* 2. C
S. Ignatii M. testimonio, qui, teste Nickovienſi p. 2. d. 3
n. 15. dicere ausus est: *Nunquam malè peribit, qui Genetr
Virgini devotus, sedulúsque extiterit.* 3. ex revelatione
Catharinæ Senensis, quæ, ut refertur in tract. 4. dial. c. 3
ab ore ipsius æterni Patris hæc verba audivit: *MARIÆ V
geniti Filii mei Genitrici gloriosæ concessum est à bonitate
propter Incarnati verbi reverentiam, quòd, quicunque
vel peccator recurrit ad eam cum devota reverentia, nulla
dob

do decipietur, vel devorabitur ab infernali dæmone. 4. Ex visione S. Francisci, qui, ut Daurostius in catech. histor. c. 2. tit. 40. refert, vidit quondam in planitie homines congregatos, ac duas scalas ad cælum pertingentes, unam rubram, cui Christus insidebat; alteram candidam, cui B. Virgo insistebat; cúmque per rubram Fratres ascendentes mox iterum à Christo dejecti fuissent, ad alteram confugientes facilem ad cælos aditum per B Virginem repererunt; unde meritò S. Bernardus ait s. 1. de Assumpt. *Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater misericordiæ suppliciter, & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.* Quidni ergo clamemus cum Ecclesia: *Sub tuum præsidium confugimus S. DEI Genitrix: nostras preces ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa, & benedicta.*

V. Ex occasione thematis: *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei.* Prov. 8. dici potest, cùm vita nostra nihil aliud sit, quàm peregrinatio juxta illud Apostoli 2. Cor. 5. *dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino*; meritò viam securam, certam, & planam quærendam esse, per quam ad Patriam nostram certò perveniamus, talem autem esse B. Virginem, utpote quæ 1. Via est *securissima*, cùm sit terribilis ut castrorum acies ordinata; & ut S. Bonaventura in Spec. ait, *non sic timeant hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aërea potestates MARIÆ vocabulum, patrocinium, & exemplum. Fluunt, & pereunt sicut cera à facie ignis, ubicunque inveniunt huius nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem.* Hinc Eremitæ cuidam, & P. Balthasari Alvarez Societatis JESU Sacerdoti dixerunt, se destituros ab eorum impugnatione, si illi à cultu B. Virginis desisterent. 2. *Certissima* est, uti inprimis testatur Ecclesia ipsi applicans verba illa Prov. 8. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Dein id ipsum S. Bernardus confirmat, dum in hom. 2. sup. missus est ait: *Ipsam sequens non devias, ipsam cogitans non erras, ipsam rogans non desperas, ipsa tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ Duce non fatigaris, ipsâ propitiâ pervenis*; ad felicitatem scilicet æternam. Et tandem confirmat ipsa experientia, quâ habetur,

neminem unquam damnatum esse, qui huic Virgini devot
extiterit, ut adeò meritò Dœmones aliquando coacti dix
rint, eam esse nimis potentem in præservandis servis suis,
in infernum ruant. Id expertus est Religiosus ille, qui, u
Antonius p. 3. tit. 23. c. 10. narrat, in agone duos Dœmon
horribili specie adstantes videns clamare cœpit: *Maledic
hora, in qua Religiosus sum factus.* Sed mox B. V. advenie
te, fugatis Dœmonibus, serenâ facie dixit: *Benedicta hor
quâ Ordinem intravi; & benedicta Mater Christi, quam se
per dilexi, & in qua fiduciam meam posui.* 3. Planissima
quoque esse hanc viam testatur inprimis S. Ambrosius, q
nihil in ea asperum, nihil torvum reperiri, sed totam miser
cordem esse asserit. Confirmat dein iterum S. Bernardus, d
ait: *Volue, revolue totam Evangelii seriem; si quid durum
quid asperum invenias in MARIA, ad illam accedere mer
verearis, ideo vellus Gedeonis dicitur, quia vellus est mans
ti, mitisque animantis exuvium.* Hinc apud S. Bonaven
ram in Specul. c. 8. exclamat idem Sanctus. *O magna, O pa
O multùm laudabilis MARIA, tu nec nominari potes, quin a
cendas; nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentiu
te. Tu nunquam sine dulcedine divinitus insita pia memor
portas ingrederis.* Causam verò hujus mitissimi affectus me
ritò amori, quo homines prosequitur, adscribit S. Petr
Dam. s. de nativ. Virg. dum ait: *Scio, Domina, quia benign
sima es, & amas nos amore invincibili, quos in te, & per te, F
lius tuus, & DEUS tuus summa dilectione dilexit. Et quem
amor non nisi amore rependitur, ideo redamare eam pro vo
studeamus.* Si ergo amari & amare jucundum est, quis n
hanc viam ad cælum jucundissimam esse credat, & quia sim
etiam certa atque secura est, præ reliquis eligat ad iter in P
triam cælestem suscipiendum? Ostendatur ergo in secun
parte Concionis, quinam sint gemini pedes spirituales, qu
bus hæc via decurrenda est, scilicet *fiducia filialis*, & cu
fervens; & fiduciâ quidem in eo maximè ostendenda est, qu
firmiter credatur, eam posse & velle præ omnibus aliis San
ctis juvare nos, atque adeò ad eam in omnibus necessita
bus, dubiis, & advertis casibus sine timore repulsæ recurr
tur, exemplo S. Bernardi, qui in serm. de nativ. Virginis
pertè confessus est, hanc Virginem esse suam maximam fi
ciam

ciam, & totam rationem spei suæ. Et ideo s. 4. in Dom. 2. Epiph. alios quoque ad similem fiduciam memorabili & consolatione plenissimâ sententiâ excitat dicens: *Sileat laudes tuas, si quis est, qui in necessitatibus suis invocatam te sibi memineri defuisse. Nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potiùs nobis ipsis. Laudamus Virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius; misericordiam amplectimur cariùs, recordamur sapiùs, crebriùs invocamus.*

Cultus verò Marianus in eo potissimùm ostendendus, ut, quæ pietatis exercitia ad honorem Virginis eliguntur, ferventer, constanter, & purâ mente offeramus, eúmque in finem illud S. Joannis 1. c. 2. dictum nobis applicemus: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad* DEVM (& SS. hanc Virginem) *& quidquid petierimus, ab eo accipiemus.* Hinc in Nuptiis Canæ Galilææ rogantibus, ut vinum à Filio impetraret, mox dixit: *Quæcunque dixerit vobis* (Filius meus) *servate, & facite.* Hinc & S. Bernardus de hac Virgine discurrens, *ut impetres, ait, orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum*; nam, ut alius rectè cecinit: *Virginis est cultus pulcherrimus optima vita.* aliquid continget, quod Juveni illi contigit, qui, ut in spec. Exempl. V. salut. Angel. ex. 6. refertur, qui, cùm turpissimam vitam vivens, ipsam frequentius per varias preces coleret, & salutaret, quâdam die eam spectabilem habuit cum aliis speciosis Virginibus, quæ cibos optimos in sordidis scutellis depositos offerebat, & ad comedendum invitabat; cúmque ille nauseare se hos cibos ob scutellarum immunditiem diceret, respondit Mater DEI, eodem modo & se nauseam habere precum ab ipso peragi solitarum, eò quòd ex immundo corde proficiscerentur. Itaque excitentur Auditores, ut dictum sibi de hac via existiment, quod Jeremias c. 6. monet: *State super vias vestras, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris.*

VI. Ex occasione thematis: *Pete Mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* 3. Reg. 2. potest recenseri historia, quæ in cit. cap. de Bethsabea Salomoni Filio Regnum impetrante narratur, dicíque, nos quoque regnum a-

liquod, scilicet cæleste, ambire, verùm id meliùs impetrari non posse, quàm per Matrem nostram, id est, Deiparam, quæ præ omnibus aliis Sanctis habeat proprietates ad potentem Advocatum requisitas, scilicet ut *sciat, possit,* & *velit* intercedere pro nobis, & juvare, id quod fusiùs demonstretur. Et 1. quidem ostendatur, quòd *sciat* juvare, eúmque in finem S. Germani s. 2. de Assumpt. sententia citetur, dicentis: *ipsa omnia observat, omnia contuetur, & inspectio illius ad omnes se exporrigit. Et nescit quidem homo*, teste Sancto Anselmo de excell. Virg. *quid oret, & quomodo oret, sed ipsa quid, & quomodo petendum sit, novit.* quia, ut S. Petrus Dam. s. de Annunc. ait, *per ipsam, cum ipsa, & in ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut, sicut sine ipsa factum est nihil, ita sine ipsa nihil refectum sit.* 2. Pariter ostendatur, quòd *possit* juvare; cùm enim Matris officium incomparabiliter perfectiùs erga Christum impleverit, quàm Bethsabee erga Salomonem, potiori quoque jure dicetur ipsi à Christo: *Pete Mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Unde S. Petrus Dam. s. 1. de Nativ. ait, *ipsa accedit ad thronum DEI non solùm regens, sed & imperans, Domina, non ancilla.* S. Anselmus verò s. de excell. orat. *Benignissimus*, inquit, *Filius tuus Dominus noster IESVS Christus erit ad concedendum, quidquid velis, promptissimus & exaudibilis, tantummodo velis salutem nostram.* id quod & ipsamet confirmavit, dum S. Hyacintho apparens dixit: *Fili Hyacinthe, quia orationes tuæ sunt gratæ Filio meo, &, quidquid per me petieris, impetrabis.* 3. denique ostendatur, quòd *velit* etiam juvare: *nam adeò pietate replentur viscera tua, O Virgo* (inquit Richardus de S. Victore s. 4. in Cant.) *ut alicuius miseriæ notitiâ tacta lac fundant misericordiæ, nec possis scire, & non subvenire.* Unde & S. Bernardus hujus voluntatis tam promptæ causam Maternitatem illius esse ostendens s. 2. in Dom. 2. post Epiph. ait: *Nihil sic potest potestatis eius seu pietatis magnitudinem commendare nisi fortè aut non creditur DEI Filius honorare Matrem; aut fortè dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse MARIÆ Viscera, in quibus, quæ ex DEO est charitas, novem mensibus corporaliter requievit.* Imò velocem interdum, teste S. Anselmo c. 6. de excell. Virg. *est salus memorato nomine Virginis, quàm invocato nomine Filii, non quòd ipsa*

ipsa maior sit (nec enim ipse magnus & potens est per eam, sed illa per ipsum) sed quia etsi merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. Quam ob causam rectè ad fiduciam magnam, & solatium capiendum hortatur Arnoldus Carnot. de laud. Virg. dum ait: *Habet homo Mediatorem causæ suæ Filium ante Patrem, & ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit latus & vulnera: MARIA Christo pectus & ubera, nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt & orant omni linguâ disertius hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia.*

Exemplar Sextum.

In quo ostenditur quomodo variæ devotiones persuaderi debeant.

Scopus.

Ostendendus solidus modus colendi B. Virginem.

Thema.

Beatus venter, qui te portavit. Luc. 11. cap.

Syllogismus principalis.

Tunc meritò B.V. cultum summæ æstimationis, (post DEVM) fiduciæ, imitationis, & Zeli exhibemus, quando pluribus titulis in ea reperis ad eum exhibendum incitamur; atqui verum est antecedens, ergo & consequens.

EXORDIUM.

Serenissimus Maximilianus Bavariæ Elector p. m. inter alia suæ pietatis monumenta non postremum reliquit columnam marmoream in medio metropolitanæ civitatis Monachij extructam, in qua Imago B. V. artificiosè sculpta publicæ veneration exponitur; circum circa verò cancelli marmorei in quadrangulari forma erecti visuntur, in quorum angulis quatuor milites Draconem perimentes, & non procul ab his quatuor lucernæ sunt constitutæ. Quas ob causas pijssimus Princeps hanc columnam erigi jusserit, varij variè conijcient, ego id factum credo, ut ostenderet, se pro Patrona totius Bavariæ B. Virginem elegisse, optaréque, ut omnes

etiam subditi in suis domibus, aut potiùs cordibus similem columnam exstruant; sic enim non dubitare se, quin patrocinio hujus potentissimæ Patronæ omnes protegendi, uberémque à DEO benedictionem impetraturi sint. Non vult tantùm Maximilianus sed etiam ipse DEVS videtur hoc optare, ut pulchrè S. Bernardus indicavit, dum dixit, *totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui omnia nos habere voluit per MARIAM.* Ut ergo huic tam justissimo DEI desiderio satisfiat, ego in præsenti concione, quomodo hanc columnam spiritualiter erigere debeatis, ostendam; favete interea, & tantò attentiùs dicentem audite, quantò majorem ex columnæ hujus erectione fructum potestis sperare.

Propositio.

Quinque, ut audistis, partes in columna Monacensi reperiuntur. 1. Basis seu fundamentum. 2. Ipsa columna. 3. Imago columnæ. 4. Virorum Draconem interficientium statuæ. 5. Lucernæ. Omnia hæc in nostra columna spirituali pariter reperiri debent; hæc enim quinque sunt, quæ ad perfectum cultum B. Virginis requiruntur.

Prima Pars.

Et 1. quidem *basin* requiri ajo, per quam nihil aliud, quàm magnam de hac Sanctissima Virgine æstimationem intelligo, ut enim, quò solidior est basis, tantò altiùs & securiùs columna erigi potest, ita quantò major de B. Virgine æstimatio concipitur, tantò major erga eam fiducia & veneratio exurget. Porro hanc æstimationem concipere non erit difficile, si, quod Franciscus Suarez è Societate JESU doctissimus Theologus to. 2. in 3. p. d. 18. s. 4. fusè probat, perpendamus, nempe quòd hæc S. Virgo in primo statim Conceptionis suæ instanti tam in gratia, quàm aliis donis supernaturalibus longissimè superârit omnes tam Angelos quàm Homines collectivè sumptos, eáque deinceps singulis penè momentis usque ad finem vitæ duplo ab ea aucta fuerit, quæ doctrina licèt ab initio alicui incredibilis videri queat, non parùm tamen authoritatis accipiet ex eo, quòd ipsa B. Virgo quondam P. Martino

tino Guttierez apparuerit, gratiásque egerit, quòd sua adhortatione & consilio dictum P. Suarez ad hanc sententiam docendam, & tam solidè probandam incitârit. Nimirum fecit DEVS in creatione animæ hujus S. Virginis, quod olim Apelles Junonis effigiem pingere jussus, fecisse legitur, ut enim hic pulcherrimas quásque Virgines ab Athenienſibus sibi sisti petiit, ut ex earum qualibet, quod in ea præstantissimum erat, in imaginem suam transferret, ita DEVS in effingenda anima hujus B. Virginis perfectissimas quasque mulieres sibi proponebat, & quod earum singulæ perfectissimum continebant, in hanc imaginem suam collectivè transtulit, hinc Mater omnium hominum vocatur ut Eva: Mater Isaaci veri, id est, Christi, in quo benedicentur omnes gentes, extitit ut Sara, prudentissima est, ut Abigail: Virgo intemerata, ut Abisag: castissima, ut Susanna: fortissima, ut Judith: pulcherrima & amabilissima, ut Esther: mirabiliter fœcunda, ut Rebecca: devotissima, ut Anna: potentissima apud DEVM & Christum, ut Betsabea apud Davidem & Salomonem, ut meritò illud Salomonis elogium Prov. 31. ei applicetur: *multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Imò non tantùm has mulieres, sed omnes alias sanctas & perfectas animas sibi proposuisse videtur in creanda hac anima, hinc S. Bernardus intrepidè ausus est dicere in S. super missus est: *verè in plenitudine Sanctorum fuit detentio Virginis Mariæ, cui non defuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, Zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, fecunditas Coniugatorum, sed nec ipsa puritas Angelorum.* Quod ipsum clariùs adhuc expressit & confirmavit S. Anselmus in S. de concept. Virg. dum ait: *nihil tibi, O Domina, æquale est, nihil comparabile. omne enim quod est, aut supra te, aut infra te est. Quod supra te est, solus DEVS est. Quod infra te est, omne quod DEVS non est*: quid multis? *ipsa est*, inquit S. Bonaventura in speculo B. V. *quá maiorem facere DEVS non potest. Maiorem facere mundum potest DEVS, maiorem Matrem quàm Matrem DEI facere non potest.* Quis ergo non magni æstimet hanc S. Virginem, quam à DEO à SS. Patribus, ab Ecclesia ipsa tanti æstimatam videt, ut canere de ea non erubescat: *nec primam similem visa est, nec habere sequentem?*

Secunda

Secunda Pars.

Porro super hanc basin *columna* statuenda est, per quam *fiduciam firmam & filialem* intelligo erga hanc Sanctissimam Virginem, quæ quidem rotunda, id est, undequaque perfecta esse debet, ita ut suo modo illud S Jacobi c. 1. impleamus: *si quis vestrûm indiget sapientiâ* (aut aliâ gratiâ) *postulet à DEO* (per hanc S. Virginem) *qui dat omnibus affluenter. Postulet autem in fide nihil hæsitans.* quod quidem tantò iterum faciliùs nobis erit, quantò potentiùs undique ad hanc fiduciam animamur. Nam 1. animat nos ipse DEVS, dum per tam pulchras figuras eandem nobis præfigurare dignatus est Estheris scilicet & Bersabee. quarum priori dixit Asuerus c. 7. Esth. *quæ est petitio tua Esther, ut fiat tibi. & quid vis fieri? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Posterior verò scilicet Bersabee à Salomone Filio audire meruit 3. Reg. c. 2. *Pete Mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* quantò magis autem hoc ipse DEVS B. Virgini velut sponsæ suæ dilectissimæ, & Christus Matri suæ amantissimæ dicent? animat nos 2. ipse Christus, dum in cruce omnibus nobis dixit: *Ecce Mater tua*: quasi diceret: ut filioli in omnibus necessitatibus suis ad gremium matris fugiunt, ita vos idem respectu matris meæ & vestræ facite. Animant nos 3. SS. Patres, præcipuè tamen S. Bernardus, dum ait: *in periculis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat à corde, non recedat ab ore.* Rationem verò hujus dat alibi, dum ait: *Sinum misericordiæ suæ Maria omnibus aperit, ut de plenitudine eius accipiant universi, captivus redemptionem, ager curationem, tristis consolationem, iustus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam, & denique Persona Filii DEI carnis substantiam.* Animat nos 4. Ecclesia, dum eandem sanctam Matrem cum pallio extenso nobis repræsentat, ut scilicet moneat nos, quòd quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, *ita ipsa nos recipere sit parata.* hinc & ipsa præit exemplo, & constans usurpat oratiunculam: *Sub tuum præsidium confugimus Sancta DEI Genitrix &c.* Animat nos 5. experientia, quâ habemus, nullum unquam fuisse derelictum, qui eam sincerè invocavit, ita ut S. Bernardus sine horrore dixerit in S. de Assumpt. *sileat misericordiam*

tuam B. Virgo, qui te in necessitatibus suis invocatam sibi unquam meminerit defuisse. Et quid mirum, si invocata adest, quæ etiam non vocata præsto est? Animant nos denique 6. variæ revelationes, quæ hac de causa sunt factæ, ex quibus sola illa sufficere potest, quæ S. Francisco obtigit, ut in chron. min. refertur, dum duas scalas vidit, rubram alteram, cui Christus insidebat, sed apud quam plerique ascendere volentes repulsi sunt: alteram candidam, cui B. Virgo insidebat, ad quam confugientes cum benevolentia magna excepti atque ad cælum intromissi sunt, ut adeò verè impletum videatur illud S. Bernardi pronuntiatum: *ex hoc beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam tribuisti: in te enim Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inveniunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, per te, & de te benigna manus omnipotentis, quidquid creavit, recreavit.* Atque hæc de altera cultûs Mariani parte, scilicet de columna sint dicta.

Tertia Pars.

Veniamus nunc ad tertiam scilicet ad ipsam B.V. statuam, quæ meritò principalis reputatur, & nil aliud quàm imitationem S. Virginis nobis indicat; per hanc enim imitationem verè in cordibus nostris tantò elegantiùs effingitur Virgo Sanctissima, quantò perfectiùs eam imitari studuerimus; hinc tam sollicitè ad hanc imitationem SS. Patres nos incitant, & 1. quidem S. Bernardus, dum l.c. ait: *ut impetres orationis eius suffragium, non deseras conversationis eius exemplum.* Et clariùs S. Idelphonsus S. de assumpt. dum ait: *Igitur, dilectissimi, amate Mariam, quam colitis: colite, quam amatis: quia tunc verè colitis, & amatis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis*; nam ut benè S. Idelphonsus S. 1. de ass. advertit, *non tam illi prodest nostra laudatio, quàm nobis illius imitatio; unde Sponso magis placet imitator devotus, quàm laudator otiosus: tamen vera laudatio cordis imitatio est operis.* Vultis autem scire, quâ in virtute potissimum eam imitari debeatis? id vobis ipsamet Virgo indicavit, dum dixit olim: *quæcunque dixerit vobis, servate, & facite*; hæc, hæc obedientia gratissimus cultus est, ut jam pridem dixit, qui cecinit: *Virgini est cultus pulcherrimus, optima vita,* absque

que hoc nullum aliud obsequium gratum erit. Quid enim proderit, si ore eam collaudes, & corde ipsam & Filium ejus maledicas? quid juvabit, si cibo corporali ad honorem illius abstineas, & magnam abstinentiam, quæ in peccatorum fuga consistit, non serves? quid erit, si propter ipsam osculum terræ figas, & interea caput contra ipsam & Filium per mandatorum transgressionem erigas? ah Filioli mei, *non diligamus linguâ vel verbo, sed opere ac veritate*, inquit rectè Sanctus Joannes: laudabiles sunt, non nego, ejusmodi devotiones, ideóque, ubi occasio datur, non negligendæ; sed oportet hæc facere, & alterum non omittere, scilicet mandatorum observationem, quia melior est obedientia quàm victima: hanc profectò si præstiteris, pulcherrimam B. Virginis imaginem expressisti, quia & tu dicere potes cum illa: *Ecce ancilla* (vel mancipium) *Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Hunc cultum specialiter exhibere studuit P. Desiderius Colinus ex Soc. Jesu, hinc in ipso morbo ratione captus, aliquid facere noluit, quàm primùm id in nomine Mariæ imperari audiit, mox dixit, absit, ut propter dilectissimam Matrem non obediam.

Quarta Pars:

Verùm etiam quarta pars supradictæ columnæ non omittenda est, nimirum *statua virorum Draconem occidentium*: per has enim significatur, quòd si columnam hanc Sanctissimæ Patronæ erigere velimus, viri bellicosi esse debeamus, & infernalem Draconem superare; ipse enim est, de quo DEUS gen. 3. dixit; *inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Ipse est, de quo S. Joannes in apocalyp. c. 12. scripsit: *& iratus Draco in mulierem, & abiit facere pœnitentiam cum reliquis de semine eius.* quinam autem sunt semen hoc, nisi amatores illius? quæ mulier, nisi Virgo Sanctissima? quis Draco nisi Diabolus, qui omnibus modis capit deglutire hanc mulierem, eripiendo ex cordibus eorum? hinc apertè olim P. Balthasaro Alvarez dixit, se ab eo impugnando destiturum, si ipse vicissim mulierem per imaginem, quam monstrabat, repræsentatam venerari cessaret. Contra hunc ergo Draconem verus Amator S. Virginis tantò fortius cer-

certare debet, quantò majorem ex tali victoria fructum sperare potest; Siquidem & de ipso verificabitur, quod S. Joannes in apocal. c. 3. dixit: *qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Ierusalem, id est matris Dei & iterum: qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.* Unde SS. Patres plerumque amorem B. Virginis pro uno ex primariis signis prædestinationis agnoscunt.

Quinta Pars.

Denique ut perfecta sit columna nostra, etiam lucernæ jungendæ sunt, per quas nil aliud intelligo, quàm quòd omni studio etiam conari debeamus, ut non modò ipsi in amore B. Virginis quotidie magis proficiamus, sed alios etiam, quà verbis, quà exemplis ad eandem amandam incitemus; cujus quidem exercitij variæ nobis occasiones offeruntur. Quis enim non habet occasionem sæpius Deo supplicandi, ut cultum hujus Sanctissimæ Virginis in dies magis amplificare dignetur; atqui talis oratio meritò inter efficacissima media numeratur, cultum virgineum promovendi. Quis non quotidiè ferè occasionem habet unam alteramve animam purgatorij aut statim omninò liberandi, aut certè citiùs eripiendi, & eâ quidem intentione, ut illa Deo potenter supplicet pro eodem cultu Mariano amplificando? atqui & hoc obsequium tantò gratiùs est Deo & Matri Virgini, quantò præstantius est opus Misericordiæ & charitatis, cum quo conjungitur; quis non frequenter habet occasionem, saltem desiderium ardentissimum concipiendi, ut B. Virginis cultus & amor in toto orbe dilatetur? atqui & hoc desiderium pro affectu accipit Deus, & diva Mater, ubi vires plus non concedunt. ut nihil dicam de illis, qui aut liberos habent, ut parentes: aut Famulos & ancillas, ut Domini Dominæque: aut Discipulos, ut Magistri; hi enim quàm copiosam habent occasionem, nunc verbis animando, nunc exemplo præeundo, nunc in templum ad Sacramenta in Virginis honorem obeunda, aut preces dicendas mittendo. Verbo: Sicut ingeniosus est amor, ita nunquam ei deerunt variæ inventiones ad cultum

amatæ

amatæ Deiparentis promovendum. Quilibet ergo sibi a
plicet illud Christi dictum Matth. 5. *Sic luceat lux vestra* (
amor Marianus) *coram hominibus, ut videant opera vestra b
na, & glorificent Patrem vestrum* (& Matrem) *qui in calu
Certóque confidant in illis hac ratione impletum iri, qu
Eccl. 24. promissum est; *qui me elucidant, vitam æternam h
bebunt.*

Epilogus.

Atque ex his satis nunc patet, quomodo columnam spi
ritualem Monacensi similem erigere debeatis. Supereſt, u
manum operi admoveatis, & unam partem post alteram a
dificetis. Profectò sic in medio vestri existens Virgo pote
tissima potentiùs vos, quàm ulla salva quardia defender: fe
& copiosiorem vobis benedictionem afferet, quàm olim A
ca Dei domui obededom attulerit; quousque tandem, sicut o
lim columna Israelitas ex Ægypto eduxit, & introduxit i
terram lacte & melle manantem, ita & vos hæc columna e
hac miseriarum & lacrymarum valle educat, & in terra
promissam æternæ felicitatis introducat. Amen.

§. II.

Quomodo Conciones de B. Virgine in peregri
natione aut processione institui debeant.

Scopus.

Volunras propria ad exemplum & honorem B. Virgin
exuenda.

Thema.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuu
Luc. 1.

Syllogismus principalis.

*Tunc voluntas propria meritò relinquenda est, quando hæc o
sequium Deo & B. Virgini gratissimum est.*

Atqui est gratissimum,

Ergo meritò relinquenda est.

EXO

EXORDIUM.

Pia & antiqua consuetudo est, ut ij, qui sacram aliquam peregrinationem ad locum aliquem miraculis, vel alio quocunque titulo celebrem instituunt, donum aliquod Sancto illi, cui talis locus vel templum dedicatum est, offerant, ad amorem suum copiosiùs demonstrandum; cùm ergo & vos hodie cum magna devotione & modestiâ ad hoc B. Virgini consecratum templum peregrinati sitis, non dubito, quin & vos parati sitis, liberalitatem vestram insigni aliquo dono erga hanc Sanctissimam Virginem demonstrandi; verùm quid potissimùm offerre debeatis, nescire vos credo, atque adeò ardenter ex me cupere intelligere; huic ergo desiderio ut satisfaciam, ostendam vobis in hac concione donum, quod & gratissimum ex omnibus B. Virgini sit futurum, & quod ab omnibus vobis, etiamsi pauperrimi sitis, facilè, modò velitis, offerri possit; id unum ergo supereſt, ut & me attentè audiatis, & animos ad offerendum hoc donum interea præparetis.

Propositio.

Legitur in vita S. Ignatij Fundatoris Societatis JESU l. 1. c. quòd, cùm cælesti lumine illustratus mundi vanitatem agnovisset, atque adeò penitus ei valedicere, totúmque se DEI servitio tradere decrevisset, more militibus recepto, in monte Serrato noctem totam antè aram B. Virginis insomnem inter preces transegerit, armáque sua militaria, quibus mundo priùs militârat, ante altare suspenderit, ut vel hoc actu ostenderet, & protestaretur, quòd non jam deinceps mundo militare sed alia arma assumere, præliáque Domini præliari decrevisset. Quàm gratum fuerit Sanctissimæ Virgini hoc obsequium, eventus probavit, nam & miris consolationibus repletus est, & in alium virum mutatus, singularem DEI sanctissimæque Matris ejus assistentiam, & protectionem, præcipuè adversus carnis rebellionem, per totam reliquam vitam est expertus, quòd S. Ignatius visibiliter præstitit, idem ego à vobis invisibiliter & spiritualiter præstari cupio. Cupio, inquam, non ut noctem totam hoc in templo insomnem transi-

gatis,ſed ut armâ, quibus hactenus Diabolo & mundo mili
tâſtis, propriam ſcilicet voluntatem ad honorem Sacratiſſ
mæ Patronæ veſtræ ſuſpendatis. quod ipſum, ut feliciùs pra
ſtetis,ſciendum inprimis eſt,quid ſit voluntas propria; quam
quidem benè S.Bernardus ſ.3.de reſurr.Dom.explicavit, dum
dixit: *voluntas propria eſt,quæ non eſt communis cum DEO &
hominibus,ſed noſtra tantùm: quando,quod volumus, non ad
honorem DEI,nec ad utilitatem proximi, ſed propter nosmetip
ſos facimus,non intendentes placere DEO, & prodeſſe Fratribus
ſed ſatisfacere propriis motibus animorum.* hæc ergo volun
tas eſt inſtrumentum illud, quo potiſſimùm mundo & Dæ
moni hactenus militavimus,quóque toties DEUM hominesq
que offendimus, uti rectè idem Sanctus Bernardus oſtendi
dum in cit.ſermone dixit: *ceſſat voluntas propria, & infernus
non erit. In quem deſæviet enim ille ignis, niſi in propriam vo
luntatem? nam propria voluntas DEVM impugnat, & adver
ſus eum extollitur; ipſa eſt, quæ Paradiſum ſpoliat, infernum
ditat, ſanguinem Chriſti evacuat, & ditioni Diaboli mulierem
ſubiugat.* hæc ergò voluntas hodiè ſuſpenderur à vobis,ſi fe
miſſimum feceritis decretum,deinceps, non quod vobis gra
tum,& volupe,ſed quòd DEO honorificum & placitum,vobis
autem & proximo ad ſalutem veſtram utile eſſe cognoveritis
agendi,hoc donum aio,B.Virgini gratiſſimum, ejúsque obla
tionem vobis utiliſſimam fore.

Confirmatio.

Et 1.quidem quòd beatæ Virgini gratiſſimum ſit futurum
vel ex eo patet,quòd ipſa idem cum DEO judicium & ſenſum
habeat; atqui conſtat,DEO nihil eſſe gratiùs,quàm propriæ
voluntatis abrogationem, id quod ipſe 1. Reg. 15. ſat clarè
indicavit,dum per Samuelem Sauli dici juſſit: *nunquid vult
Dominus holocauſta, & victimas, & non potiùs,ut obediatur
nomini Domini? melior eſt enim obedientia,quàm victimæ, &
auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum.* Id ipſum
clarè illuminatiſſimus Blosius c. 2. de inſtit. Spirit.confirma
vit, dum dixit: *nihil Deo gratius offerri poteſt, abnegatione
propriæ voluntatis, quia homini nihil charius eſt voluntate &
arbitrii libertate*: hæc enim eſt quaſi arbor & radix omnium
operum

operum & fructuum hominis: hæc clavis est ad omnia reliqua bona ipsius: hæc domina est omnium affectuum & potentiarum hominis: Sicut ergò haud dubiè multò gratius obsequium præstat, qui totam arborem donat, quàm qui fructus tantùm illius offert; qui clavem ad omnes divitias, quàm qui partem tantùm tradit: qui Dominam ipsam, quàm qui tantùm pedissequas illius alterius dominio subjicit, ita dubitandum non est, gratiùs DEO, & consequenter etiam B. Virgini præstare obsequium, qui propriam voluntatem, quàm qui aliud quodcunque donum, velut fructum aut partem illius offert. quæ ipsa veritas alio adhuc exemplo non obscurè confirmari potest, quòd scilicet nullus tam perfectus amoris actus excogitari aut elici queat, qnàm quo suam DEO Divinitatem gratulamur, &, quantùm in nobis est, omni studio integram conservamus; hinc S. Augustinus vehementiam sui amoris explicaturus, non meliùs id præstare se posse censuit, quàm si diceret, se, si Divinitatem possideret, ipsi eam cessurum; hinc & senes in apoc. n. 4. ponebant coronas suas ante thronum dicentes: *dignus es Domine DEVS noster accipere gloriam, & honorem & virtutem, quia creasti omnia, &c.* atqui hanc Divinitatem nullus meliùs gratulatur DEO & conservat, quàm qui propriam suam voluntatem relinquens ad nutum DEI vivit; nam, ut S. Anselmus rectè advertit, solus DEUS, quidquid vult, debet velle propria voluntate, ita ut aliam, quam sequatur, non habeat supra se; Sicut ergo, cùm homo vult aliquid per propriam voluntatem, suam quasi DEO coronam adimit, ita qui eam relinquit, & cum divina voluntate conformat, coronam suam ponit ante pedes DEI, atque ut ille totus tanquam Rex supremus eam possideat, optat, quod non potest non D E O gratissimum accidere.

Quòd verò etiam nobis hæc oblatio sit utilissima futura, vel ex eo conjicere possumus, quòd, sicut DEUS utpote summus Zelator honoris sui non patitur se vinci liberalitate, ita neque passurus sit sibi & Sanctissimæ Matri tam pretiosum donum offerri, quin majorem vicissim liberalitatem ipse vobis sit ostensurus, eam nempe quam, ut ante vidimus, S. Ignatius est expertus, & ipse olim S. Davidi promisit: dicens:

Inveni David virum secundùm cor meum, qui faciet omnes vo luntates meas. Oleo Sancto meo unxi eum, manus enim mea au xiliabitur illi, & brachium meum confortabit eum, act. 13. qui bus verbis insignes tres gratiæ, in quibus tota felicitas homi nis consistit, indicantur; quarum prima illis verbis: *Ole Sancto meo unxi eum*: indicatur: oleum scilicet lætitiæ pr consortibus suis, ut ps. 44. ait, seu pax, quæ exuperat omnem sensum. hanc pacem DEUS per Isaiam 48. promisit, dum di xit: *utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua.* nam si radicem inordinatorum nostrorum affectu um, per quos potissimùm pax nostra turbatur, indagemus, de prehendemus, eam non aliam esse, quàm propriam voluntatem, uti pulchrè Abbas Pastor olim declaravit, dum quæsitu ab Eremita Abraham, cur Dæmones ipsum adeò oppugna rent? respondit: non pugnant nobiscum Dæmones, quando nostras voluntates facimus, qnia voluntates nostræ Dæmones factæ sunt; & hæ sunt, quæ tribulant nos, ut faciamus eas, hæ ergo si vincantur, plena pax erit, atque adeò verificabitur il lud Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum*, id est, voluntatem meam, quæ omnem saporem afferet, quatenus semper ha bebit id, quod desiderat.

Secunda gratia indicatur per illa verba: *manus enim mea auxiliabitur ei*: estque nihil aliud, quàm copiosa gratia quam DEUS tali homini, conferet ad omnia sua tam tempo ralia, quàm spiritualia negotia ritè feliciterque obeunda, ita ut de ipso, sicut de Sancto David dici possit 1. Reg. 18. *omnibus quoque viis prudenter agebat, & Dominus erat cum eo.* Unde & ipse illud Christi usurpare poterit: *& non reli quit me solum, quia, quæ placita sunt ei, facio semper.* hoc est, quod DEUS olim per psalmistam ps. 1. significavit dicens di viro, qui non abijt post consilium impiorum voluntatem pro priam sequentium, sed in lege Domini voluntas ejus, quod scilicet erit tanquam lignum juxta decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo, *& omnia, quæcunque faciet, pro sperabuntur.* Id quod S. Ignatius post arma sua suspensa co piosè est expertus; quis enim nescit, quàm felices hic vi Sanctissimus progressus in omnibus negotiis suis sit sortitus? quàm prosperè societatem suam condiderit? quàm magnis incre-

incrementis eam adhuc in terris existens adauctam viderit ? nimirum, quia vir secundùm cor Dei erat, & omnes voluntates ejus non suas faciebat, ideo non digitus tantùm, quo minor gratia & auxilium significatur, sed *manus* qua voce copiosum auxilium denotatur, ei *auxiliabatur*.

Tertia gratia per ultima verba : *& brachium meum confortabit eum* : indicatur, *singularis* scilicet *protectio*, qua DEUS virum secundùm cor suum defendit. Et verò id DEUS copiosè tam in S. Davide, quàm in Sancto Ignatio ostendit ; quis enim non legit aut audivit, quàm multos gravésque inimicos hi viri habuerint ? quamque mirabiliter ab omnibus eorum insidiis fuerint liberati, ita ut S. David tali auxilio confisus audacter ps. 22. dicere ausus sit : *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo ? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Ecce *cor meum* dicit, quia scilicet cordi DEO unitum fuerat ; quid mirum ergo, si illud tam fortiter defenderit DEUS ? si enim ipse per Salomonem prov. 4. dixit : *omni custodiâ serva cor suum* : quidni etiam virum secundùm cor suum ipse omni custodiâ defendat ? nimirum hîc illud S. Pauli Rom. 8. implebitur : *diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum* : hîc locum habet illa S. Petri 1. c. 3. adhortatio : *quis est, qui noceat vobis, si boni æmulatores fueritis* ? hîc verificabitur illa psalmistæ ps. 36. prophetia : *lex DEI eius in corde illius, & non supplantabuntur gressus eius.* ut adeò meritò tali homini illam S. Augustini exhortationem applicare possimus : *quid timet homo in sinu* (& in corde) *Dei positus ? tu de sinu illius noli cadere, & quidquid tibi ibi evenerit, in bonum, non in malum cedet. Imò cùm placuerint Domino vias hominis, etiam inimicos convertet ad pacem*, teste Salomone Prov. 16.

Epilogus.

Quæ cùm ita sint, audiamus S. Paulum ad Rom. 12. monentem : *nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas DEI bona, bene placens, & perfecta.* Audiamus prudens consilium Sancti Doroth. s. 17. *Coge te ipsum in cunctis, & vince, & voluntatem*

tuam inprimis abscinde; si enim consueveris voluntatem tuam amputare, habitu indues, Christi gratiâ & misericordiâ, qui omnia sine molestia & repugnantiâ perficies, téque in libertatem perfectam asseres. Accedamus ergò ad altare B. Virginis, flectamus genua cordis nostri, dicamus cum S. Ignatio in exerc. *libr. Suscipe Domine universam libertatem meam.* Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, hoc mihi largitus es: id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco: sic revera gratum erit donum vestrum; sic felix peregrinatio; nec jam amplius dicetur; qui multùm peregrinantur, rarò sanctificantur, sed multùm sanctificantur, multùm consolantur, multùm protegunturque & tandem etiam multùm præmiabuntur, quod nobis omnibus per merita S. Dei Genitricis concedere dignetur SS. Trinitas P. F. & Sp. S. Amen.

Nota similem in modum facilè plures ejusmodi Conceptus formari pro tali concione posse.

Et 1. quidem ostendi potest, quomodo Cereum candidum in honorem hujus SS. Virginis (idem etiam ad aliorum Sanctorum honorem fieri potest) offerre queant, seipsos scilicet, cùm & B. Virgo suo modo erga nos usurpet illud Thomæ Kemp. l. 3. c. 8. *Quid magis à te requiro, quàm ut studeas te mihi ex integro resignare? quidquid præter teipsum das, nihil curo, quia non quæro datum tuum, sed te.* Ostendatur ergo, quomodo constitutus debeat esse hic Cereus, quòd videlicet tres partes habere debeat, sicut Cereus materialis. 1. *Ceram candidissimam*, & pulchris, amœnisque coloribus ornatam; per quam nihil aliud intelligitur, quàm corpus nostrum dono castitatis præditum, & exteriori etiam morum & conversationis decentia seu modestiâ instructum; quantopere enim hanc decentiam à nobis requirat Virgo Sanctissima, sat clarè aliquando Musæ Virgunculæ ostendit, cui, cùm aliquando cum coævis Puellis apparuisset, & num secum vivere vellet, quæsiisset, Musaque intrepidè, id unicè se desiderare affirmâsset, subjecit ipsa: Non poteris in meum consortium admitti, ni-

si hoc

si has & illas levitates & jocos correxeris ; quâ admonitione resipiens Musa , cùm mores suos egregiè emendâsset , à redeunte post viginti dies Virgine in cælum assumpta est , uti fusiùs in spec. Exempl. tit. MARIA. Ex. 1. videre est. Si ergo tantoperè etiam solam exteriorem modestiam aversatur Virgo Sanctissima , quantò magis ipsam corporis luxuriam detestabitur ; ut adeò meritò sibi quisque S. Hieronymum in epist. loquentem audiat : *Quacunque virtute polleas* (seu quæcunque obsequia Virgini offeras) *quibuscunque opibus niteas , si cingulo castitatis careas , omnia per terram trahis* , atque adeò se cum integerrimo Juvene Joanne Societatis JESU se ad castitatem excitet dicens : *Si vis esse Filius Beatissimæ Virginis* (& eximius Cultor) *Zelator esto castitatis tuæ.*

2. Ostendi potest , quomodo etiam lychnum tenerrimum & candidissimum parare debeant , id est , animam , quæ à corpore sicut à Cera lychnus circumdatur , purissimam , seu ab omni peccato non tantùm mortali , sed etiam , quantùm fieri per humanam fragilitatem potest , veniali liberam , ut de ipsis perinde ac de B. V. dici possit : *Tota pulchra es Amica mea , & macula non est in te.* Si enim etiam in terris Matres pulchræ Filios pulchros habere gestiunt , quantò magis hæc purissima , & ab omni etiam originali macula libera Virgo tales habere cupiet ; absque hac sanè puritate parùm reliqua obsequia placebunt , uti exemplo Juvenis immundo pectore preces persolventis suprà indicato probari potest. 3. Denique ostendi potest , quomodo luminis ad Cereum requisiti loco amorem ardentem erga SS. hanc Virginem substituere debeant , cujus quidem amoris officia rectè per amorem demonstrantur ; ut enim 1. Lumen omnia illustrat , & pulchritudinem cujusque rei ostendit ; ita amoris erga B. Virginem primum officium est , magnam de illa æstimationem concipere , illúdque S. Hieronymi S. de Assumpt. testimonium firmiter credere : *Si-*

cut in comparatione DEI nemo bonus, ita in comparatione Matris Domini nulla invenitur creatura perfecta quantumcunque virtutibus eximia comprobetur. 2. Sicut lumen semper sursum tendit, ita & amor per fiduciam in omni casu, quo vel gratia petenda vel malum deprecandum, concepta, uti S. Bernardus in S. de aquæductu hortatur dicens: *Modicum illud, quod offerre desideras, gratiosissimis, & omni acceptione dignissimis MARIÆ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam.* de qua profectò fiducia meritò sibi quisque suo modo illam ejusdem Sancti in S. *qui habitat* sententiam dictam putare debet: *Tantùm per nos operabitur DEVS* (& Mater DEI impetrabit) *quantùm se nostra ad eum fiducia extendet.* 3. Sicut lumen continet magnum calorem, ita & amor magnum fervorem in obsequiis ad B. Virginis honorem destinatis (quorum aliqua enumerari possunt) in quo officio præstando exemplum Francisci Godoy Religiosi è Societate JESU ob oculos habendum, qui, cùm semper ollas in Culina nitidissimè purgaret, causam rogatus respondit, se manè omnia opera sua B. V. offerre, ac proin indecens fore, si quid non egregiè nitidum ei consecraret. Meritò ergo in hoc cultu quisque Consilium Siracidis cap. 3. ob oculos habere debet: *In omni opere tuo præcellens esto, & ne des maculam gloriæ tuæ*, quæ in eo consistit, quòd eximius Cultor B. Virginis existas, & dicaris. Excitentur proin Auditores, ut hunc Cereum in manus sumant, cum magna reverentia offerant, & ut nunquam extinguatur, sollicitè procurent, Christi saluberrimum monitum Mat. 5. sequentes: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent* Patrem vestrum (& Matrem) *qui in cœlis est.*

II. Ex occasione thematis: *Rogo ergo vos, Imitatores mei estote*: 1.Cor. 4. dici potest, multos esse, qui in peregrinationibus tabulam beneficii accepti memorem, in qua B. Virgo depicta sit, appendant; hunc autem cultum multò perfe-

ctius

ctiùs persolvere eos, qui spiritualem tabulam per imitationem B. Virginis appendere studeant; hanc enim tabulam ipsi gratissimam esse, uti S. Ildephonsus s. 1. de Assumpt. ostendit dicens: *Igitur dilectissimi, amate MARIAM, quam colitis; colite, quam amatis; quia tunc verè colitis, quam amatis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis.* Itaque tota concio in duas partes dividi potest. Et in prima quidem ostendi, in quo imitari maximè debeamus; quem in finem serviet sententia S. Ambrosii s. de Virg. dicentis: *Sit vobis tanquam in imagine descripta Virginitas, vitáque B. MARIÆ, de qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis licèt exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari Magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor Nobilitas est Magistri? quid nobilius DEI Matre? quid splendidius ea, quam Splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generavit?* Ita sanè S. Hedwigis Ducissa Poloniæ fecit, ut in vita illius 15. Octob. refertur, quæ continuò auream imaginem B. V. in manibus portabat, ut, quoties eam aspiceret, tum ad debitum illi cultum præstandum; tum ad præclaras virtutes illius imitandas incitaretur. Unde & in morte tam fortiter eam tenuit, ut nulla vi eripi potuerit, imò tres digiti, quibus eam tenuit, per viginti annos incorrupti manserint. Simili ergo modo nos B. Virginem in pectore tenentes, eandem nobis cit. S. Pauli verba dicere credamus: *Rogo vos, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, præcipuè in obedientia usque ad mortem Crucis; hîc enim maximè repetit, quod in Canæ Galilææ nuptiis olim dixerat: *Quodcunque dixerit vobis, servate, & facite.* In secunda parte ostendatur fructus hujus imitationis, quem quidem in genere indicavit S. Ildephonsus s. 1. de Assumpr. dicens: *Imitamini Matrem Virginem & Sanctos omnes, quos laudatis, quoniam non tantùm prodest ipsis nostra laudatio, quàm nobis eorum imitatio.* Et confirmavit S. Bernardus in s. super *Salve Reg. Agnoscit Virgo, & diligit diligentes se, & propè est invocantibus se, præsertim iis, quos videt conformes sibi factos in castitate & humilitate.* In specie verò hunc fructum declaravit ipsa sanctissima Virgo, quando Pictorem quendam, qui imaginem ipsius,

quàm poterat, artificiosissimè, Dœmonis verò speciem tu
pissimam effinxerat, post subtractum à Dœmone pegma, m
nus ad imaginem elevantem tamdiu manu extensa in aë
suspensum tenuit, donec homines miraculo attoniti de mu
eam deposuerunt, uti fusiùs in Spec. Exempl. ex. 5. tit. M.
RIA refertur. Si ergo B. Virgo tam sollicitè à lapsu conse
vavit illum, qui materialibus illam coloribus depinxi
quantò magis eum, qui Spiritualibus illam coloribus p
imitationem eximiè exprimere conabitur, à triplici lapsu,
adversum casum, in peccatum, in infernum tutabitur. U
uno alteróve exemplo, maximè illius Juvenis Brabanti
probari potest, qui, quia quotidie tres quinquagenas in ho
norem B. Virginis persolverat, post mortem jam jámque d
mnandus fuisset, nisi ob preces dictæ Virginis resuscitatus p
nitentiam agere potuisset, uti in Spec. Ex. V. bona injus
ex. 3. fusiùs refertur. Excitandus itaque Auditor, ut ad im
tationem hanc totis viribus se accingat, eandémque vel
pulcherrimam tabulam B. Virgini offerat, non dubitans, qui
gratissimum anathema antiquorum beneficiorum, & conc
liatrix optima novorum sit futura. Sit ergo finalis conclusi
*Quicunque sibi MARIÆ optat præmium, imitetur exem-
plum.*

III. Ex occasione thematis: *Vincenti dabo manna ab
sconditum, & nomen novum.* Apoc. 2. dici potest, laudabi
lem quorundam consuetudinem esse, ut coronas argente
vel aureas uninonibus, gemmísve distinctas in templo, ad
quod peregrinantur, appendant, sed hanc consuetudinem
paucis ob divitiarum defectum observari posse, aliam proin
de ostendendam coronã, quæ & gratior longè sit B. Virgini
(aut alteri Sancto) futura, & cujus oblatio etiam ipsis offe
rentibus multò utilior & honorifica sit extitura, scilicet *Vi
ctoriam* suiipsius; quæ omnia proin paulò fusiùs erunt demon
stranda. Et 1. quidem ostendatur, in quo consistat hæc V
ctoria suiipsius, scilicet in hoc, quòd inordinatam concupi
scentiam rei cujuscunque creatæ, ad quam magis inclinat
nos advertimus, superemus; uti rectè Thomas de Kempis
l. 3. c. 57. ostendit dicens: *Perfecta victoria est de semetip
triumphare; qui enim semetipsum subiectum tenet, ut sensualita
ratio*

vationi, & ratio in cunctis obediat mihi, hic verè Victor est sui, & Dominus mundi. Cùm autem difficile sit tot vitia, quibus interdum aliquis subjectus est, simul superare, ideo imitandum est exemplum Horatii Romani Militis, qui, cùm Romanus & Albanus exercitus hoc inter se pactum fecissent, ut tres ex quovis Exercitu seligerentur, eáque conditione inter se certarent, ut, quicunque ex his ternariis succumberet, illius etiam Exercitus Exercitum, ad quem Victores pertinebant, Victorem agnosceret, ejúsque se potestati subijceret, videns Fratres suos itidem Horatios jam succubuisse, ex altera tamen parte tres Fratres Curatios ad Albanum Exercitum pertinentes inæqualiter vulneratos esse, fugam simulavit, &, dum primum Curiatium utpote minùs læsum, celeriùs aliis sequentem advertit, subitò se convertit, eúmque gladio transfodit, eúmque modum etiam cum secundo citiùs subsequente tenens, tandem, quia solus tertius, maximéque per vulnera debilitatus supererat, etiam hunc facilè superavit. Certè ad hunc finem Examen particulare salubriter ab Ascetis excogitatum est, cujus scopus est uni vitio extirpando, & quidem illi, quod præ aliis magis nobis aut aliis nocet, specialem curam adhibere, sibíque illud Regis Syriæ 2.Par.c.28. præceptum applicare: *Ne pugnetis contra maximum aut minimum, sed contra solum Regem.* sic enim perinde victoriam contra alia quoque vitia facilè obtinebit; sicut David devicto Goliatho, & Bethulienses occiso Holoferno Duce non difficulter reliquum Exercitum vicerunt. In secunda parte ostendatur, quòd inprimis hæc corona DEO & B. Virgini sit gratissima futura; id quod facilè ex Abrahami Patriarchæ exemplo colligitur, qui, quia seipsum tam generosè vicit in naturali amore erga Filium dilectum Isaac expugnando, audire à DEO meruit: *Per memetipsum iuravi, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti unigenito tuo Filio propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Quantò magis DEO & B. Virgini placebit, si, quis semetipsum generosè vincere, Deóque in holocaustum gratissimum offerre studeat.

Deinde pariter ostendatur, quòd hæc victoria ipsi Victori utilissima sit futura, quia, ut rectè pius Author l. 1. c. 25. advertit, ibi homo plùs proficit, & gratiam meretur ampliorem, ubi magis seipsum vincit, & in spiritu mortificat. ut adeò

adeò in tali Victore impleatur, quod 1. Reg. 17. Davidi n
sponsum est: *Virum, qui percusserit Philisthæum, ditabit Re
divitiis multis*, illis videlicet, de quibus S. Bernardus ai
*Veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscien
portat, ut in æternum dives fiat.* Sed non utilis duntaxa
sed summè etiam honorifica & glorioſa hæc victoria quòd i
futura, colligitur ex Judith Holofernem Vincentis exempl
quæ propter talem victoriam magna facta est in Jerusalem
& præclarior erat universæ terræ Israël, uti Jud. c. ult. leg
tur; quantò magis talis honor ob victoriam suiipsius, qu
omnium victoriarum maxima à Sapientibus æstimatur, spe
rari poterit? certè hoc tam copioſæ promissiones à DEO in
Apocalypsi c. 2. & 3. factæ indicant: *Vincenti dabo manna ab
sconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen
novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Qui vicerit,
faciam illum columnam in templo DEI mei; vestietur vestimen
tis albis, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram
Angelis eius.* & tandem *dabo ei sedere mecum in throno meo*,
an non ergo quivis seipsum illis Josephi & Azariæ 1. Mach. 5.
verbis alloquatur: *Faciamus & ipsi nobis nomen, & pugnemus
contra Gentes* (& vitia) *quæ in circuitu nostro sunt.* maximè
cùm summam etiam jucunditatem & lætitiam ex tali victo
ria sperare possimus; uti DEVS ipse per Mannæ promissio
nem indicavit; & Sponsus quoque de Sponsa Cant. 7. fatus
est dicens: *Quam pulchra es & decora charissima in deliciis
Statura tua assimilata est palmæ, & ubera tua botris.* quid e
nim per botros istos, nisi lætitiæ internæ vinum significatur,
de quo rectè Thomas Kemp. l. 3. c. 32. dixit: *Vtinam tecum
sic esset, & ad hoc perveniſſes, ut tuiipsius amator non esses, (sed
potiùs te vinceres, & rationi subijceres) tunc mihi valde pla
ceres, & tota vita tua in gaudio & pace transiret.* perindè fere
sicut de Juditha post victum Holofernem dictum est: *Erat
autem Populus iucundus secundùm faciem Sanctorum; & tem
pore Iudith nemo persequebatur Israël.* Excitentur ergo Audi
tores ad hanc coronam B. V. offerendam, dicendúmque cum
Davide Ps. 17. *Persequar inimicos meos, & comprehendam il
los, & non convertar, donec deficiant.* Ut & cum S. Paulo 2.
Tim. 4. dicere olim queant: *Bonum certamen certavi, fidem
servavi, cursum consummavi; de reliquo reposita est mihi co
na iu-*

na iustitia, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.

IV. Ex occasione thematis: *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cum Muneribus adorare Dominum*: dici potest, laudabilem quidem esse consuetudinem Ecclesiæ, quòd certis temporibus peregrinationes sacras instituat; sed non semper optatum ex talibus peregrinationibus fructum reportari; unde natum proverbium illud: *qui multùm peregrinantur, rarò sanctificantur.* Ne ergo idem de Auditoribus quoq; dici queat, dic te ostensurum, quomodo peregrinationes tales rectè & cum fructu obiri debeant, ad modum scilicet primæ peregrinationis ad Christum à tribus Magis institutæ, qui pulchrè suo exemplo docuerunt, quid ante peregrinationem, quid in illa, & quid post illam sit observandum. Nam 1. ante illam bonum finem & intentionem sibi præfigebant, nihil aliud quærendo, nisi ut possent Christum cum Matre sua salutare & adorare; ita enim ipsi indicârunt inquirentes: *Vbi est, qui natus est, Rex Iudæorum, vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum*? hæc ergo intentio tantò diligentiùs præfigenda est, quantò magis dolendum est, tam multas, gravésque molestias, quæ in tali peregrinatione tolerandæ sunt, sine optato fructu & merito suscipi, uti fieret, si bona intentio non præcederet; hîc namque locum haberet illud Christi effatum Matt. 6. *Si oculus tuus* (& intentio) *nequam fuerit, totum corpus* (peregrinationis tuæ) *tenebrosum* (seu infructuosum) *erit.* Et ex hoc videlicet capite sæpe contingit, ut multi multùm peregrinentur, & tamen rarò sanctificentur; verè enim de peregrinantibus suo modo dici potest, quod S. Bernardus alicubi de scientiam sectantibus dixit: *Alii scire volunt* (aut peregrinari) *ut sciant*, & tum locum ipsum, ad quem tendunt, tum thesaurum ipsius vel alia visu digniora cognoscant, *& curiositas est*; *alii, ut sciantur*, & ab Amicis & Cognatis iterum aliquando videantur, & bene habeantur, *& vanitas est*; *alii, ut ædificentur*, id est, tum per reverentiam loci ad pietatem, vitæque emendationem incitentur; tum variorum bonorum collationem, aut malorum amotionem impetrent, *& prudentia est*; *alii, ut ædificent*, id est, vel bonum exemplum præbeant, aut pro aliis apud B. Virginem, aliósve Sanctos intercedant, & *charitas est.* Quare si usquam alibi, observandum erit in his peregrinationibus

bus Apostoli Pauli monitum: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* 1. Cor. 10. quem in finem in ipso mox peregrinationis sacræ initio tali intentio in memoriam revocatur, dum dicitur: *Procedamus in nomine Domini.* 2. In ipsa peregrinatione stellam Dei cem diligenter secuti sunt, &, ubi ad Præsepe venerunt, pro cidentes adoraverunt Christum, & munera, aurum, thus, myrrham obtulerunt; simúlque pulcherrimo iterum exem plo docuerunt, quomodo Peregrini se in sacra peregrinatio ne gerere debeant; sequendo scilicet Vexillum velut Ducem suum, nec à turba aliorum Comitum se separando: deinde verò in ipso loco & termino peregrinationis non circumcur sando per templum aut plateas, omniáque curiosè lustrando, sed procidendo in genua, Deúmque & B. Virginem religiosè salutando, & adorando. Et tandem munera, nempe thus devotæ orationis, & communionis, aurum charitatis per con tritionem & pœnitentiam renovatæ, myrrham Mortificatio nis vel patientiæ in tolerandis peregrinationis molestiis. Post peregrinationem per aliam viam reversi sunt in regio nem suam; id quod & peregrini facere debent per seriam vi tæ emendationem, ita ut, sicut de Adolescente quodam ma lam cum Muliere quâpiam consuetudinem habente referun quòd, cùm in peregrinas Provincias profectus, ex his in Pa triam fuisset reversus, & Mulier illa obvians quæsivisset, an eam non ampliùs nôsset, se enim esse illam, quam olim tan topere deperiisset, responderit; *ast ego non sum ego*: sed totus mutatus, ita & ipsi de se hoc dicere possint, atque adeò exclamare cum S. Paulo: *Vivo autem iam non ego, vivit verò in me Christus*, per gratiam & bonam conversationem.

V. Ex occasione thematis: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Cant. 6. dici potest hanc sententiam meritò Turbæ ad sacra loca peregrinanti (Dem Creutzvolck) applicari posse, utpote quæ & ipsa fit quasi *aurora consurgens*, dum optimâ intentione suscipit peregrinationem: *pulchra ut Luna*, propter splendorem in apparatu Vexillorum, imaginum sacrarum, reliquiarum portatarum &c. *electa ut Sol*, propter exemplum illustre devotionis & modestiæ in itu & reditu observatæ; sed præcipuè *terribilis ut castrorum*

strorum acies ordinata; cùm & finis ipsius non alius sit, quàm DEVM & Sanctos expugnare ad varias gratias conferendas, vel mala avertenda; & omnia, quæ in talibus peregrinationibus fieri solent, valde magnam habeant similitudinem cum exercitu. Quid enim Crux prælata aliud nisi Vexillum significat, sub quo militare debeamus, & audacter dicere: *Ecce Crucem Domini; fugite partes adversæ.* Et iterum: *Vexilla crucis prodeunt, fulget crucis mysteriũ?* quid aliud oratio & cantus nisi militare carmen indicat? quid aliud libelli precatorii nisi pharetram, ex qua orationes variæ velut tela acutissima cœlum penetrantia desumuntur? quid globuli sacri Rosarij nisi pilas minores? quid sacra hostia oblata nisi pilas majores? quid baculi in manibus nisi gladios? quid Concio nisi adhortationem ad prælium? quid cerei nisi funes igniarios (Zündtstrick) significant; unde meritò concludunt aliqui, tunc sacram peregrinationem fructuosè & rectè peractum iri, si omnia, quæ in Exercitu bene constituto reperiuntur, observentur. Nam sicut 1. in Exercitu oportet omnes milites *bene sanos* & *validos* esse, ita Peregrinos quoque non tam quoad corpus, quàm quoad animam sanos, id est, in gratia DEI constitutos esse decet; alioqui verificabitur, quòd S. Gregorius in Pastor. dixit: *Cùm is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur*; unde & Evangelicus cæcus Joan. 9. dixit: *Scimus, quia peccatores DEVS non audit*; nam, ut idem sanctus Gregorius sapienter advertit, *dignum profectò est, ut ab eius beneficiis extraneus existat, cuius iussionibus non vult esse subiectus.* Quare meritò talis Turba peregrinans timere potest, ne audire cogatur, quod Josue 7. c. Exercitus Israëliticus audivit: *Anathema* (sive peccator) *in medio tui est Israël, non poterus stare coram hostibus* (aut DEO, & Sanctis) *donec delcatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere.* Eum in finem toties *Kyrie eleison, Pater de cælis DEVS, miserere nobis &c.* ingeminatur, ut omnes meminerint cum DEO in gratiam redire. 2. Sicut in Exercitu debent multi, & quidem non Gregarii duntaxat Milites, sed etiam Duces comparere; ita & in processione sacra non tantùm plebei, sed etiam Magistratus, & Nobiles comitari debent vexillum; quod bene notent 1. illi, qui putant ejusmodi processiones ad solos Rusticos, Famulos, aliósque viliores

liores homines pertinere; hi enim meritò vereri debent, n
contingat illis, quod olim Marito cuidam contigit, qui, qu
nihil orabat, dicere solitus, uxorem suam pro se orare, quo
dam in raptu vidit se ante cæli portam cum uxore & multi
aliis consistere, cúmque uxore & aliis intromissis, etiam ip
intrare vellet, audivit dici sibi à Janitore: Uxorem, sicut i
eo ipsius oravit, ita loco ipsius quoque cælum ingressam es
His profectò dicet Christus illud Luc. 9. *Qui me erubuer
hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in Majestate Pat
sui*; sícque verificabitur suo modo, quod S. Augustinus olim
cum gemitu dixit: *Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & n
doctrina nostra* (seu nobilitate aut dignitate) *volutamur
carne & sanguine.* His ergo ob oculos versari deberet Exem
plum S. Caroli Borromæi, S. Elisabethæ Landgraviæ Thu
ringiæ, Ludovici Regis Alemanniæ, qui non modò cum sum
ma devotione interesse talibus Processionibus, sed nudis e
iam pedibus eas obire voluerunt. Thomas Morus verò Ca
cellarius Regni Angliæ ipse Crucem præferre non erubuit
& nunquam equo uti voluit dicens: *Nolo Dominum meum
peditem eques sequi.* Notent 2. idipsum illi, qui irriden
ejusmodi peregrinationes velut superstitiosas aut supervacu
neas non horrent; hi profectò meritò timere debent, ne sicu
olim Michol irridens Davidem coram arca saltantem, ster
lis facta est, ita ipsi quoque steriles in bonis operibus effician
tur; aut ne omnino eveniat, quod Hæretico in Westphalia
evenit, qui, quia Catholicorum supplicationem irrisit, subito
febre correptus est, Dœmoníque se jamjam tradendum es
clamavit, uti fusiùs Pœdagogus Christ. p. 2. 2. c. 14. §. 4. re
fert. 3. Sicut milites bonum ordinem servare debent; ita
& Peregrinantes curare, ut bini vel terni incedant; talis quip
pe ordo ad triplicem finem conducit 1. ad ædificationem, u
discrimen sit inter agmen Christianorum & brutorum temer
exeuntium. 2. ad decentiam; decet enim, ut Christum in
Cruce præeuntem cum Modestia sequantur, cùm dictum sit
S. Gregorio Nazianz. ep. 193. *Vbi Christus est, ibi modest
quoque est.* 3. ad propriam devotionem promovendam
nam, ut S. Bernardus s. 2. de purif. ait, *turbat processionem
quis solitarius incedere curat, nec sibi soli nocet, sed & caet
est molestus. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, S
rium*

vitium non habentes, nec solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Tales ergo ob oculos habere deberent exemplum, quod de Asinis in campo versantibus Orlandinus in historia Societatis ad annum 1537. scribit, quòd scilicet, cùm Sacerdos quidam Evchariſtiam ad ægrotum sine pompa, & & comitatu deferret, illi ex utroq; viæ latere repentè discreti in genua procciderint, & pulchro ordine præeuntem usque ad ædes Infirmi comitati sint, nec priùs discesserint, quàm egressus Sacerdos ad sua illos pascua cum benedictione dimiserit. 4. Sicut Milites, ut fortiores sint, conjuncti & bene concordes esse debent; ita & Peregrinantes per charitatem fraternam bene unitos & conjunctos esse oportet; cùm enim Christus Matth. 18. dixerit: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.* Quidni multitudo peregrinantium quoque, si bene per charitatem consentiat, omnia, quæ petere statuit, facilè se impetraturam confidat? quod bene notare debent, qui inimicos habent, & ignoscere nolunt; hi namque planè dissipant hunc exercitum, & infirmum faciunt; quomodo enim placari potest DEUS, si ipsi erga Proximum non placentur? quomodo vultum benignum ab ipso sperare possunt; si ipsi torvè Proximum aspiciant? quomodo dimissionem peccatorum petere, si ipsi non dimittant? quomodo varia dona & gratias postulare, si charitatem ipsi negent? Quilibet ergo sibi applicet illud Christi Matt. 5. *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quòd Frater tuus habeat aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari Fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* 5. Sicut Milites in Exercitu armis bene instructi esse debent; ita & peregrinantes, talia autem arma sunt Rosaria, libelli precatorij, vel quæcunque aliæ orationes, sedulò & ferventer usurpatæ; ad hunc finem sanè variæ Litaniæ & aliæ Cantiones præcinuntur, imagines Sanctorum & Christi præferuntur, Cerei accenduntur, Sacrificium offertur, concio habetur. Unde graviter errant, qui loco templorum hospitia frequentant; loco sacræ confessionis & communionis comessationibus vacant; loco B. Virginis Amasias salutant; loco cantionis aut orationis lusu se recreant; hi profectò meritò timere possunt, ne accidat, quod in monte B.

Virginis anno 1611. evenit, dum 1500. Perſonæ peregrin
flammis ob peccata in hoſpitio perpetrata perierunt, ipsàqu
B. Virgo viſa eſt flammas ſubdere, uti fuſiùs iterum apud Pe
dag. Chriſt. p. 2. c. 14. §. 4. videre eſt. 6. Sicut Milites an
finem prælii è campo diſcedere non debent; obtentâ ver
victoriâ gratias agere, & ſpolia dividere; ita & Peregrinos
Societate & Vexillo diſcedere non opottet, donec domu
redierint, atque adeò illud Chriſti Matt. 10. ob oculos ha
bendum: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*, i
eſt, fructum ſacræ peregrinationi præfixum obtinebit. Se
& gratias agere pro donis impetratis decet, quod quidem me
liori modo præſtari non poteſt, quàm ſi quis donis obtenti
bene utatur. Impetrâſti ergo peccatorum remiſſionem, ca
ve, ne relabaris? Impetrâſti gratiam? cave, ne amittas? im
petrâſti pluviam, & fruges bonas? cave, ne malè utaris? im
petrâſti liberationem ab incendio? cave, ne domo ſalvat
abutaris ad vitia, & ignem æternum accendendum. Impe
trâſti varia dona? Participa cum proximo per eleemoſynam
& memento, quid dixerit Tobias c. 12. *Bona eſt oratio* (& pe
regrinatio) *cum ieiunio & eleëmoſyna.* Ad hæc ergo execu
tioni mandanda excitentur Auditores, certóque ſibi perſua
dere jubeantur, quòd victoriam obtenturi, & id, quod pe
tunt, à DEO & Sanctis obtenturi ſint; ſique tali modo con
tra DEUM prævaluerint, quantò magis contra homines præ
valebunt, ut olim Gen. 32. Angelus Jacobo dixit: Sic tan
dem mutabitur proverbium, dicetúrque cum veritate: Qui
multùm peregrinantur, multùm ſanctificantur, benedicun
tur, proteguntur, à DEO & Sanctis diliguntur, & variis do
nis quà temporalibus, quà æternis exornantur.

VI. Ex occaſione thematis: *Aſcendentibus illis ſecundùm
conſuetudinem diei Feſti, remanſit puer IESVS in Ieruſalem.*
Luc. 2. oſtendi poteſt inprimis antiquitas Peregrinationum
utpote quæ ab ipſo jam Chriſto & Parentibus illius ſecundùm
conſuetudinem Judæorum fuerint frequentatæ. Deinde ver
& præcipuè oſtendi poteſt utilitas earundem ex eo, quòd o
mnes conditiones, quæ ad impetrandum aliquid à DEO (q
quam impetrationem potiſſimùm peregrinationes inſtituun
tur) requiri poſſunt, in peregrinatione deligentur, obſer
ventur. Si enim 1. oratio tantò eſt gratior & efficacior, quan
tò gra-

tò gratior est ille, per quem offertur (uti in Exemplo Bersabeæ, & Estheris patet, quarum illa Filio Salomoni regnum, ista liberationem Populi sui impetravit) quidni meritò B. Virginis Patrocinium in loco, in quo magis propitiam se exhibere solet, ambiatur, & per eam varia dona à DEO petantur, & sperentur? an non enim hîc meritò illa S. Bernardi sententia ob oculos habetur: *Modicum illud, quod offerre desideras, gratiosissimis, & omni acceptione dignissimis MARIÆ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam?* 2. Si non parùm juvat ad Orationem, si plures simul orent (hic enim Christus ipse indicavit Matth. 18. *Si duo consenserint &c.* & confirmat S. Ambrosius l. de pœn. dicens: *Multi minimi, dum congregantur unanimes, sunt magni, & multorum preces impossibile est non audiri*) an non iterum peregrinationes singularem Orationi efficaciam addent, ubi tam multi congregantur, & unanimes sua vota, precésque DEO offerunt? Hoc sanè firmiter jam olim Bethulienses cives credebant, qui cùm in manifesto periculo interitus constitutos se cernerent, convocatus est omnis Populus, & per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt, petentes auxilium à DEO Israël. Judith. c. 6. Eundem ob finem Propheta Joël c. 2. clamavit: *Vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, & sugentes ubera. Inter vestibulum & Altare flabunt Sacerdotes Ministri Domini, & dicent: Parce, Domine, parce populo tuo.* 3. Si juxta Siracidem c. 35. *Oratio humiliantis se penetrabit nubes, &, donec propinquet, non consolabitur; & non discedet, donec altissimus aspiciat*; an non iterum ex hoc capite peregrinationes multùm utiles & efficaces censebuntur ad orationem DEO gratam efficiendam, utpote quæ plerumque pedibus non sine magna demissione, licèt equi & currus multis suppeterent, peraguntur. Sic sanè S. David 2. Reg. c. 15. Ascendebat Clivum Olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & aperto capite; & omnis populus, qui erat cum eo, aperto capite ascendebat plorans. Sed & ipse Christus Luc. 22. egressus ibat secundùm consuetudinem in montem Olivarum, & positis genibus orabat. Ne verò etiam nostrorum temporum exempla desint, ex quibus colligatur, quàm efficaces sint ejusmodi processiones ad ea, quæ à DEO petuntur, impetranda, me-

da, memorabile inprimis est, quod ex Nicolao Serrario Pe
dagogus Christianus p. 2. c. 14. §. 4. refert, quod scilicet
Insula Chio Christiani circa annum 1600. cùm summa in
lo loco siccitas reperiretur, & tam Turcæ, quàm Judæi
Græci Schismatici precibus & clamoribus suis eo fine ind
ctis frustra pluviam impetrare conati fuissent, processio
cum imagine B. Virginis in vicinum collem instituta tam c
piosam impetrârint, ut ipsimet Turcæ pluviam talem vel
evidentissimum DEI donum manibus exciperent, & exosc
larentur; nonnulli verò ex ipsis etiam in ædem Catholic
rum venirent, & ad imaginem magnæ DEI Matris vener
bundi procumberent. Aliud non minùs memorabile de
Porphyrio refert, idem Pœdagogus, quòd scilicet cùm Civ
Gazæ urbis septem diebus frustra à suo Idolo pluviam petiss
sent, ipse ductis 280. Christianis ad templum S. Asclepæ E
piscopi, & S. Timothei tam copiosas etiam pluvias impetrâ
rit, ut ne Gentiles quidem dubitarent, precibus Christiano
rum has pluvias fuisse impetratas, ideóque portis, qua
eis è templo revertentibus occluserant, reseratis passim cla
mârint: *Christus solus DEVS, ipse solus vicit*: ipsósque Chri
stianos ad templum pro agendis gratiis secuti sint, 176. eo
rum ad fidem Catholicam conversis. Quis verò nescit mira
bilem effectum, quem S. Gregorius Magnus per processionem
à se pro avertenda sævissima peste institutam obtinuit, dum
scilicet Angelum in Castro stantem, & evaginatum gladium
in vagina recondentem vidit, & mox pestis grassari desiit. Fe
cit nimirum DEUS in similibus casibus, quod S. Henricus
Imperator, teste Radero in Aula sancta c. 24. feciſse dicitur
qui, cùm Urbem Trojam obsideret, & illam solo se æquatu
rum jurâsset, omnibus masculis in furcam actis, processione
ab ipsis obsessis cum prælata Cruce, instituta, & pueris lacry
mabili voce Kyrie eleison clamantibus adeò commotus est
ut illacrymans dixerit: *Misereor super turbam*: & mox urbi
pepercerit. Quis ergo Processiones non magni æstimet, li
benter suscipiat, & religiosè peragat? quæ itaque, quæso,
causa est, cur quandoque talibus processionibus tam pauci in
terſint? Vereor sanè, ne iterum dici queat: *Et cœperunt si
omnes excusare*: nam 1. aliqui frivolum illud pronuntia
bunt: *quid dicent homines*? si ego in tanta dignitate, authо-
ritate.

thoritate, aut nobilitate constitutus, plebeiæ turbæ me associem, Rosarium in manibus portem, & aperto capite, pedibus Sacerdotem & Crucem sequar? Hos profectò non meliùs refutare possum, quàm Davidis exemplo, qui, ut 2. Reg. 6. legitur, cùm deposito cultu regio, amiculum lineum induisset, & arcam pio ac gestiente corpore & animo comitatus fuisset, irrisus licèt ab uxore Michol, non destitit à proposito, sed in has notatu dignissimas voces erupit: *Ludam, & vilior fiam plùs, quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum Ancillis, de quibus locutus es, glorioſior apparebo.* Si ergo Rex tantus non dedecori sibi duxit, Processioni interesse, cur in minori longè dignitate constituti, id vitio sibi vertendum timeant? 2. Alii timent ne interea damnum in bonis temporalibus, aut lucro cessante patiantur; sed hi meminisse debent, quid DEUS Exodi 34. c. promiserit, dum dixit: *Nullus insidiabitur terra tua, ascendente te, & apparente in conspectu DEI tui ter in anno. Cùm ergo ipſi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilet, qui custodit eam*, facilè contingere potest, ut, si tuæ custodiæ nimis confidis, & ideo negligis Processionem, domi tibi incommodum aut damnum nascatur, quod passus non fuisses, si cum vera ad DEUM fiducia Processionem fuisses comitatus; ita enim jam olim Majores nostri senserunt, dum dicere sunt soliti: **Durch Kirchengehn verſaumet man nichts: durch Allmuſen geben erarmet man nicht.** Ita & Philippus II. Rex Hispaniæ sensit, qui, cùm Cordubæ olim in solenni processione moneretur de capite, ne ardor solis noceret, tegendo, responsum pium ac Catholico Rege dignum dedit dicens: *Sol hoc die non nocet.* 3. denique alii dicunt, ubique DEUM & Sanctos invocari posse, nec esse operæ pretium, ut tam molesta & longa itinera ob hunc finem suscipiantur; sed & hi errorem suum facilè agnoscent, si meminisse velint, quòd jam olim DEUS, ut paulò antè vidimus, præceperit Judæis, ut ter in anno in Jerusalem peregrinarentur; sed & defacto in aliquibus locis gratias largiatur peregrinantibus, quas frustra hi priùs in Patria sua petierant? ad quem finem autem hæc omnia facit, nisi ut ad peregrinationes instituendas homines incitaret? an non enim aliàs æquè dici DEO potuisset, ubique bonum esse orare, ubique eum juvare, & favores suos conferre posse? sancta ergo & salubris

est consuetudo, Processiones instituendi, & vel ideo tantò fe ventiùs retinenda, quòd per eam orationes nostræ gratiore DEO, & pro nobis efficaciores existant; dicat ergo quilibe cum S. Davide: *Introibo ad Altare DEI* (ad hoc vel illud templum) *ad DEVM* (& B. Virginem, aut alium Sanctum *qui lætificat iuventutem meam* (& cor meum) *liberando m à malis præsentibus & futuris; & animam cælestibus donis im plendo, quales nobis quoque concedat per merita SS. Matris su Servator noster, qui cum Patre &c.*

§. III.

Quomodo in Congregationibus Rosarii haberi conciones debeant.

Thema.

Veniat dilectus meus in hortum suum. Cant. 5.

Scopus.

Rosarii præstantia, utilitásque demonstranda.

Syllogismus principalis.

Illud exercitium devotionis meritò suscipitur, quod & in s præstantissimum est, & plurimos exercenti fructus affert; atqu tale est exercitium Rosarii recitandi; ergo hoc exercitium meri tò suscipiendum, & frequentandum est.

EXORDIUM.

Non dubito, quin sæpius hactenus non pauci ex vobi mirati sint, cur Congregatio hæc, in quam inscripti estis Congregatio Rosarii vocetur; neque enim hæc Congregatio horti similitudinem, aut illa Exercitia, quæ ab ea præscri buntur, rosarum speciem referre videntur; his non melius respondere possum, quàm referendo historiam, quam Joan nes Major in Speculo Exemplorum V. B. Virgo MARIA se quentibus verbis refert: Legitur in libro Exemplorum B. Virginis, quòd scholaris quidam Juvenis B. Virgini mutatio devotus hanc sibi consuetudinem fecerat, ut de odoriferis ro ribus

ribus, & aliis redolentibus speciebus (prout meliùs habere poterat) imagini B. Virginis, quæ in templo habebatur, sertum quoddam diebus singulis mira cordis simplicitate ac devotione faciebat, quo caput imaginis ornare consueverat. Parentes igitur Clericuli, agnitis devotione pariter & desiderio Pueri in Monasterium quoddam eum in Monachum conservandum tradiderunt, qui mox claustrali arctatus disciplina præ dolore cordis cæpit plurimùm flere. Cúmque Prior, quænam esset causa tanti fletus, interrogâsset, (propter Ordinis namque rigorem flere eum suspicabatur) respondit ei Puer: Solitus sum diætim de congregatis hinc inde speciebus ac floribus B. MARIÆ sertum componere, ad quod jam exire, me videtur loci hujus observantia præpedire. Ad quod Prior, Fili, inquit, charissime, singulis diebus legas quinquaginta *Ave MARIA*, sic ut semper post decem legas unum *Pater noster* ad honorem & reverentiam dilectæ Dominæ tuæ. Sic nempe sertum ei facies gratiùs multò priore. Puer verò jussa implens per incrementa temporum auxit & incrementa virtutum. Adeptus annos debitæ ætatis propter vitæ ejus probitatem electus est in Priorem. Contigit ergo, eum ex parte officii cum aliquo Fratre aliquorsum pergere, quod ut quibusdam Latronibus innotuit, eos à tergo sunt secuti. Recordatus interim Prior sertum consuetum B. Virgini illo die nondum lectum ad genua procidit, & maleficiorum inscius sertum Virginis devotus implevit. Stantes autem Latrones viderunt Dominam quandam mira gratiositate formosam ante eum stantem, & per singulas salutationes rutilantes rosas & flores ab ejus ore excipientem, & sertum quoddam ex eis perpulchrum componentem. Finita autem oratione sua completum est sertum, quod ipsa Domina proprio capiti imponebat, sicque ab eorum obtutibus est subtracta. Clamabant igitur Latrones ad Patrem. Nisi nobis, quæ fuerit hæc Domina, quæ vobis astabat, intima veritis, nequaquam mortem effugietis. Quibus Prior, Pueri, inquit, nullius est nobis Dominæ cognita vel visa præsentia. Ad quod Latrones: Non solùm quæ vobis astitit, sed & quid legebatis, cùm vobis appareret, aperire nobis oportebit. Coactus itaque Prior rei gestæ ordinem illis retulit, quomodo videlicet diætim B. Virginem venerari consuevit. Tunc illi miraculo audito,

pedibus ejus provoluti, veniam postulabant, & ut sibi con-
terentur, ab eo precibus impetrabant. Sicque emendatâ de-
inceps in melius vitâ, felici fine, beatâ quiete in Domin-
quieverunt. Prior ergo Virgini glorioſæ gratias referen-
ſolitum ſuæ devotionis obſequium tali fretus præſidio, de-
votius curavit eidem offerre. Ita totidem verbis Colleſta-
Speculi. Ex qua hiſtoria facilè nunc colligitur, non immer-
tò Salutationes Angelicas, quæ ex præſcripto Congregatio-
nis Roſarii recitantur, roſas, atque adeò ipſam Congregatio-
nem Roſarium, ſeu hortum Roſarum vocari; ſi enim Hor-
tus, teſte Ruperto Abbate, inde nomen ſuum accepit, quò
ſemper aliquid ibi oriatur, nemo profectò negare poteſt, ham
Congregationem præ aliis nomen Roſarii mereri, utpote in
qua quotidie tot amœniſſimæ, & B. Virgini gratiſſimæ Roſa
naſcuntur, ſeu recitantur. Quod ipſum tamen ut clariùs a-
gnoſcatis, in præſenti abundantiùs demonſtrabo, ut, dum
præſtantiam & utilitatem hujus Congregationis ſeu Roſarii
cognoveritis, tantò magis quoque beneficium cooptationis
in eandem æſtimetis, & per exactam omnium Exercitiorum
quæ ab ea præſcribuntur, obſervationem gratos vos exhibere
ſtudeatis.

Tria præcipuè commendari & æſtimari adverto in Roſa-
rio, ſeu horto Roſarum, amœnitatem ſcilicet, odorem, & u-
tilitatem ad varios, eóſque præſtantiſſimos effectus; quis e-
nim non plurimùm delectatur, ſi tot amœnas roſas, centum
interdum foliis conſtantes, in Roſeto ſpinis referto exorsa
videat? quis non plurimùm recreatum ſuaviſſimo roſarum o-
dore ſe fatetur, ſi ponè ejuſmodi Roſetum tranſeat? quis non
frequenter virtutem Roſarum ſive ad catarrhos diſſolvendos
ſive ad dolores ſtomachi leniendos, five ad ſananda ulcera
ſive ad deliquia animi pellenda, ſive ad aciem oculis reſtitu-
endam, in ſe, aliiſve expertus eſt? Verùm utut hæc tria præ-
conia excellenti quodam modo Roſario convenire dicantur
negari profectò non poteſt, ea præſtantiori longè ratione Ro-
ſario noſtro ſpirituali, ſeu Congregationi Roſarii convenire

Atque ut de ipſa amœnitate initium faciam, quis negare
poteſt, amœniſſimas in hac Congregatione roſas, id eſt, Sa-
lutationes Angelicas, & Dominicas Orationes quotidie fer
recitari ſolitas, & tot quaſi pulcherrimis, ſpatiis, quot my-
ſteriis

steriis, præditas inveniri? quomodo enim non summè recreari potest DEUS, si proprii sui Filii,& Sanctissimæ Matris ejus memoria refricetur? quomodo non & ipsi homines exhilarari, si hæc suavissima duo nomina vel ipsi pronuncient, vel ab aliis pronuntiari audiant? Hoc sanè agnovit S. Bernardus à S.Bonaventura in spec.Virg.c.8.cit.dum ait: *O magna, ô pia,ô multùm laudabilis Virgo MARIA: tu nec nominari potes, quin accendas: nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium tc. Tu nunquam sine dulcedine divinitus insita, piæ memoriæ portas ingrederis.* Hinc S.Franciscus Seraphicus mira devotione erga hanc salutationem ferebatur dicere solitus: Cùm dico *Ave MARIA,cæli rident, Angeli gaudent, mundus exultat,infernus contremiscit,Dæmones fugiunt.* Quod itaque Pierius l.55.de Rosis materialibus,scribit, quòd scilicet Indorum Magi ad conciliandos Magnorum Principum animos non alia re magis, quàm Rosis vel oleo Rosaceo utantur,hoc multò verius de his Rosis spiritualibus dici potest; has sanè rosas qui devotè usurpaverit,Deóque obtulerit, dubitare non potest,quòd DEI, & Deiparæ gratiam sibi conciliaturus, veniámque peccatorum suorum facilè sit obtenturus;cùm enim toties SS. JESU & MARIÆ devotè pronuntiet, & cum fiducia invocet,*habebit* utique,ut Arnoldus Carnotensis ait,*Mediatorem causæ suæ Filium ante Patrem, & ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit latus & vulnera, MARIA Christo pectus & ubera,nec potest esse repulsa, ubi concurrunt & orant omni linguâ diserius hæc elementiæ monumenta, & caritatis insignia.* Id quod multis sanè exemplis posset confirmari, unum præ reliquis sufficiat de Benedicta Nobili Virgine,quæ à turpi Amasio seducta primùm est imprægnata, postea commune prostibulum urbis facta, quia S. Dominici cognati sui ad conversionem hortantis monita contempsit, intra triduum morbo correpta, omniúmque Amicorum auxilio penitus destituta est. Denique quia à S.Dominico persuasa Rosarium quotidie dicere decrevit, & verò etiam recitavit,ita mutata est, ut passim pro Sanctitatis Speculo haberetur; quamobrem Rex ipse divulgatâ ejus fama non aliam magis,quàm ipsam statuit in Conjugem assumere, post cujus mortem ipsa regnum diu & feliciter administravit, Superis æquè ac hominibus dilecta, uti fusiùs in Thesauro Rosarij

p. 2. c. 2. refertur. Quòd si verò Rosario aut ipsis etiam R
sis non parùm amœnitatis aut admirabilitatis potiùs conc
liat, quòd inter spinas nascantur, neque hoc sanè Rosario n
stro deest, quis enim nescit, quàm vehementer Rosarij pr
mulgationem & usum impedire conati sint infernales C
nij? quàm potenter se S. Dominico Rosarij Promulgat
opposuerint Albigenses Hæretici? quàm multi insuper fr
gidi Christiani quà calumniis, quà acerbis dicteriis alio
frequentatione hujus Congregationis & recitatione Rosar
avertere studuerint? quid aliud verò sunt istæ persecution
& oppositiones nisi acutissimæ spinæ, inter quas tamen Ros
nostræ spirituales tantò copiosiùs & admirabiliùs creverun
quantò vehementius ipsas eædem spinæ suffocare nitebat
tur. Verè igitur magna amœnitas, magna amabilitas, ma
gna est admirabilitas nostri Rosarij.

Nec verò etiam suavissimus odor deest Rosario no
stro; quid enim tam multos Reges & Principes, tam multo
Ecclesiasticos, tam multa Laicorum Christianorum milli
attraxit, atque, ut in Congregationem Rosarij inscribi pet
rent, persuasit, nisi suavissimus odor, & fama, quæ de præstan
tia & efficacia Rosarij tot miraculis, aliisque testimoniis con
firmatâ per totum orbem spargebatur? Sanè si perpendam
accuratiùs velimus, quàm brevi tempore per tot urbes & Pro
vincias, hæc Congregatio propagata, & usus Rosarij recitan
di ubique introductus, receptus, & conservatus sit, miracul
propè similis videbitur tam admiranda propagatio, nec alia
causæ, quàm suavissimo odori hujus Rosarij adscribenda, de
quo meritò omnes Christiani in hanc Congregationem ab
scripti illa Sponsæ Cant. 1. Verba usurpare poterant: *Trahe
me post te, in odorem unguentorum tuorum* (& piarum legum
ac consuetudinum) *curremus*. Nec diutius in proprietat
ista per se notissima explicanda aut probanda immorab
bor.

Sed ad tertiam, eámque præcipuam Rosarij nostri lau
dem, utilitatem scilicet, & efficaciam progredior, quam
quidem paucis verbis egregiè expressit Idiota to. 3. Bibl. SS.
Patrum c. 5. dum dixit: *Non est in ullo alio nomine post nomen
superbenedicti Filii tui tam potens adiutorium, nec est ullum a
ud datum nomen sub cælo hominibus post dulce nomen IESV, in
qu*

quo tanta salus hominibus refundetur, quia super omnia Sanctorum nomina reficit lapsos, sanat languidos, illuminat cœcos, penetrat duros, recreat fessos, ungit agonistas, & iugum Diaboli extrudit. Tantæ virtutis est & excellentiæ, ut cælum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant, cùm MARIA nominatur. Ubi autem frequentiùs hoc Sanctissimum nomen profertur, quàm in ipso nostro Rosario? Ut autem clariùs & in specie magis has utilitates declarem. Habeant sanè Rosæ, aut aqua potiùs ex rosis distillata virturem, oculorum aciem restaurandi; nostræ profectò rosæ spirituales seu salutationes in Rosario inclusæ virtutem habent non corporis, sed animi oculos illuminandi; ita sanè S. Dominicus ipse, teste Pistorio conc. 14. p. 2. expertus est, dum ipsi in Academia Parisiensi concionari jusso, & sublimes conceptus animo volvenri B. Virgo apparuit, & libello oblato dixit: Fili mi Dominice, etsi bona sint, quæ explicare pro Concione decreviśti, longè tamen meliora attuli tibi. Aperto itaque libro tot in eo mysteria de Rosario, quot verba reperit. Habeant 2. Rosæ virtutem dolores corporis leniendi; nostræ verò rosæ dolores tales & morbos non leniunt duntaxat, sed omnino auferunt, uti tum quotidiana anathemata, tum historiæ plurimæ in thesauro Rosarii annotatæ testantur. Habeant 3 Rosæ virtutem catarrhos dissolvendi; nostræ rosæ catarrhum multò magis noxium & periculosum, malas scilicet consuetudines dissolvunt; expertus hoc est, ut plures alios brevitatis causa præteream. Juvenis ille, qui, cùm pessimam ludendi & potandi consuetudinem contraxisset, ad avunculi sui consilium primo anno 50. salutationes recitavit; &, cùm imminui paulatim consuetudinem adverteret, sequenti anno totidem salutationes adjecit; &, cùm novum iterum fructum sensisset, etiam tertiam Rosarij partem adjunxit, sícque quotidie integrum Psalterium recitavit, & per B. V. auxilium, sic immutatus est, ut, dum ipso nuptiali die recordatus, se pensum suum Magnæ Patronæ necdum persolvisse, in cubiculum secessisset, sub ipsa recitatione Rosarij B. Virgo tribus diversis rogis, in quibus 150. salutationes aureis literis descriptæ fuerant, induta ei apparuerit, & sponsæ terrenæ valedicere jubens, eum intra dies tres ad cælestes nuptias invitârit. Unde mox lenta febre correptus intra triduum piè expiravit, uti fusiùs

sius in Spec. Exempl. tit. Castitas Ex. 5. videre est. Habeant
Rosæ virtutem ulcera curandi; an non graviora, magis
periculosa animæ ulcera peccata sunt? hæc autem à Ros
nostris spiritualibus efficacissimè curantur, uti innumera
rum exempla maximè à S. Dominico patrata probant, qui
nè ad graviſſimos quosque Peccatores non alio magis reme
dio est usus, quàm Rosarij commendatione. Et verò qui
nescit, quàm multi graves Peccatores in longum tempus
peccata confiteri differrent, nisi Congregatio Rosarij, cui no
men dederunt, suis legibus, aut indulgentiis propositis eos
dem ad confessionem & emendationem suorum peccatorum
invitaret? Habeant denique rosæ virtutem ad varia anim
deliquia pellenda; nunquam in hoc virtutem rosarum no
strarum spiritualium exæquabunt: an non enim grave deli
quium est, in hostiles manus & vitæ pericula incidere? quàm
multi autem ab hoc deliquio per virtutem Rosarij sunt libe
rati? de Alano certè Equite quotidie rosarium recitare sole
to Chronicon S. Dominici p. 1. c. 34. refert, quòd, cùm ab in
genti Hæreticorum multitudine circumdatus esset, B. Virgo
visa sit 150. lapides in hostes jaçere, maximâ eorum strage.
Aliàs verò Jerosolymas navigans, cùm in naufragium inci
disset, 150. colliculos viderit, per quos in continentem sal
evasit; ut meritò Jacobus Saramina Coadjutor Societatis
JESU in Mauros Prædones incidens rosarium protulerit; at
que ad hostes, *nihil vos formido hoc fretus*, dixerit, & intactus
evaserit, an non grave pariter deliquium est, à tartareis Spi
ritibus infestari? atqui ad hoc etiam tollendum deliquium
miram efficacitatem Rosarium habet; certè S. Dominicus
per hoc plures ex obsessis Dæmones fugavit, maximè ex Al
bigensi Hæretico, qui, quia Sancto Rosarij virtutem prædi
canti contradicere ausus erat, à quindecim mille Dæmoni
bus fuerat obsessus, quos tamen omnes per virtutem Rosarij
S. Dominicus cedere coëgit; ita ut, quoties Populus præsens
salutationem Angelicam recitavit, toties magna Dæmonum
multitudo sub specie carbonum ardentium erumperet. Sed
& de alio quopiam Societatis JESU Religioso Bonifacius l.
4. c. 9. testatur, eum, cùm in itinere septem fuliginosos &
igneos Dæmones Molossorum Specie obvios habuisset, arre
pto mox rosario eos in fugam dedisse, an non graviſſimum

in-

iterum deliquium meritò censetur, mortem terribilium omnium terribilissimum subire, & de felicitate æterna periclitari? atqui & hoc potenter eximit Rosarum nostrarum Spiritualium virtus; quis enim non magna cum fiducia moriatur, si meminerit, se toties MARIAM in Rosario invocâsse, ut in hora mortis sibi adesse dignetur? si meminerit etiam, ipsos aliquando Dæmones à S. Dominico adjuratos publicè confessos esse, neminem æternis ignibus adjudicatum iri, qui in Rosarij recitandi exercitio constanter perseveraverit, vel enim contritionis eliciendæ gratiam, aut confessionis faciendæ occasionem illi à B. Virgine impetratum iri, quod quidem tam constanter ab ea observatum scitur, ut etiam mortuis in peccato mortali reditum ad vitam, & pœnitentiæ gratiam impetrârit. An non magnum denique deliquium justus purgatorii gravissimi post mortem subeundi metus? quis autem nescit, quàm potenter ab hoc etiam deliquio Rosæ nostræ defendant, dum non modo in vita creberrimè, sed in ipsa etiam morte plenissimam culparum & pœnarum indulgentiam omnibus illis impetrant, qui Congregationi huic inserti vel Rosarium devotè recitaverint, vel alia Exercitia præscripta impleverint.

Quid ergo supereſt, Auditores, nisi ut quisque sibi illa sponsi Cant. 2. ad sponsam prolata verba denuo dicta arbitretur: *Surge amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems,* (id est, tepor & frigus in usurpatione Rosarii) *transiit, imber* (impedimentorum & difficultatum à tali amore retrahentium) *abiit, & recessit*; *flores* (id est, salutationes Angelicæ in Rosario inclusæ, & piè recitatæ) *apparuerunt in terra nostra*, dum tibi iterum commendatæ, fructúsque earum copiosè sunt explicati, surge ergo, & veni; venies autem, si, ubi nondum Congregationi huic inscriptus es, hodie inscribi te sinas; venies, si dictæ Congregationis leges accuratè observaveris; venies, si Rosarium frequenter & devotè recitaveris; & in tali Exercitio constanter perseveraveris; venies, si alios quoque ad nomen Congregationi huic dandum, Rosariúmque piè recitandum incitaveris, hoc modo, inquam, venies, sed non frustra, nam & effectus harum rosarum in hac vita participabis, & tandem in cæleste Rosarium omni voluptа-

luptatum genere abundans cum gaudio admitteris. A
men.

Nota, simili modo alios ejusmodi conceptus in exhorta
tionibus duodecies per annum, singulis scilicet mensibus, ha
bendis proponi posse, quorum aliquos quidem hîc infinua
bo, ita tamen, ut quoniam prolixum nimis & operosum fore
singulos fusiùs explicare, contentus duntaxat sim futurus, pr
quovis anno duodecim argumenta indicâsse, fusiorem ver
deductionem ipsi Exhortatori relicturus, cui difficile non ac
cidet, materiam pro tali diductione necessariam invenire &
disponere, si ad modos diducendi hactenus assignatos, & a
fontes seu Authores in sequentibus conceptibus indicatos di
ligenter attenderit.

Alii Conceptus.

1. Ergo Congregatio posset comparari *Rosario* seu horto
rosis condito, & in singulis exhortationibus una rosa decerpi
& auditoribus offerri; pulchra nimirum historia de fructu e
Rosarij recitatione hausto narrari, & morales inde doctrina
erui, quem infinem liber vocatus **die geistliche Schatz-Kam-
mer**/plurimùm servire poterit, utpote in quo tota secunda pars
in ejusmodi historiis narrandis consumitur.

2. Posse eadem Congregatio comparari *ligno vitæ*, de quo
in apoc. c. ult. fit mentio, duodecim fructus afferenti, quorum
quovis mense unus explicari posset. Possent autem esse se
quentes 1. assecuratio salutis. de quo dictus liber p. 1. l. q.
agit. 2. Participatio meritorum ordinis S. Dominici n. 7. 3. In
dulgentiarum lucrandarum occasio, de quibus c. 15. 16. & 17.
4. orationis per conjunctionem cum aliorum orationibus c
7. 5. mutuum auxilium & solatium & concordia juxta illud
O quàm bonum, & quàm iucundum habitare Fratres in unum.
6. Frequentia in susceptione Sacramentorum, de qua merito
usurpari potest illud S. Hieronymi: *Felix necessitas, qua ad
meliora compellit.* 7. Filiatio B. V. 8. assistentia in morte.
9. Sepultura honorifica. 10. Liberatio à purgatorio. 11. Glo
riæ augmentum. 12. Gaudium accidentale ex iis, quæ in
Congregatione Rosarij ad majorem DEI gloriam fiunt; item
ex fratribus & sororibus Rosarij in cælum assumptis.

3. Posset eadem Congregatio comparari Arcæ Noë, acju
1. Exhor-

1. Exhortatione ostendi, quomodo S. Dominicus cum Noë magnam similitudinem habeat. In 2. quomodo Congregatio Rosarij ratione materiæ, scilicet ligni cedrini, bitumine intrinsecus & forinsecus illiti Arcæ Noëticæ rectè comparetur. In 3. quomodo ratione formæ, speciatim ratione trium habitationum, fenestræ Chrystallinæ, unicæ Januæ, &c. possit cum eadem comparari. In 4. quomodo salventur, qui in eam ingrediuntur. In 5. quomodo ingressus fieri debeat. In 6. quid in ipsa Arca seu Congregatione observandum, ubi speciatim de constantia agendum. In 7. de 1. occupatione in hac Arca, nempe oratione. In 8. de 2. occupatione, frequentatione scilicet Sacramentorum. In 9. de 3. occupatione, processione menstrua. In 10. de 4. occupatione, concionis menstruæ auditione. In 11. de eorum, qui hanc Congregationem irrident, & scommatis proscindunt, infelici interitu. In 12. de exitu seu eductione ex arca per felicem sodalium ex hac vita transitum.

4. Posset spiritualis distillatio Rosarum institui, & mysteria, ac doctrinæ salutares in Rosarij partibus, puta oratione Dominica ac salutatione Angelica, contentæ per 12. concionesexplicari.

5. Posset per totidem conciones exponi virtus aquæ Rosaceæ seu doctrinarum priori anno propositarum contra varios morbos spirituales v.g. 1. contra capitis dolorem seu pertinaciam in hæresi, de quo Thesaurus Rosarij p. 12. c. 1. varia exempla affert 2. contra vertiginem capitis, id est, pusillanimitatem ex dubia prædestinatione exortam, de qua l.c.c.3 3. Contra apostema inveteratæ consuetudinis in variis peccatis; de qua l.c.c.2.4. Contra angustias pectoris ex scrupulis, ex timore mortis ortas, de quibus l.c.c.6. ex 67.68.69.72.5. Contra febrim frigidam tepidatis in divino servitio. de qua l.c. c.2. Ex. 17. 19. 20. 6. Contra febrim ungaricam luxuriæ. de qua l.c.c.2. Ex. 7. 8. 9. 10. 13. 7. Contra Epilepsiam, id est, reincidentiam in peccata. de qua l.c.c.2. Ex. 23. & l. 3. Ex. 36. c. 6. Ex. 20. 8. Contra calculum, id est, peccatum occultum, quod quis confiteri horret. de quo l.c.c.2. Ex. 24. & 21. 9. contra podagram spiritualem, id est, acediam, & tarditatem in bonis operibus exercendis, de qua l.c c. 5. & 51. 56. 64. 10. Contra palpitationem cordis, & timorem hostium variorum. de quo l.

cc. 5. &

c.c. 8. & 14. 11. Contra chiragram seu immisericordiam pauperes de qua l.c.c.7.Ex.83. 12.Contra tormina seu impatientiam in morbis aliisque adversis,de qua l.c.c.11.

6. Posset ostendi, quomodo Rosarij Congregatio sit exercitus immortalis, in defensionem Ecclesiæ à S. Dominico hortante B. Virgine conscriptus,unde per 12.conciones possit ostendi,quomodo contra 12.hostes defendat. 1.contra Deum iratum. 2. contra Christum Judicem. 3. contra Dæmones. 4.contra mundum. 5.contra carnem. 6.contra vitæ corporalis pericula, & ipsam mortem. 7. contra malos socios. 8.contra inimicos privatos. 9.contra hostes publicos. 10.contra hostes & calumniatores Rosarij. 11. Contra inimicos domesticos, seu proprias passiones. 12. Contra peccata commissa,quæ omnia pulchris exemplis ex thesauro Rosarij petitis probari possunt.

Caput III.

Quomodo de Sanctis conciones institui possint.

ETiam de his variis modis haberi conciones possunt. Vel enim de iis in genere seu simul sumptis concio institui potest; vel in specie de uno tantùm, & tum iterum vel tota vita Sancti breviter percurri, vel una tantùm aut altera ipsius virtus proponi,& commendari.Singulorum modorum exemplaria breviter hîc afferentur.

Exemplar Primum.

Quomodo de sanctis simul sumptis concio institui possit.

Thema.

Gaudete,& exultate.Matth.6.

Scopus.

Omnium Sanctorum cultus persuadendus.

Syllogismus principalis.

Tunc meritò omnes Sancti peculiari studio colendi sunt, qui

do hic cultus DEO gratissimus est, & nobis ingentia commoda parit: atqui ita se res habet; ergo.

EXORDIUM.

CElebramus hodie festum omnium Sanctorum, cujus festi originem hanc affert Baronius. Erat olim Romæ ab antiquis Romanis ædificatum templum celeberrimum in omnium Deorum honorem, ideóque Pantheon dictum. Hunc ergo superstitiosum cultum, ut abrogaret, aut potiùs in meliorem commutaret, Bonifacius Pontifex aliud templum in honorem omnium Sanctorum ædificari, ac adeò cultum falsis Diis attributũ ad Sanctos transferri voluit. Idē ergo hodie etiam Ecclesia à nobis exigit; erant nimirum, erant hactenus non pauci, qui & ipsi falsos Deos colebant, dum gloriam, auxilium & solatium ab hominibus, quorum vana est salus, quærebant; sed hodie cupit Ecclesia, ut templum hoc, id est, cor suum in templum cultui Sanctorum omnium consecratum convertant. hinc omnes ad hanc festivitatem invitat, dum in missa canit: *Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes in honore Sanctorum omnium, de quorum solennitate gaudent Angeli, & collaudant Filium DEI.* Ut ergo huic tam ardenti Matris nostræ desiderio tantò promptius satisfaciamus, ostendam in præsenti concione paulò fusiùs, cur & quomodo omnes Sanctos colere debeamus. Vos interea mentes animósque ad hunc cultum præparate.

Pars Prima.

Et primam quidem partem quod attinet, duas potissimùm causas invenio, ob quas omnes Sanctos præcipuo studio colere debeamus. Prima est, *quòd summo amore DEVM ipsi prosequantur*; quæ sanè causa magis, quàm omnes aliæ movere nos deberet, ad omnem illis cultum & amorem tribuendum; nam dicite, quæso, Auditores, si esset aliquis, qui adeò vos amaret, ut de vestris bonis magis, quàm de suis gauderet: ut in omnibus id solùm indagaret, & faceret, quod vobis gratissimum, & maximè honorificum esse cognosceret: an non summam ingrati animi notam vos admisisse censeretis, si talem hominis amorem non agnosceretis, & mutuis officiis compensare studeretis? ita profectò dicetis, si sapitis? Jam verò ulteriùs quæro; an non DEUM magis, quàm vos ipsos ame-

ametis? atque adeò beneficia & officia ipſi exhibita plu
æſtimetis, quàm quæ vobis præſtantur? néque hoc, cre
negabitis; an non autem ex hoc per legitimam conſeque
tiam infertur, vos ſummè obligatos eſſe ad omnes Sanct
ſingulari amore & veneratione proſequendos? ut, quoru
quilibet DEUM tanto honore & amore proſequitur, qu
honorem & amorem vos perinde accipitis, imò pluris faci
quàm ſi vobis fuiſſet exhibitus? verè qui hanc ration
ſufficienter penetrat, ac perpendit, ſaxeum habere cor debe
bit, ſi flecti ſe ac moveri non ſinat, ad omnes Sanctos ſing
lari cultu & amore proſequendos.

Secunda cauſa minor quidem, ſed tamen valdè quoque e
ficax ad eundem cultum perſuadendum, offertur nobis
commodis, quæ ex tali cultu nobis proveniunt, & ad tria p
tiſſimum revocantur, quòd ſcilicet per cultum hunc mere
mur, omnes Sanctos pro noſtris *ſpectatoribus*, *advocatis*, *
protectoribus habere, quæ tria officia, ſi fructum in iis lar
tem conſideremus, meritò triplex funiculus dici poſſunt, q
arctiſſimè ad omnes Sanctos ſtudioſiſſimè colendos obſtri
gimur, ideóque difficulter rumpitur.

Nam 1. quis non videt, quanta commoda ex hoc, quòd e
in omnibus operibus *ſpectatores* habeamus, (ſi ſcilicet omn
opera noſtra ad eorum poſt DEUM honorem dirigamus
riantur? quanta cum ſolicitudine fugientur peccata, ſi qu
credat, ſe à tot teſtibus ſpectari? ſi, teſte Seneca, magna pa
peccatorum tollitur, quando peccaturis teſtis aſſiſtit; an n
ſi tot millia teſtium aſſiſtere nobis adverterimus; omnia
mninò peccata, aut certè potiſſima eorum, quæ delibera
committuntur, pars aufferetur? quanta porrò accuratione
diligentia ſingula opera peragentur, quanta cum alacrita
perſonam quisque ſuam ſuſtinere conabitur, ſi in tali the
tro, coram tot tantísque Spectatoribus ſe ſpectaculum factu
eſſe ſibi perſuaſerit? & cum Sancto Davide dicere auſus fu
rit Pſ. 137. *In conſpectu Angelorum* (imò & Sanctorum omn
um) *pſallam tibi*, cæteráque mea opera peragam? ſi oculu
Domini juxta commune proverbium ſaginat equum, qu
oculus tot Sanctorum non faciet? an non animam egreg
ſaginabit? ſi unius Principis præſentia tantos animos & v
res addit ad opus aliquod ſumma cum charitate & diligentia

peragen-

peragendum; quid non faciet tot Principum regúmque cælestium honorificentissimus aspectus?

Jam verò ex titulo *Advocati*, quæ commoda quisque sperare possit, quis iterum non videt? quid deinceps non sperabimus à DEO impetrare, si tot pro nobis Advocatos intercedere adverterimus? si S. Hieronymus dixit, impossibile esse, ut multorum pauperum etiamnum in hac vita degentium, & pro suo benefactore DEUM deprecantium preces non exaudiantur, quomodo possibile erit tot tantorúmque DEI Amicorum tam ferventer perfectéque orantium vota non audiri? qui, ut ait S. Chrysostomus, capita aut alia membra abscecta in manibus portant, ut efficaciùs DEUM moveant? si olim Asverus Esteri dimidium Regni ausus est polliceri; quid DEUS, qui Sanctos per visionem & amorem beatificum arctissimè sibi desponsatos millies magis diligit, negare eis poterit? an non ergo audacter dicemus cum Ecclesia: *Omnipotens Sempiterne DEVS, qui nos omnium Sanctorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessionibus largiaris?*

Sed neque ex tertio titulo *Protectoris* minora commoda speranda sunt. Si enim jam olim Elisæus 4. reg. c. 6 puero suo ob exercitum Regis Syriæ, qui ad Eliam capiendum vel occidendum missus fuerat, trepidanti montem plenum equorum & curruum ostendit, dixitque; noli timere; plures enim nobiscum sunt, quàm cum istis: quantò potiori jure hoc animæ suæ dicet is, qui omnes Sanctos in protectionem suam intentos esse credit? an non se ipsum illis S. Bernardi verbis in Ps. qui habitat, animabit, dicétque: *quid sub tantis Custodibus timemus? fideles sunt, potentes sunt, prudentes sunt, quid trepidamus? tantùm sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione DEI cæli commoremur.* Atque ex his patet, cur Sancti omnes à nobis studiosè colendi sint.

Pars Secunda.

Sed fortè dicetis, vobis non sufficere vires ad tot tantósque Patronos colendos; neque enim vobis quidquam præter paucas preces, & quædam virtutum exercitia suppetere ad illos honorandos. Sed hæc quid inter tantos? verùm nolite

diffidere, AA. nam & facillimam, & solidissimam praxin vobis ostendam, quâ Sanctis his omnibus sufficientissimum simul & gratissimum cultum exhibeatis. Pro qua tamen prius supponendum est, per honorem uni exhibitum alteri nihil decedere, si ritè honor iste exhibeatur, cùm honor nihil aliud sit, quàm publica testificatio conceptæ in animo de alterius virtute opinionis; possit autem hæc æstimatio unius per altero publicè vulgari, etiamsi per eundem actum etiam alius honoretur. Exemplo res clarior fieri poterit. Ponamus me principalem aliquem Dominum testificandi mei in ipsum affectûs gratiâ ad convivium invitare, & quia aliunde mihi perspectum est, eum aliquos amicos licèt longè ipso inferiores valdè diligere, etiam hos ad convivium, ut Domino illi amico suo suâ Societate convivium jucundius gratiúsque efficiant, vocare; in tali casu nunc aio per talem invitationem, & convivij instructionem utique Dominum illum principaliter honorari, tantúmque abesse, ut per invitationem aliorum amicorum quidquam de honoris hujus quantitate decedat, ut plurimùm potiùs ille augeatur, cùm hæc ipsa amicorum invitatio propter ipsum fiat, quia scilicet supponitur illum valdè ipsos diligere, atque adeò multùm desiderare, ut secum convivium hoc participent, ipséque eorum præsentia & conversatione delectari, atque in eorum honoratione per me factâ abundantius honorari possit. Simili ergo modo cum DEI & Sanctorum honore se res habet. Diligit nimirum & ipse DEUS Sanctos suos ardentissimè, cupit à nobis plurimùm honorari, honorémque illis impensum perinde reputat, ac si sibi exhibitus esset, atque adeò non modò per hunc Sanctorum cultum nil ipsi de honore decedit, sed potiùs hic summopere augetur, dum in tot tantisque servis & amicis suis copiosè honoratur.

Hoc ergo supposito totam praxin hujus cultûs in tribus consistere aio 1. ut discrimen inter Patronos ad exemplum Ecclesiæ faciamus, & aliquos quidem pro Patronis principalibus, & quasi primæ classis eligamus, quales v.g. esse possent B. Virgo, & Sanctissimus Sponsus ejus Josephus, S. Angelus Custos, Sanctus, cujus nomen gerimus, SS. Petrus & Paulus velut fundatores & Patroni principales Ecclesiæ, item fundator ordinis aut statûs illius, in quo degimus. Alii pro

Patro-

Patronis minùs principalibus & quasi secundæ classis colantur, quales v.g. esse posset, ad quos specialiter vel ratione ejusdé vocationis, vel ratione beneficij specialis accepti, aut obtinendi, aut quocunq; alio titulo magis colendos & amãdos incitari nos experimur. Alij deniq; pro cõmunibus Patronis habeantur, de quibus proinde omnibus tã specialibus, quàm cõmunibus Patronis, ut eorum memoria, & fiducia in illos perpetuò refricetur, litaniæ breviusculæ çonfici, & quotidie vel certò quavis hebdomade aut mense recitari possent.

2. Ut omnes hos Patronos certo quodam die post peractam confessionem & sumptionem Sacri epuli conceptâ formulâ in hunc vel similem modum eligamus. O Sanctissimi, Deóque dilectissimi DEI amici, ô Sanctissima cælorum Regina, omnesque cæli beatissimi Incolæ, gratulor vobis ex intimo corde de omni gloria & felicitate vestra, optóque ardentissimè, ut hæc gloria & felicitas vestra majora in dies augmenta sumat, & verò etiam ipse pro viribus id procurare paratus sum. Gratias quoque vobis, quas possum, maximas ago, pro omnibus & singulis obsequiis Divinæ Majestati & vobis mutuò exhibitis, uti & pro omnibus beneficiis, quæ omnibus defunctis & viventibus, sed mihi præcipuè indignissimo clienti vestro tam liberaliter contulistis, optóque iterum ex animo, ut pro tot tantisque favòribus æternùm me gratissimum exhibere valeam. Certè quòd negligenter adeò id ipsum hactenus præstiterim, doleo & erubesco ex corde, ac propterea per amorem DEI mei, & gloriam vestram humillimè rogo, ut & ipsi veniam tantæ negligentiæ benignè concedatis, eandémque etiam à clementissimo DEO meo misericorditer impetretis, unà cum efficaci gratia, quâ vel nunc me syncerè emendare, totamque vitam meam divino servitio, vestróque Sanctissimo cultui consecrare valeam. Id sanè uti ardentissimè desidero, ita per vos etiam vel maximè impetraturum me confido; ea propter licèt undecunque vestro Patrocinio indignissimus, fretus tamen pietate vestra & Zelo singulari, quem geritis ad DEI gloriam, meámque ac aliorum salutem promovendam, vos coram tota SS. Trinitate, omni possibili submissionis, reverentiæ ac fiduciæ affectu in amantissimos meos Dominos, Spectatores, Advocatos, & Protectores eligo, firmitérque statuo ac propono, me nun-

quam vos derelicturum, nec contra vos aliquid unquam cogitaturum, dicturum, aut facturum, neque permissurum, contra vestrum honorem unquam aliquid à meis subdit agatur, sed potiùs totis viribus procuraturum, ut tamà me quàm ab illis gratissimus optimæ vitæ cultus constanti stu dio vobis exhibeatur, eúmque in finem omnes nostræ cogit tiones, verba, & opera non modo ad vestrum honorem po DEUM sincera intentione dirigantur, sed hâc ipsâ etiam i causa cum singulari diligentia atque perfectione peragan tur: Obsecro vos igitur, suscipite me in indignissimum cli entulum vestrum, & dum varia clientibus vestris benefici impetratis, ad me quoque licèt postremum oculos vestros mi sericordes convertite, &, tum constantiam in vitâ, gratiâ, & vestro Sanctissimo cultu, tum copiosam ad omnes actione meas ritè perficiendas benedictionem, gratiámque à DEO impetrate; Intercedite quoque pro defunctis, & viventibus omnibus; & illis quidem requiem & veniam, vivis verò mihi copiosum à DEO gratiæ auxilium obtinete, quo Sanctissimam ejus voluntatem semper cognoscere, & perfecte adimplere, vitámque nostram feliciter claudere valeamus, ad quam ipsam proinde vitæ meæ clausulam demississimè vos invito, rogóque simpliciter, ut ita mihi assistere, méque contra omnes hostium meorum insidias atque conatus defendere dignemini, ut vestro auxilio adjutus feliciter de iis triumphem, atque in vestram Sanctam Societatem admissus pro meis simul ac vestris beneficiis æternas illi laudes perfectissimè decantem. Amen.

3. Ut, dum quotidie manè per bonam intentionem opera nostra ordinamus, ea ad Sanctorum horum honorem post DEUM dirigamus, & hoc ipso etiam accuratè peragamus; in quocunque verò casu magna cum fiducia ad eosdem confugiamus, auxiliúmque nihil hæsitantes expetamus. Occurrente verò festo eorum principali unum alterumve opus v.g. confessionis & communionis adijciamus, sicut si quis interdum propter hospitem novum advenientem singulare aliquod ferculum adijcere solet. Atque hunc demum cultum omnibus Sanctis gratissimum esse aio & facillimum juxta illud effatum Senecæ: *Numinis* (quidni & Sanctorum) *est cultus pulcherrimus* (& gratissimus) *optima vita.* Et gratissimum

mum quidem aio, quia *purissimus* est, id est, ab omni deliberatâ culpâ immunis: *amplissimus*, quia omnis generis opera & virtutes complectitur: & *constantissimus*, quia die noctúque, & per totam vitam indesinenter exhibetur, atque adeò meritò perpetuus cultus vocari meretur juxta illud S. Augustini sapientissimum dictum in Ps. 148. *vis semper laudare DEVM?* (& Sanctos illius) *benè fac omnia, quæ facis, & semper laudâsti DEVM.* In hunc ergo cultum particulares vestras devotiones convertite, nec dubitate quin id, quod per illas obtinere sperabatis, per hunc sitis abundè compensaturi.

Epilogus.

Quæ cùm ita sint, nihil aliud supereſſe video, quàm ut manum operi admoveatis, & templum, quod hactenus in honorem aliarum creaturarum exstruxistis, in omnium Sanctorum honorem consecretis. Agite ergo, & hos denuo illo, quem dixi, aut alio simili modo in Patronos vestros eligite: hos deinceps velut *Spectatores* vestros colite, illudque S. Davidis constanter usurpate: In conspectu Angelorum & Sanctorum psallam & serviam tibi DEUS meus, hos velut *Advocatos* honorate, illúdque S. Bernardi monitum circa eos observate: *Modicum, quod offerre desideras, venerandis illorum manibus offerre memento, si non vis sustinere repulsam.* hos denique velut *Protectores* vestros veneremini, & invocate juxta ejusdem S. Bernardi consilium: *quoties gravissima videtur urgere tentatio, aut tribulatio vehemens imminere, invoca Ductores tuos, custodes tuos, adiutores in opportunitatibus & tribulatione.* sic, sic vicissim vos in clientes benignè susciplent; sic eorum favores, ut sperabatis, experiri merebimini & tandem in eorum etiam Societatem recepti, perpetuas cum iisdem laudes gratiásque pro vestris & aliorum beneficiis per totam æternitatem DEO cantabitis. Amen.

Alii Conceptus.

1. Simili modo possent alij conceptus de hac materia formari, & quòd hîc unica concione propositum est, per plures explicari, hinc v.g. posset ostendi, quòd militia sit vita hominis super terram, & in prima parte concionis exponi, à quàm multis hostibus oppugnemur, atque adeò meritò cum Puero

Eliſæi clamemus: heu heu! Domine mi; quid faciemus? In altera verò parte oſtendi poſſet, quomodo nobis in ſubſidium & auxilium comparatus ſit exercitus omnium Sanctorum quoad multitudinem innumerabilis, quoad fortitudinem inſuperabilis, & quoad promptitudinem ſuccurrendi inæſtimabilis.

II. Poſſet oſtendi, quàm multas cauſas habeamus in cæleſti conſiſtorio tractandas, quámque adeò boni Advocati ſint nobis neceſſarij qui propter ſuam ſapientiam ſingularem *ſciant*, & propter authoritatem, quam habent apud DEUM, *poſſint*, & propter eximiam erga nos charitatem *velint* pro nobis apud DEUM efficaciter intercedere, & quomodo hæ tres proprietates perfectiſſimè in Sanctis reperiantur.

III. Poſſet oſtendi, quàm neceſſarii nobis ſint Amici boni in hac vita, quorum conſiliis juvemur, converſatione recreemur, beneficiis foveamur, auxilio protegamur: deinde, quòd ad tales Amicos tres conditiones à S. Bernardo in pſal. qui habitat explicatæ requirantur, videlicet ut *Potentes, Prudentes, Fideles* ſint; & tandem quomodo has omnes conditiones ſeu proprietates perfectiſſimo modo omnes Sancti in ſe contineant.

IV. Poſſet oſtendi, quomodo Sancti docuerint nos exemplo ſuo cælum expugnare. 1. fodiendo cuniculos humilitatis: concutiendo muros per globos orationis ex accenſo pectore velut bombarda emiſſos; admovendo ſcalas mandatorum DEI: confringendo portas per violentiam ſuis appetitibus illatam: injiciendo ignem charitatis DEI & proximi, de quo Chriſtus dixit: *Ignem veni mittere in terram.*

V. Poſſet oſtendi, quomodo Sancti veluti Peregrini nobis oſtenderint veram viam ad cælum, dum per multas tribulationes introierunt in illud. Unde probari poſſet, quòd via crucis ſit reatiſſima, ſecuriſſima, & jucundiſſima ad cælum via.

VI. Poſſet oſtendi, quomodo juxta ejuſdem Eccleſiæ effatum acceperint *coronas decoris* de manu DEI, ſcilicet coronas de lapide pretioſo, ſed triplici potiſſimùm, quorum primus eſt *omnis mali abſentia*, juxta illud Apoc. c. 21. abſterget DEUS omnem lacrymam ab oculis Sanctorum; alter

omnis boni præsentia juxta illud Exod. 33. *Veni, ego ostendam omne bonum tibi.* Tertius, *utriusque indefinentia seu perpetuitas*, juxta illud Joan. c. 16. *& gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

VII. Posset ostendi, quomodo Sancti nunc verè audiverint illud ad Moysen dictum 33. *Veni, ego ostendam omne bonum tibi*, præcipuè verò bonum honestum per varios honores in terris & in cælis oblatos: & bonum delectabile per corporis & animi delectationes, quæ proinde copiosiùs explicari possunt. de quo vide Fabrum in festo Omnium Sanctorum conc. 2. 3. & 7.

VIII. Posset ostendi, quomodo per varias portas intraverint Sancti. Unus per Christi imitationem, qui de seipso dixit: *Ego sum ostium.* Alius per amorem & cultum B. Virginis, quæ Janua cæli, & felix cæli porta vocatur. Alius per portam Crucis dem Creutzthor. Alius per portam parvam & angustam, durch das Einfaß-Thörlein / quæ ducit ad cælum, teste Christo. & est porta humilitatis. Alius per portam speciosam charitatis DEI & proximi; qui omnes proinmodi quam efficaces sint ad cælestem gloriam, breviter per singulos ostendi potest; aut si magis placet omnes tantùm breviter referri, & unus duntaxat fusiùs diduci.

IX. Posset ostendi, quomodo ad magnam cænam, nempe cænam Agni sint intromissi. Atque adeò 1. explicari posset, qualis & quàm desiderabilis ea cæna sit propter ferculorum varietatem & abundantiam, quarum omnium vicem Agnus subit: propter convivarum optatissimam societatem & præstantiam: propter durationis longitudinem & perpetuitatem. 2. Probari posset, quòd Sancti ad hanc cænam intromissi sint, quia DEO invitanti per omnia vocationum genera diligenter & celeriter paruerunt, atque adeò vestem nuptialem gratiæ, aliarúmque virtutum tam sollicitè præparárunt.

X. Posset ostendi, quàm verum sit illud Psalmi 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Atque adeò ostendi 1. quàm ampla sit hæc domus juxta illud Baruch. c. 3. *O Israël, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius.* 2. quàm lucida juxta illud Apoc. 12. *non egebunt lumine lucerna, nec lumine solis, quo-*

niam DEVS illuminabit illos, & lucerna eius est Agnus. 3. quàm bene instructa omnibus bonis juxta illud Ps. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* 4. quàm grati & amabiles incolæ juxta illud Ps. 132. *O quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in unum.*

Exemplar Secundum.

Quomodo tota alicujus Sancti vita in concione percurri possit.

Thema.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Luc. 12.

Pro festo S. Antonii de Padua.

Scopus.

Ostendendum quomodo per totam vitam S. Antonius velut lucerna ardens, pulcherrima variarum virtutum exempla reliquerit.

Syllogismus principalis.

Tum meritò imitandus est S. Antonius, quando ille in tota vita sua perfectissimè Christo se conformare studuit; atqui ita fecit; ergò meritò est imitandus.

EXORDIUM.

Solent in magnis festivitatibus vel Natalitiis Principum variæ solennitates, & ludicra spectacula, puta ignes missiles convivia, certamina, comœdiæ institui & exhiberi. Simile quid optarem, ut in hodierna S. Antonii de Padua, viri verè sanctissimi, & omni laude dignissimi festivitate à meis auditoribus fieret; certè, ut fiat, infigniter cooperabor. Quare quia non dubito, jam ignes missiles plurimos ardentissimarum precationum in cælum ab ipsis emissos esse: sed & certamen jucundissimum cum Dœmone & vitiis suis per confessionem fuisse susceptum; plerósque etiam celeberrimo & Angelico convivio SS. Evchariſtiæ fuisse pastos, mihi id solùm

relictum

relictum video, ut Comœdiam ipsis exhibeam, pro qua, quia & utilissimam, & copiosissimam materiam S. Antonius mihi suppeditat, hanc ipsam modò, & non aliam eligere decrevi. Sanctum itaque Antonium per quinque actus more Comicorum vobis exhibebo, & ne comœdia hæc sine fructu abeat, cuique actui chorum suum subjungam, in quo quid ex repræsentatis S. Antonii actibus discere debeamus, breviter ostendam. A vobis interea tantò majorem attentionem exspecto, quantò magis amatum à vobis esse scio illum, quem vobis spectandum in præsenti concione offerre decrevi.

Pars Prima.

In primo itaque actu S. Antonium cum Christo *nascentem* vobis repræsento, ubi tamen nihil de corporali Nativitate dicam, utpote quæ, sicut in nostra potestate non est, ita parùm quoque laudabiles nos facit. De spirituali itaque Nativitate solùm mentionem faciam, in qua meritò dicere poterat S. Antonius: *vivo autem iam non ego, vivit verò in me Christus* nascens. Gal. 2. Nam 1. quemadmodum de Christo S. David Ps. 39. dixit: *in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, DEVS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*; ita & S. Antonius mox ab initio adolescentiæ suæ DEI voluntatem & vocationem inquisivit dicens cum S. Paulo Act. 9. *Domine, quid me vis facere?* 2. quemadmodum Christus mox in Nativitate sua mundum per obedientiam, paupertatem & castitatem prostravit, ita similem victoriam mox ab ingressu in Religionem S. Antonius per accuratissimum earundem virtutum studium reportavit. 3. quemadmodum Christus post octo nativitatis suæ dies circumcidi voluit, & dulcissimum JESU nomen accepit; ita S. quoque Antonius spiritualiter semetipsum circumcidit, & profanum nomen Fernandi in sanctius Antonii nomen mutavit, ut vel sic etiam ad præstantissimas magni Antonii virtutes imitandas excitaretur. 4. quemadmodum Christus partim à Parentibus DEO in templo oblatus est; partim seipsum obtulit, ita S. quoque Antonius per professionem religiosam, partim à superioribus suis oblatus est, partim seipsum non sine insigni animi voluptate obtulit. 5. quemadmodum Christus in Ægyptum fugere coactus est; ita S. Antonius noster

ſter ſponte in eandem Ægyptum martyrii obtinendi grati cum Superiorum facultate profectus eſt, licet paulò poſt o morbum iterum redire debuerit. 6. quemadmodum Chri ſtus in templo triduum inſciis Parentibus conſumpſit; ita S Antonius Aſſyſium invitis Parentibus ſuis profectus totu ſe ardentiſſimo precandi ſtudio impendit. Quis ergo non di cat, præclarè in Nativitate eum Chriſtum imitatum eſſe?

Huic ergo primæ parti per modum chori unicam tantùm ſententiam ex Salomone ſubnecto. Eccleſ. 12. *memento Creatoris tui in diebus iuventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent*, quâ ſententiâ indicare volo, quantopere referat, Juventutem bene collocari, utpote à cujus qualitate tota ferè reliqua vita dependet. Et ſanè optandum foret, ut ipſa Juventus initio rationis obtentæ perfectam prudentiam haberet, ut ſibi in futuros annos conſulere poſſet; ſed quia id DEO non placuit, Parentes ſaltem id ſupplere deberent. Meminerint ergo ſententiæ S. Gregorii: *cogitas magnam exſtruere fabricam celſitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis* (& aliarum virtutum, maximè autem devotionis.) Venite ergo ô Parentes, & à Parentibus S. Antonii officium veſtrum addiſcite. Illi domi eum diligenter continebant, ne in malos ſocios incideret. Illi peccatum & otium vitare docebant, atque ideò Religioſis maturè inſtruendum offerebant. Illi in templum propinquum ducebant. Illi pauperibus eleëmoſinam diſtribuere jubebant, ut ab infantia miſericordia cum ipſo creſceret. Aſpicite ergo, & facite ſecundùm exemplar, quod vobis monſtratum eſt. Sic ſperare poteritis, quod de Tobia c. 14. ſcribitur: *Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius in bona vita, & ſancta converſatione permanſit, ita ut accepti eſſent tam DEO, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in ea.*

Pars Secunda.

In ſecundo actu S. Antonium vobis *creſcentem* ſiſto, nam hîc optimo iterum jure dicere poterat: *vivo autem iam non ego: vivit verò in me Chriſtus* creſcens. Nam inprimis ſicut de Chriſto ab anno duodecimo uſque ad trigeſimum nihil aliud ſcriptum erat, quàm quòd ſubditus Parentibus ſuis fuerit;

rit; ita & de Antonio nostro per eosdem ferè annos vix quidquam aliud scriptum reperitur; nimirum & ipse totus erat in præscripto obedientiæ implendo. Unde Assysii nemo ipsum curabat, utpote parùm utilem & idoneum. Sed hæc nimirum erant hominum judicia, alia erant judicia DEI; secundùm hæc profectò dici poterat: Antonius crescebat sapientiâ, ætate, gratia coram DEO & hominibus, id quod paulò pòst exhibuit, quando orationem habere jussus est; tunc enim tanto cum fervore, devotione atque eloquentia peroravit, ut omnes in admirationem suam traheret; ut adeò meritò salubberrimam hanc Christi sententiam Matth. 6. prolatam pro choro subnectam: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab illis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.* quâ sententiâ admonere vos volo, ut cum Christo & S. Antonio singularem diligentiam in occulta Sanctitate comparanda adhibeatis. Ita enim DEUS tum per naturam, tum suo exemplo docuit. Per naturam quidem, dum omnia pretiosa occultare voluit. Quid pretiosius auro? quid gemmis, unionibus? & tamen quis nescit, quantopere hæc occultaverit natura, ita ut non nisi ingenti cum labore & difficultate acquirantur? Quid dico? quis unquam sanctiùs vixit, quàm ipse Servator? & tamen vix quidquam de ipso à duodecimo anno usque ad trigesimum scriptum est. Nimirum verum est, quod de ipso Sponsa Cantic. 4. dixit: *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua absque eo, quod intrinsecus latet.* Sed & ipse Sponsus de Sponsa ait: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Ps. 44. nempe sicut ij, qui pretiosas merces aliò transvehere volunt, semper tutiora loca eligunt, ita qui virtutes pretiosas, quas exercuerunt, in cælum secum portare volunt, occultam vitam tanquam viam securiorem eligunt. Vultis autem scire, quænam sit vita occulta? ajo tunc vitam occultam & sanctam vos vivere, quando purissimam intentionem soli DEO placendi bonis operibus vestris præfigatis: si in ipso opere perficiendo omnem conatum & diligentiam adhibeatis: si difficultates occurrentes insigniter superetis, nec de his omnibus apud homines vos jactetis, sed contenti sitis, quòd soli DEO nota sint omnia, atque adeò respectu DEI illud Senecæ dictum usurpetis: *hæc ego, mi Lucili, non multis, sed tibi: satis enim magnum*

magnum alter alteri theatrum sumus. Tunc profectò etiamsi homines non videant, cum veritate de vobis dici poterit: crescebat, & proficiebat sapientiâ, ætate & gratiâ apud DEVM & homines. Tunc attribui vobis poterit illud Apostoli ad Coloss. 3. *Mortui estis, sed mundo: vita verò est abscondita cum Christo in DEO; cùm autem Christus apparuerit, vita vestra, tunc etiam vos apparebitis cum ipso in DEO.* Et sanè ne putetis hanc occultam vitam tantùm ad Religiosos pertinere, satis ad hoc vobis esse potest, quod S. Hieronymus in vita S. Macarii narrat, quòd scilicet, cùm S. iste vir desiderium concepisset intelligendi, quousque in sanctitatis & perfectionis studio perveniisset, à DEO jussus sit in civitatem Alexandriam pergere, ibique duas mulieres conjugatas quærere, cum illis enim ipsum parem sanctitatis gradum nactum esse. Cùm ergo quæsivisset illas S. Macarius, easdémque interrogâsset, quibus potissimùm exercitiis vacarent? intellexit, nihil aliud ferè eas præstitisse, quàm quòd in charitate & concordia conviventes communia matrimonii onera cum sincera intentione atque patientiâ sustinuissent, sícque per has virtutes æquâssent, quidquid asperitatis per tot annos S. Macarius tolerâsset.

Pars Tertia.

In tertio actu *agentem* vobis S. Antonium exhibeo; ubi vel maximè dicere poterat: *vivo autem iam non ego; sed vivit in me Christus* agens & operans. Nam 1. sicut Christus antè, quàm prædicationis officium auspicaretur, in eremum secessit, ita S. Antonius ad eremum montis paulò priùs, quàm proximi saluti procurandæ vacaret, se contulit, ibique totum se meditationibus sacris impendit. 2. Sicut Christus quadraginta diebus in Eremo jejunavit, ita S. Antonius tam severum sibi in hoc secessu jejunium imperavit, ut vix sustentare se posset. 3. Sicut Christus cum Dœmone certavit, eúmq; feliciter superavit, ita S. Antonius cum eodem pugnans pænè suffocatus est, sed B. Virginis auxilio invocato, & crucis signo facto tandem & ipse de eodem triumphavit. 4. Sicut Christus Verbum DEI cum magno zelo sine personarum respectu prædicavit, ita ut dicerent: *nunquam sic locutus est homo*; ita non dissimilem in concionando zelum S. Antonius ostendo-

ostendit. Testatur hoc Pontifex, qui arcam Testamenti appellavit: testantur hæretici, quorum malleus dicebatur: testantur Episcopus & Clerus Paduanus, qui ipsum avidissimè audiebant: testatur plebs de media nocte surgens, ut ipsum audiret: testantur 30000. Auditorum cum tanto silentio audientium, ut ne unus quidem reperiretur, qui minimum strepitum ederet: testantur mercatores, qui ultrò tabernas ijs diebus clausas retinebant, quibus ipse concionari solebat. §. Sicut Christus miraculis doctrinam suam confirmabat; ita etiam S. Antonius, nam omnium linguas loquebatur: ægros curabat innumeros: in pluribus locis conspectus est eodem tempore: complures mortuos resuscitavit: &, ut verbo cum Authore vitæ absolvam, adeò Dominus mirificavit Sanctum suum, ut non solùm usitatis quotidie coruscaret miraculis, sed etiam inaudita ab eo signa ederentur.

Sed quid nos ex hoc tertio actu, ab agente scilicet Antonio discere debemus? illud nimirum, quod Ecclesiasticus c. 33. suasit: *In omnibus operibus tuis præcelleus esto.* Cùm enim nobis perinde ac S. Antonio dictum sit à S. Paulo 1. Cor. 10. *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* hæc autem gloria pluris facienda sit, quàm salus totius mundi, an non æquissimum putamus, ut pro tam sublimi fine consequendo omnem in actionibus vestris industriam conatúmque adhibeamus? si olim S. David. 1. Paral. c. ult. dicere ausus est: *Totis viribus præparavi impensas domus Domini, non enim homini præparatur habitatio, sed DEO:* an non idem nos de nostris actionibus dicemus, atque adeò omnes vires nostras contendemus, eò quòd non hominis beneplacito præparetur hæc actio, sed DEO? Id profectò memorabili exemplo Joannes Godoius ex Societate JESU nos docuit, qui, cùm ollas singulari cum diligentia lavaret, aliúsque diceret, non esse opus tantâ accuratione, eò quòd mox iterum per quotidianum usum sordidæ redderentur, pulchrè respondit: Noveris, mi Frater, me quotidie mea opera DEI & B. Virginis Matris meæ amantissimæ honori consecrare; indecorum proinde censeo, ut aliquod opus non undequaque politum & perfectum ipsis offeram: O si & nos similem intentionem nostris actionibus præfigeremus, profectò non solùm similem industriam adhiberemus, sed similem

etiam

etiam in universis operibus nostris benedictionem experiemur, sícque impletum illud Christi promissum Joan. 15. cernemus: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.*

Pars Quarta.

In quarto actu exhibeo *patientem* Antonium. Ubi possem equidem magnum Catalogum texere eorum, quæ passus est sanctissimus vir iste, & propter quæ jure iterum dicere poterat: *Vivo iam non ego, vivit verò in me Christus* patiens. Sed quia patientiâ vestrâ abuti non debeo, unicum desiderium Martyrij commemorâsse sufficiat, quod adeò magnum erat, ut propter illud ordinem Sancti Francisci ingressus sit. Et quo proinde facilè tanquam ex ungue leoninum Antonij animum colligere licebit, cùm enim ex divina dispositione occasio martyrij subeundi oblata ei sit, non dubitandum profectò est, quin ipse per continuam sui abnegationem vexationémque Martyrium horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius sibi ipsi inferre sit conatus. Ad quam proinde patientiam illius æmulandam, unicam vobis, eámque solatio pleniſſimam sententiam ex S. Jacobi epistola c. 1. deptomptam offero: *omne gaudium existimate, Fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis* scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam *operatur, patientia autem opus perfectum habet.* cujus sententiæ efficaciam, ut melius penetretis, considerate, quæso, Auditores, cur S. Antonius tantopere Martyrium desiderârit? an non fuit homo, & quidem sensibilis, fragilis perinde ac nos? fuit profectò, fuit perinde ac nos fragilis & sensibilis. Quomodo ergo nihilominus tam ardenter desideravit cruces & tribulationes, à quibus nos tantopere abhorremus? nimirum non tantùm corticem exteriorem, sed latentem intus nucleum & dulcedinem promissi præmij ponderavit. Revocavit sibi in memoriam, quod S. Paulus 2. ad Cor. 4. dixerat: *id quod leve, & momentaneum est, tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* En, pondus ait, non quamcunque modicam quantitatem; pondus nimirum gloriæ, pondus gratiæ apud DEVM, pondus consolationis, pondus honoris, pondus ædificationis: quis, quæro, si ita crucem aspiceret, crucem horreret, & non potiùs

tiùs amicissimè quæreret, & complecteretur? Certè beata Angela de Fulginio ausa est dicere, quòd si pretium & valorem tribulationum cognosceremus, unus alteri crucem suam erepturus esset. *Verè enim non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom.8.

Pars Quinta.

In quinto actu S. Antonium *ad cœlos ascendentem & honoratum* vobis sisto; ubi tamen nihil dicam de honoribus ante mortem acceptis: nihil etiam de illis, quos undique nunc accipit, quamquam & hi non leve argumentum præberent Sanctitatis, & famæ per eam comparatæ: Illos solùm honores commemorabo, qui statim post mortem illi exhibiti sunt; hi enim vel maximè ostendent, non viventem duntaxat, & passum, sed morientem etiam & honoratum Christum fuisse ab eo repræsentatum, ita ut de ipso quoque non sine admiratione homines exclamare coacti sint: *verè filius DEI* (adoptivus) *erat iste.* Vt ergo hos honores obiter tantùm percurram. 1. Pueri nemine sciente ejus mortem promulgaverant clamantes: mortuus est S. Antonius. 2. Mulieres pauperes non aliter eum ac Parentem suum deplorabant. 3. Cives armati vigilabant pro corpore, mortémque priùs obire, quàm descendere ab eodem decernebant. 4. Episcopus cum Clero, Religiosi cum Sociis, Professores cum discipulis seorsim accurrebant ad Sacratissimas viri tanti reliquias singulari cultu venerandas. 5. Peregrini varij ex Gallia, Hispania, Germania, & Ungaria illius Sanctitatis famâ excîti accelerabant, ut, quem viventem videre, coleréque non poterant, saltem post mortem in cadavere honorarent. 6. DEUS ipse luculentos honores illi exhibuit, dum omne genus morborum ad solum reliquiarum ejus contactum sustulit, & curavit. 7. Sed quòd meritò præcipuum, & vix ulli Sancto à sede Apostolica concessum genus honoris est, usque adeò fama & merita Sanctitatis ejus invaluerant, ut Gregorius nonus anno nondum integro elapso eum in Sanctorum numerum retulerit, publicóque honore honorari concesserit, quo ipso die Ulyssiponæ cives nescij prorsus hujus decreti inopinato gaudio se repleri senserunt, & campanæ proprio motu sonare cœperunt.

perunt. An non verificatum est in hoc Sancto illud S.D. vidis Ps.77.effatum: *nimis honorificati sunt amici tui, DEU nimis confortatus est principatus eorum*? Ex hoc igitur num actu unicam iterum doctrinam eruo, vobisque chori loco cr S. Bernardo occino: *sola virtus Mater gloriæ est; sola enim est, cui gloria debetur, & iure impenditur. Quæ autem sine virtute est gloria, profectò indebitè venit, properè affectatur, & periculosè captatur.* Ex qua sententia breviter colligi potest duplicis generis honorem ab hominibus impendi, *alienum & proprium*; ille est, qui non propter propria merita, sed alterius exhibetur, qualis est, si superiorem loco Christi, & illustres, nobilésque propter majorum suorum merita honoramus: iste est, qui ex propria virtute & meritis oritur, & hic proinde propriè honoris nomen meretur, uti jam olim Romani ingeniosè per duo templa virtuti & honori ædificata significârunt, dum tali ea ordine struxerunt, ut nulli ad Honoris templum pateret aditus, qui non priùs per virtutis templum transijsset, ut vel sic discerent homines, non aliam ad honores veros, nisi per virtutem semitam esse. Unde qui hoc titulo carent, & tamen propter honores sibi delectos efferuntur, ad mulum illum Athenienſem ablegandi sunt, qui, cum in supplicatione solenni pretiosè vestitus, & statuam Isidis Deæ portans efferretur, quòd homines ante se in genua prosterni videret, stimulo in latus ab agasone impacto hæc verba audire debuit: *Non tibi sed Isidi*, honor iste debetur. Vos ergo, mei Auditores, si honorem & gloriam appetitis, veram quærite; hæc autem sola & unica est, quæ ex virtute, seu clariùs loquendo ex sincero DEI servitio, suique imperio petitur, nam DEO servire regnare est, & imperare sibi præstantissimum est imperium. Hanc ergo gloriam, hunc honorem quærite, & quantumcunque pauperes, & viles videamini, omnibus regibus & Imperatoribus excellentiores, & honoratiores eritis.

Epilogus.

Sed finienda est comœdia nostra. Vidistis ergo nunc S. Antonium nascentem feliciter, crescentem continuò, agentem strenuè, patientem generosè, & magnificè honoratum. Superest, ut nunc ante vos stantem, & illis S. Pauli verbis i.

Cor.

Cor. 5. vos alloquentem pariter vobis imaginemini: *Rogo vos imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Hoc enim vel maximè necessarium est, si orationibus illius efficaciter adjuvari desideratis; nam, ut benè S. Chrysostomus in hom. de SS. Martyribus advertit, *tunc libenter Sancti DEI Martyres pro nobis intercedunt, quando aliquid in nobis de suis virtutibus recognoscunt.* Meminerimus ergo, & nos Spectaculum esse factos DEO, Angelis & hominibus, tum in terra, tum in cœlo viventibus, erigamus proinde oculos ad Instructorem nostrum S. Antonium, & pro viribus eum imitari conemur. quia verò ex nobis id non possumus, ideò opem illius & suffragium implorantes dicamus; O S. Antoni, gratulamur tibi, quòd ad tantam gloriam in cœlo evectus sis, gratias etiam tibi amplissimas agimus pro tot támque præclaris virtutibus ad imitandum relictis; id unum ergo supereſt, ut etiam ad imitationem illarum procurandam tuis nos suffragiis adjuvare digneris: impetra ergo nobis, ô Sanctissime Pater, ut tecum vel hodie spiritualiter nascamur: impetra, ut in virtutis & perfectionis studio quotidie tecum crescamus: impetra, ut tecum fructuosè operemur, solámque DEI gloriam in omnibus actionibus nostris sincerè quæramus: impetra, ut tecum fortiter patiamur, quidquid vel à DEO, vel ab hominibus patiendum occurrerit, impetra denique ut de virtute in virtutem tecum ascendentes verum honorem quærere in terris incipiamus, & in cœlis olim feliciter inveniamus. Amen.

Alii Conceptus.

1. Simili modo posset Sanctus aliquis comparari soli juxta illud Matth. 13. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol.* Et 1. ostendi, quomodo ut sol per humilitatem nobis quidem parvus visus fuerit, sed in se maximus fuerit juxta illud. Th. Kempens. l. cc. 3. verè magnus est, qui magnam habet charitatem. verè magnus est, qui in se parvus est. & omne culmen honoris pro nihilo ducit. 2. Ut sol varios effectus produxerit, *luce* pellendo tenebras in mentibus peccatorum, aliorúmque hominum, præcipuè infidelium: & *calore* producendo flores pulcherrimarum virtutum, & frumentum electorum, vinum lætitiæ &c. 3. Ut sol celerrimè perfectionis Zodiacum per-

currerit juxta illud Ps. 18. Exultavit ut gigas ad currendam viam suam, ubi, si placet, breviter duodecim signa ipsius virtuosis actionibus applicari poterunt, dicíque non esse mirum, quòd tàm velociter cucurrerit, habuisse enim quatuor nobilissimos equos solis equis similes, scilicet quatuor virtutes cardinales, quarum auxilio tantum in perfectionis studio profectum fecerit. Hortare proinde Auditores, ut hodie sint Heliotropia, & ad solem istum per vetam devotionem se convertant.

II. Posset tota alicujus Sancti vita, præcipuè, si quondam in peccatis vixit, in tres partes velut in breve Dramation dividi. Et in parte prima v.g. Paulus *perversus*. In secunda *Inversus*. In tertia *conversus* repræsentari, & ex quavis parte convenientes doctrinæ erui.

III. Posset ostendi, quòd Sanctus talis imaginatus sibi sit, se spectaculum esse factum DEO, Angelis & hominibus, atque adeò sibi quoque suam Personam repræsentandam ratus tria ad perfectum Actorem requisita egregiè præstiterit. 1. diligenter inquisierit, quam personam agere debeat, & quid ad illam requiratur, sollicitè indagârit. 2. benè personam suam repræsentare studuerit, attendens ad exemplum Comici & Instructoris sui Christi, non autem ad alios actores. 3. maturè inceperit, & per hoc singularem apud Spectatores suos laudem gratiámque meruerit. 4. feliciter & tempestivè absolverit, dum consummatus in brevi explevit tempora multa, & usque in finem perseverávit.

IV. Posset in festivitate Sancti, præcipuè si sit Patronus specialis vel titularis, convivium Spirituale instrui ex triplici genere ferculorum compositum. 1. ex ferculis fictis **Vschaueſſen**/ ubi vel mirabilia facta Sancti, vel certè si prius fuit gravis peccator, ipsius mala vita proponi posset; talia enim admiranda potiùs sunt, quàm imitanda. 2. ex ferculis solidis **Hauptſpeiſſen**/ ubi potiores virtutes ad imitationem accommodatæ explicari & suaderi possent. 3. ex bellariis ubi fructus in hac & altera vita à tali Sancto ex virtuosa vita reportati enumerari possent. Sic v. g. posset in Festo S. Magdalenæ in prima parte Magdalena *peccans*. In secunda *pœnitens*. In tertiâ *gloriosa* exhiberi, & aptæ ex quavis parte doctrinæ erui.

V. Pos-

V. Posset ostendi, quàm benè officio *Negotiatoris* sit functus in Nundinis hujus vitæ, ut vocat S. Gregorius Nazianzenus. Et 1. diligenter inquisierit, quid in domo sua defuerit per frequentem & serium examinum & recollectionum usum. 2. Semper bonas mêrces emerit, imò plerúmque meliores per perfectionis accuratum studium. 3. Maturè emerit juxta illud S. Pauli: *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* 4. Vili pretio emerit non enim sunt condignæ Passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 5. Securè præmiserit in alteram vitam per humilitatem & legitimam intentionem.

VI. Posset ostendi, quàm præclarè omnes partes *militis Christiani* expleverit. 1. Strictè observando juramentum ab initio susceptæ militiæ factum. den Artickl. Brieff. 2. Parendo exactissimè suo Duci, & manendo in sua statione. 3. In conflictibus variis fortiter certando; ubi possunt varia certamina contra luxuriam, superbiam, avaritiam, gulam &c. explicari. 4. Gloriosè occumbendo, dum scilicet per constantiam in acie stetit, atque adeò dicere cum S. Paulo ep. Tim. 4. potuit. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.*

VII. Posset ostendi, quomodo *duo talenta* à DEO concredita tam fideliter administrârit, scilicet intellectum & voluntatem, & alia duo, scilicet perfectam DEI cognitionem & amorem DEI lucratus sit, ubi explicari possent potiores actus Charitatis DEI exerciti. vel per duo talenta accepta intelligi possent Charitas DEI & proximi, per duo talenta verò acquisita gratiæ augmentum in hac, & gloriæ augmentum in altera vita.

VIII. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis fuerit *lux mundi*, & juxta ipsius exemplum sic lucere debeat lux nostra coram hominibus. 1. illuminando intellectum. 2. accendendo & calefaciendo voluntatem. 3. purificando conscientiam, & quomodo hic Sanctus hæc omnia tam erga se, quàm alios præstiterit.

IX. Posset ostendi, quàm perfectè secutus sit consilium Christi. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum: tollat crucem suam, & sequatur me. 1. *abnegando semetipsum* per abstinentiam ab illiciis. 2. *tollendo crucem* per sustinen-

tiam adversariorum. 3. *sequendo Christum* per imitationem perfectam; atque adeò implevetit tria capita ad perfectionem ab Ascetis requisita, ut nimirum quis sciat, *abstinere, sustinere, agere*, quæ proin, in quo consistant, fusiùs ostendi potest.

X. Posset ostendi, quàm fidelis fuerit *dispensator*, tribuendo de bonis Domini sui, id est, de tempore sibi cõcesso, partẽ Deo partem proximo, partem sibi per actiones ad aliquod horum commodum vel honorem ordinatas; exempla SS. Joachim & Annæ, qui sua bona in tres partes simili modo distribuerunt. vel possunt per bona Domini intelligi bona opera, & ostendi, quomodo unam partem, scilicet fructum laudis & gloriæ DEO: aliam partem scilicet meritoriam, sibi; & aliam, scilicet satisfactorium & impetratorium fructuum proximo, nempe viventibus atque defunctis assignârit.

XI. Posset ostendi, quàm fideliter *servi vigilantis* officium impleverit, repertúsque sit vigilans in vigilia prima, id est, via purgativâ abstinendo à vitiis, & passiones reprimendo per varias corporis & animi mortificationes. 2. In secunda vigilia, id est, viâ illuminativa, exercendo se in variis virtutibus. 3. In tertia vigilia, id est, viâ unitivâ per singularem familiaritatem cum DEO in exercitiis spiritualibus, & conformitatem voluntatis suæ cum divina.

XII. Posset ostendi, quomodo fuerit vir secundùm cor DEI, qui fecit omnes voluntates ejus, vocationem suam diligenter inquirendo, fideliter exequendo, & constanter in ea perseverando, vel quòd semper fecerit, *quæ DEVS voluit, quo modo voluit, & quia voluit*. Ideóque vicissim à DEO tres gratias obtinuerit à S. Davide Ps. 88. indicatas: *Oleo Sancto meo unxi eum* (id est oleo lætitiæ præ consortibus) *manus mea auxiliabitur ei* (hinc felix successus omnium actionum & laborum) *& brachium meum confortabit eum* (hinc plena & tranquilla securitas animi.)

Exemplar Tertium.

Quomodo de una virtute alicujus Sancti concio institui possit?

Pri

Pro Festo Sancti Ignatii Fundatoris Societatis JESU.

Thema.

Sint lumbi vestri præcincti Luc. 12.

Scopus.

Ostendendum, quàm fortiter S. Ignatius Ecclesiam defenderit, & quantopere quivis Christianus ob hanc causam illi obstrictus sit.

Syllogismus principalis.

Tunc meritò quivis Christianus plurimùm obligatus est ad S. Ignatium colendum, quando ille fortissimè Ecclesiam, & cum illa etiam nos contra Lutherum defendit; atqui hoc fecit; ergo meritò quivis Christianus plurimùm obligatus dicitur ad illum colendum.

EXORDIUM.

Quæstio non tam curiosa, quàm jucunda & salutaris est, an S. Ignatius Fundator Societatis JESU, cujus festum hodie celebramus, magis officium militis præstiterit antè, quàm post suam conversionem? ad quam quæstionem etsi pleriq; judicaturi sint, haud dubiè ante conversionem eum præstantiùs officio militis functum, eò quòd de hac functione præclarum in defendenda arce Pompelonensi specimen ediderit; nihil autem simile post conversionem ipsum præstitisse sciatur; ego tamen contrariam sententiam amplector, judicoque, nunquam præstantiùs officium militis gessisse S. Ignatium, quàm postquam relictâ profanâ militiâ spiritualem auspicatus est; & hoc in præsenti concione fusiùs nunc ostendam, ut, dum cognoveritis, quàm præclarè Ecclesiam, & cum hac etiam vos defenderit, eâdem operâ intelligatis, quantopere eidem obstricti sitis, atque adeò omnem in debito hoc vestro exolvendo conatum adhibeatis.

Propositio.

Dum Ecclesiam nostram Catholicam considero, rectè illa

arci seu civitati munitæ comparari posse videtur. Nam i est illa benè munita triplici muro virtutum Theologicarum & quatuor portis cardinalium virtutum. 2. Est populos (**wohl besetzt**) & cum bono ordine dispositos Inquilinos habet; in eâ enim reperitur Christi Vicarius, ejus Consiliari Cardinales, Duces Episcopi, officiales Clerici & Religiosi, & reliquus populus Christianus militum officio fungens, o mnes pulcherrimo ordine sibi invicem subordinati. 3. Bonè instructa armis & commeatu; nam ipsa est, de qua Cantic. 4. dicitur, quòd sit *turris ædificata cum propugnaculis*; & *quòd mille clypei pendeant ex ea, & omnis armatura fortium*. In ea panis pretiosus Angelorum, aqua non deficiens gratiæ per septem canales Sacramentorum, per puteos variorum exercitiorum Spiritualium derivata, reperitur. 4. Denique super tam firmam petram, ipso Christo teste, est ædificata, ut portæ inferni non possint prævalere adversus eam. Quibus tamen non obstantibus multi quidem hæretici, sed præcipuè nostris temporibus Lutherus cum suis assectis ausus est hanc munitissimam civitatem aggredi & oppugnare. Sed illi DEUS Ducem fortissimum Ignatium opposuit, qui usque adeò omnes ejus conatus elusit, ut, ubi primùm Ignatium cum suis Sociis vidit, mox animum abjecerit, & multùm confusus abierit, uti facilè patebit, si ex una parte Lutheri conatus, ex altera verò oppositas S. Ignatii machinationes intellexerimus.

Pars Prima.

Primò itaque Lutherus *ipsos muros invasit*, dum primum murum fidei catholicæ per rejectas traditiones, authoritatem Pontificis, indulgentias, vota religiosorum dejicere conatus est: spem verò tollendo cultum B. Virginis, & aliorum Sanctorum, operúmque propriorum valorem & necessitatem debilitare studuit: & charitatem denique, dum observationem mandatorum impossibilem, nostráque opera nihil nisi peccata esse, consilia Evangelica verò, per quæ vel amor erga DEUM probatur, supervacanea dicere ausus est, penitus evertere laboravit. Sed his omnibus conatibus fortissimè se Ignatius opposuit, quis enim nescit, quanto cũ conatu inviolatam fidem avitam conservare studuerit? quàm salutares regulas con-

conscripserit, per quas rectè sentire cum Ecclesia discamus? quàm acriter se cum sociis per publicas disputationes eorum doctrinis opposuerit? quàm solidè feliciterque hæreses eorum per libros & privata scripta sparsas refutârit? quàm multos ex ipsis oppugnatoribus expugnârit, & in ipsam Catholicam Ecclesiam pertraxerit? Non dissimili verè modo alterum quoque murum, scilicet spem defendit; quis enim non vel legit, vel propriis oculis vidit, quàm egregiè is cultum B. Virginis & Sanctorum promoverit? quantopere laborârit, ut homines ad frequentanda Eucharistiæ & pœnitentiæ Sacramenta induceret? quàm sollicitè procurârit, ut in variis operum bonorum generibus se studiosè exerceret? quoties illud S. Jacobi saluberrimum monitum inculcârit: *quid prodest, Fratres mei, si fidem dicat quis se habere, opera autem non habeat? numquid fides poterit salvare eum?*

Sed præ reliquis murum charitatis divinæ fortissimè propugnavit, id quod ipse DEUS quondam B. Magdalenæ de Pazis revelavit, ut Lancizius in 1. opus c. refert, dum illa vidit, DEUM in throno Majestatis sedentem, tantopere sibi complacere in anima S. Joannis Evangelistæ, ac si præter ipsum nullos alios Sanctos in cœlo haberet; postea verò vidit, simili modo DEUM in anima S. Ignatij delectari, quocirca clara vocè dicebat: Spiritus Joannis & Ignatij est idem, quia totus est amare, & conducere ad amandum DEUM. Hinc ad indicandum hunc amorem S. Ignatij non malè pictor quidam ipsum flammas ex toto corpore projicientem, sícque de cœlo advolantem pinxit cum hac subscriptione: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi ut accendatur?* hinc & ipse dicere solebat sociis suis: *Ite, & omnia accendite.* Imò, hac ipsa etiam de causa haud dubiè ex inspiratione divina adhuc infans nomen ipse suum elegit dicens: Ignatius est nomen meum. quia Ignatius si unicam litteram *a* demas idem significat ac *Ignitus*, vel *tu ignis.* quis ergò non præclarè S. Ignatium in hoc primo officio defensionis, militem egisse fateatur?

Pars Secunda.

Postquam Lutherus advertit, frustraneum esse conatum suum in muris dejiciendis, *ad ipsas portas effringendas* se con-

vertit. Hinc 1. *prudentiæ* portam labefactare conatus est, dum omnium rerum ordinem turbavit, & summâ imprudentiâ media pro fine eligi, atque hominem pro sua libertate sine solicitudine speciali de operibus bonis & meritis vivere fecit; Sed S. Ignatius omnia contraria egit, nec quidquam magis laboravit, quàm ut homines secundùm rectas prudentiæ leges ultimum suum finem præ oculis semper haberent, & super eo rectè constituto & proposito totam suam vitam fundarent, ut in libello exercitiorum videre est.

2. Lutherus *Iustitiæ* portam labefactare conatus est, dum DEO & Sanctis debitum cultum negari, Pontifici aliisque similibus Superioribus obedientiam subtrahi, concordiam per matrimonij divortia etiam quoad vinculum tolli, pacem in republica turbari fecit. Sed nihil hæc terruêre S. Ignatium, quin potius se totis viribus ad conatus hos retundendos convertit; hinc suam Societatem per peculiare votum obedientiæ in quocunque casu præstandæ obstrinxit: hinc tot Congregationes instituit, & per eas cultum B. Virginis & Sanctorum introduxit: hinc tantum laborem adhibuit, ut à filiis debita reverentia Parentibus, à subditis obedientia Superioribus, à conjugibus fidelitas, ab omnibus verò mutua charitas invicem exhiberetur. Nec minùs studuit etiam *temperantiæ & fortitudinis portas* conservare. quassavit quidem illas Lutherus, dum intemperantiam in cibo potúque verbo & exemplo passim suasit: dum superbum caput supra omnes erexit, atque ut se ob contemptum, quem ex negata Indulgentiarum promulgatione sibi obvenisse putabat, vindicaret, ab Ecclesia defecit: dum omnia prope motiva ad suscipiendam portandamque crucem elusit. & explosit: sed irrito conatu; nam fortiter oppositus se Ignatius, dum & ipse insigni exemplo abstinentiam docuit, & saluberrimas pro victu temperando regulas composuit: dum non ipse duntaxat omnes honores studiosè declinavit, sed ut sui etiam ad eosdem non acceptandos voto se obstringerent, in constitutionibus suis imperavit: dum tantum desiderium patiendi semper præ se tulit, ut dicere ausus sit, non esse tot pedicas & vincula in civitate Salmanticensi, ut non plures optaret, hancque expeditissimam ad perfectionem viam esse affirmaret, si quis multa propter DEUM innocenter pati posset.

Pars Tertia.

Videns itaque Lutherus neque portas se infringere posse *Ignibus iniectis* expugnare urbem nostram statuit, quos tantò audaciùs injecit, quantò plures victorias se hoc medio obtinuisse meminerat; hinc omnem libidinem passim permittere, uxorem æquè ac panem necessariam esse dicere, omnem virginitatem eliminare, monasteria velut pestiferas domos detestari &, quidquid Castitatis studium promovere poterat, penitus arcere studuit; sed novit scilicet artem his ignibus occurrendi Ignatius: novit ejusmodi ignes bovina pelle, id est, indefesso labore, quo otium proscribitur, supprimendos; novit aquam gratiæ cælestis, sine qua continens esse nemo potest, copiosè affundendam: novit fugâ celeri tales ignes dexterrimè declinare, hinc omnes ad laborum amorem, otij & occasionum fugam, orationum aliorúmque exercitiorum Spiritualium frequentem usum tam sollicitè excitavit, à suis verò tam perfectam castitatem requisivit, ut vel ipsis etiam per illam assimilari Angelis possent.

Pars Quarta.

Itaque & hîc nihil proficiens Lutherus, Holofernis tentavit consilium, atque adeò *canales* atque *fontes*, id est, Sacramentum & missæ sacrificium, per quæ tam copiosam gratiæ cælestis aquam in Ecclesiam derivari noverat, removere conatus est; sed nusquam fortiùs se opposuit Ignatius noster; hinc publicè & privatim frequentem usum Sacramentorum commendare, hinc tot confessionalia passim in suis templis ædificare: hinc ordinare, ut perpetua quodammodo Sacrificia in iisdem templis suis offerrentur: hinc tam sollicitè Sacerdotes instruere, &, quidquid ad saluberrimos hos fontes conservandos conducere videbatur, studiosissimè implere conabatur, non ignarus videlicet, ab his fontibus totam propè Ecclesiæ Catholicæ incolumitatem pendere.

Pars Quinta.

Tandem ergo, quod unicum superesse videbatur, *proditionis remedium* arripuit Lutherus, noverat scilicet, quòd jam olim Philippus Rex Macedonum dixisset, nullam sibi videri arcem

arcem inexpugnabilem, in quam asino auro onusto adi[tum] pateret. Hinc & ipse in Ecclesiam asinum auro, id est, [re]reis promissionibus & aurea libertate onustum præmitt[ere] conatus est; hinc tot Episcopatus, ditissima monasteria, pi[os]ques Parochias, thesauros Ecclesiæ ostendit, & Diabolum, q[ui] Christum olim tentârat, imitatus dixit: *hæc omnia tibi dab[o] si cadens adoraveris me, & Ecclesiam mihi tradideris*; & rect[e] sanè dixit, si *cadens &c.* verè enim, qui ei paruerunt, ceciderunt gravissimè de libertate filiorum DEI in servitutem Diaboli: de dignitate Christiani in infamiam hæretici: de gratia in peccatum, de cœlo in infernum: ita ut de illis ver[e] suo modo dici posset illud Isaiæ c. 1. *quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris, &c.* Sed nimirum S. Ignatius egregiè proditionem istam deprehendit, & detexit, dum tam præclaras regulas de discernendis spiritibus præscripsit: dum exercitia spiritualia & modum meditandi introduxit, usurpans suo modo illud Christi: *ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*, detegámque fraudes Diaboli; ille ad omnes cum S. Augustino verbo & exemplo clamavit: *si quæris, quære; sed non, ubi quæris; quære in fonte, quia ibi vivunt. quod factum est in ipso vita erat.* Ille dicebat omnibus cum S. Augustino: *Ecce viam vitæ, à multis ad unum: ecce viam mortis ab uno ad multa. Si adhærebis Superiori, conculcabis inferiora. Si recedis à Superiore, ista tibi in supplicium verterentur.* O igitur verè insignem Ducem! ô fortissimum Athletam! ô generosum Ecclesiæ defensorem!

Pars Quinta.

Quid ergò nobis faciendum modò est, AA. Equidem tria existimo facienda.

1. Audiendum consilium Ecclesiastici c. 44. dicentis: *laudemus viros gloriosos in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo.* Et quidni laudemus fortissimum Ignatium nostrum? si enim illos, qui arcem aliquam vel urbem, à qua unius tantùm provinciæ salus pendet, fortiter defenderunt, tantopere laudamus; quanta laude dignum censebimus illum, qui Ecclesiam, à qua omnium Christianorum salus dependet, tam feliciter conservavit? si illos, qui thesauros materiales servârunt, aut ab hoste & mor-

te corporali defenderunt, summis laudibus extollimus, quid non illi præstabimus, qui spirituales thesauros millies præstantiores, vitámque animæ contra tartareos hostes dèfendit? an non ergo dicemus cum populo Hebræorum Judith. c. 15. *Tu gloria Ecclesia, tu latitia Israël, tu honorificentia populi nostri, quia feciſti viriliter, & confortatum est cor tuum. ideo eris benedictus in aternum, & dixit populus: fiat, fiat.*

2. Gratiæ eidem S. Ignatio amplissimæ agendæ; si enim olim Romani tantum sibi beneficium exhibitum putârunt per urbis conservationem, ut specialem coronam, civicam scilicet, militaris virtutis insigne clarissimum decreverint, eò quòd cum Scipione judicârint, pluris esse faciendum, si unus civis servaretur, quàm si mille hostes perderentur; quid non S. Ignatio debebimus, qui tot cives Ecclesiæ, imò cœli servavit? quid autem meliùs ipsi, quàm coronam auream decernemus? vultis scire, quænam sit corona ista? vos, vos ipsi; si aurea charitate præditi fueritis, si studueritis ad illius exemplum omnia opera vestra ad majorem DEI gloriam dirigere, vos eritis corona ista. vos hodie alloquitur S. Ignatius illis S. Pauli verbis ad Philipp. c. 4. *Itaque fratres mei, charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea, sic state in Domino charissimi.* non peto, ut statum mutetis; non peto, ut bona vestra temporalia relinquatis; & pauperibus distribuatis. Sic state, charissimi, sicut DEUS vos constituit, dum vobis os sublime dedit, cœlúmque tueri jussit, & erectos ad sidera tollere vultus. sic state, ut, dum utimini hoc mundo, juxta S. Pauli consilium sitis quasi non utentes: sic state, ut, quales habebatis impetus ad mundum, tales deinceps habeatis ad Opificem mundi, sicut S. Augustinus monuit. Sic state, ut impleatis mecum consilium à S. Bonaventura datum, dum dixit: *ama, & ama totus; ama, & ama semper: ama, & ama fideliter; hæc est regula amandi, amare ut DEVS, exultare ut DEVS, vivere ut DEVS. Absorbeatur humanum in divino, abscedat vanitas, accedat divinitas, & totus fiam divinus.* Sic denique state, ut, quoniam est militia vita hominis super terram, sic arcem animæ vestræ defendatis, sicut me vidistis Ecclesiam defendisse; tunc eritis verè gaudium, verè corona mea, verificabitúrque de vobis illud Ps. 4. *posuisti in capite illius coronam de lapide pretioso.*

3. Su-

3. Supereſt, ut, quandoquidem tam præclarè eum offic
Ducis in Eccleſia impleviſſe cognovimus, etiam noſtra
animarum arcem eidem protegendam committamus: ſi en
in hac etiamnum vita exiſtens tantopere eorum, quorum c
ram ſuſcepit, animas defendit, quid faciet in altera? fiergo
tu advertis, aut muros tuos quaſſari; aut portas oppugna
aut ignem injectum; aut cuniculos actos: aut ad proditi
nem te ſollicitatum; aut canales gratiæ divinæ tibi ſubtra
hi, fontésque obſtrui, advoca S. Ignatium, illiúsque fidei
committe; eum in finem dictum tibi puta de illo, quod
Bernardus de S. Angelo Cuſtode dixit: quid ſub tanto cuſto
de timeamus? fidelis eſt, prudens eſt, potens eſt. Tantu
ſequamur eum: tantùm adhæreamus ei, & in protectio
DEI cœli commorabimur.

Epilogus.

Atque hæ ſunt, quæ S. Iguatio in ſignum gratitudinis no
ſtræ præſtanda cenſeo; agite proin AA. & mecum ad eunde
Sanctum vos convertite ac dicite: O glorioſiſſime Dux
Athleta Chriſti, ô potentiſſime defenſor Eccleſiæ, agnoſci
mus tuam fortitudinem, & totis viribus laudamus, ac gratia
pro ea debitas agimus, & ampliores agere deſideramus; qui
verò majores agere non poſſumus, quàm ſi coronam tanto
pere à te exoptatam capiti tuo imponamus, ecce paratos no
ad tua Sanctiſſima exempla imitanda. Tecum hodie voca
tem DEUM audiemus: tecum finem ultimum nobis ob oc
los ponemus: tecum omnia terrena ſpernemus, & non nis
quatenus ut media ad finem noſtrum conducunt, uſurpabi
mus: tecum contra hoſtes omnes arcem Eccleſiæ & anim
noſtræ fortiter defendemus; tu modo duc nos Sanctiſſim
exemplo tuo, tu adjuva patrocinio tuo: tu præſidio tuo de
fende, ut, qui te Ducem habuimus in terris, etiam ad cœle
Ducem experiri mereamur, próque noſtris ſimul & tuis bene
ficiis æternas divinæ Majeſtati laudes tecum cantemus. A
men.

Alii Conceptus.

1. Simili modo poſſunt aliæ virtutes Sanctorum pro con
cione explicari v. g. poſſet oſtendi, quomodo idem S. Igna
tius,

tius, aut alius Sanctus fuerit ignis, propter eximiam charitatem, qua DEUM proximúmque dilexit, adeoque dici posset, quòd ut ignis inter agendum semper sursum ascenderit per intentionem & pia suspiria. 2. quòd dum alios calefaciebat, nihil interea perdiderit de suo calore ut ignis. 3. quòd in æquali peripheria, id est, dispositione positos æqualiter calefecerit, sine respectu ad personas; magis verò eos, qui propinquiores erant, uti Pauperes, Juventutem, Peccatores, Infideles. 4. quòd valdè suavem & efficacem modum habuerit alios in se convertendi, sibique assimilandi, scilicet per calorem charitatis, uti ipse DEUS B. Magdalenæ de Pazis ostendit. 5. quòd non cessârit ab agendo, donec materia deficeret, diceréque posset cum Davide Ps. 118. *Tabescere me fecit zelus meus.*

II Posset ostendi, quomodo secutus sit Sanctus consilium Christi: *Estote prudentes, sicut serpentes,* atque adeò impleverit omnes prudentiæ partes. 1. sagaciter consultando de statu vitæ & aliis ad eum pertinentibus juxta monitum Ecclesiastici c. 32. *Fili mi, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.* 2. Sapienter eligendo, quæ ad finem propositum erant magis conducibilia ubi potiores ejus virtutes proponi & laudari possunt. 3. Celeriter exequendo, quæ elegerat, ita ut verè dicere potuerit: Bonum certamen certavi, cursum consummavi.

III. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis in curru igneo charitatis, ut olim Elias fuerit raptus in cœlum, idque per præcipuos actus charitatis DEI & Proximi, probari posset juxta illud Apostoli 1. Cor. 13: *Charitas patiens est &c.* atque adeò orandum cum Elisæo: *Obsecro Domine, ut fiat in me Spiritus duplex tuus.*

IV. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis velut novus Atlas Ecclesiam verbo & exemplo velut duobus humeris sustentârit, atque Auditores ad gratiarum actionem & imitationem excitari.

V. Posset ostendi, quomodo Sanctus aliquis utpote mirè devotus B. Virgini per viam lacteam in cœlos ascenderit, ubi in prima parte B. Virgo viæ lacteæ comparari; in secunda potiores actus mariani amoris ab eo eliciti explicari possent.

VI. Pos-

VI. Posset ostendi, quomodo talis ex mortificationis studio velut leo ex unque cognosci possit juxta illud Thomæ Kempensis l.1.c.25. *Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris.*

VII. Posset ostendi, quomodo talis Sanctus fuerit Heliotropium, convertens se semper ad solem æternæ sapientiæ per perfectam voluntatis suæ cum Divina conformationem: ubi exemplum S. Jobi & comparatio cum eodem non parum ad amplificationem servire potest.

VIII. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis fuerit Candidus & rubicundus per vitæ innocentiam & patientiam generosam in tribulationibus ubi exemplum Christi passi non parùm promovebit amplificationem, uti & tres comites illius, ut vocabat P. Balthasar Alvarez, scilicet indigentia, dolor, contemptus.

IX. Posset ostendi, quomodo talis Sanctus dixerit cum Apostolo: absit mihi gloriari &c. ubi dignitas, divitiæ, honor & pulchritudo corporis, ac scientiæ, quibus plerumque homines gloriari solent, exponi, simúlque probari posset quomodo hæc omnia longè copiosiùs in cruce inveniantur.

X. Posset ostendi, quomodo talis Sanctus ascenderit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & unjversi pulveris pigmentarij. ubi donum orandi à DEO concessum explicari posset.

XI. Posset ostendi, quomodo talis Sanctus rectè noverit vivere, quia rectè novit orare. ubi in prima parte probari posset veritas axiomatis. In secunda, quomodo Sanctus rectè oraverit.

XII. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis per viam arctam humilitatis ad cœlos ascenderit juxta illud Christi Matth.7. *Arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* ubi in prima parte pulchrè comparari potest humilitas arctæ viæ, & ostendi, quâm pauci hanc viam inveniant: in secunda verò humilitas Sancti per varios actus demonstrari. Potest etiam servire visus, quo S. Benedictus post mortem visus est viæ floridæ insistere, simúlque hæc verba audita: *hæc est via, quâ dilectus DEO Benedictus ad cœlum ascendit.*

XIII. Pos-

XIII. Posset ostendi, quomodo DEUS Sanctum talem honorârit, scilicet ad morem, quo olim Rex Asverus Mardochæum honoravit. Nam 1. *induit eum vestibus regiis*, seu stola gloriæ immortalis, quæ plùs eum exornat, quàm ullum hominem vestes quantumcunque pretiosæ ornârint. 2. *Super equum Regis imposuit*: quatenus per gratiam DEI (de qua Thomas Kemp. l. 2. c. 9. §. 1. dixit: Suaviter equitat, quem gratia DEI portat) ita roboravit, ut ab omni peccato & perturbatione liber suavissimè in DEO requiescat. 3. *Coronâvit eum diademate*: juxta illud S. Davidis testimonium Ps. 8. v. 6. *Gloria & honore coronâsti eum Domine, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Et iterum: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* 4. *Per Ministros suos primarios eum deduci in cœlos iussit*, scilicet per Angelos, sicut olim Lazarus eôdem est deportatus. Ut adeò nihil super sit, quàm ut ipsi quoque Auditores eum honorent, & genua flectant, id est, varia submissionis, fiduciæ, reverentiæ, & laudis obsequia exhibeant.

Caput IV.

Quomodo Conciones in Dedicatione Templi institui debeant.

Cùm plerumque ad Dedicationem Templi copiosior Auditorum numerus accurrat, expedit, ut Concionator raram etiam & Selectam materiam eligat. Quia verò ob frequentiam ejusmodi Concionum aliqui difficultatem non levem patiuntur in novis semper conceptibus inveniendis, ideò placuit hoc capite Specialiter de hac materia agere, & præter Formulam Concionis tali die habendæ, plures conceptus suggerere ad similes conciones instituendas. Quia verò duplici modo ejusmodi conciones institui possunt, scilicet ut vel directè de ipsa Dedicatione, Templo, & modo conversandi in illo sermo habeatur; vel ut ex ipso Evangelio aut Festo occasio sumatur, aliam quampiam salutarem doctrinam inculcandi, ideo duplex quoque Exemplar similium Concionum hoc capite afferetur.

§. I.

Exemplar Primum.

Quomodo directè de Dedicatione Templi concio habenda sit.

Thema.

Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere, Luc. 19.

Scopus.

Ostendendum, quomodo quivis Christianus Dedicationem Spiritualem instituere debeat.

Syllogismus principalis.

Templum Spirituale meritò pluris æstimandum est, quàm materiale; Ergo dedicatio quoque Spiritualis illius multò maiori fervore & alacritate peragenda est, quàm materialis Templi; Atqui Dedicatio materialis Templi hodie cum magna solemnitate peragitur; Ergo multò magis spiritualem Dedicationem simili cum Solemnitate ac fervore celebrare convenit.

EXORDIUM.

Quæstio est, non tam curiosa, quàm utilis, cur tot Dedicationes Templorum instituantur ab Ecclesia; ad quam quæstionem non meis, sed S. Augustini verbis in sermon. 252. de Tempore respondeo, ubi sic loquitur: *Quotiescunque, Fratres, Charissimi, Altaris vel Templi Festivitatem colimus, si fideliter ac diligenter attendimus, & Sanctè ac iustè vivimus, quicquid in Templis manufactis agitur, totum in nobis spirituali ædificatione compleamus; non enim mentitus est ille, qui dixit: Templum DEI Sanctum est, quod estis vos.* Ita S. Doctor, & recte quidem ac sapienter; quid enim prodest, si pavimentum Templi exterioris purgatum sit, parietes & altaria ornata, lumina & lampades accensæ; intus verò in Spirituali Templo, cujus ornatum DEUS vel maximè desiderat, omnia Scelidibus peccatorum plena sint, nulla virtutum ornamenta, nulla fidei aut charitatis lumina, Lampadésque accensæ appareant? an non talibus illa Christi Matt. 23. increpatio repetitur: *Væ vobis Pharisæi, quia mundatis, quod deforis est, autem*

autem pleni estis immunditiâ. Pharisæe cæce, munda priùs, quod intus est, ut fiat id, quod deforis est, mundum. Ne ergo hæc increpatio in vobis quoque locum habeat, sed potiùs tam salutari S. Augustini consilio pareatis, præsenti concione paulò fusiùs, quomodo hæc spiritualis animæ dedicatio instituenda sit; ostendam. Attendite, & favete.

Propositio.

Triplicem Dedicationem Templorum invenio ab Ecclesia usurpatam. Prima est, quâ Templum aliquod primò consecratur, & divinis usibus, officiisque dedicatur. Altera est, quâ annua primæ consecrationis memoria recolitur. Tertia tandem est, quâ, si Templum aliquod culpabili, gravique sanguinis vel seminis humani effusione pollutum & resecratum est, per reconciliationem seu novam benedictionem reconciliatur, & de novo quodammodo dedicatur. Omnes hæ tres dedicationes à nobis quoque peragendæ sunt, si quidem debitam Templi nostri Spiritualis curam gerere, dignámque DEO in nobis habitationem constituere velimus.

Pars Prima Confirmationis.

Et 1. quidem aio, Dedicationem primam Templi nostri Spiritualis, id est, cordis nostri animæque peragendam. Consistit autem hæc dedicatio in eo, ut locus, qui priùs profanis usibus serviebat, nunc soli divino cultui serviat. Scitis enim non rarò contingere, ut, dum area pro Templo ædificando paratur, ea ipsa, cui Hospitium, Officina aut aliud simile ædificium inexistit, eligatur, sícque necessarium sit, ut priora ædificia priùs destruantur, ut novo Templi ædificio locum cedant. Idem ergo in Spirituali dedicatione observandum est; erit enim fortè & inter vos non nemo, qui, si aream divino Templo destinatam, id est, animam suam considerare velit, Hospitium illi inædificatum reperiet, quia advertet, nihil in eo nisi de conviviis & compotationibus cogitari: alius Ergasterium aut tabernam meritoriam in ea exstructam inveniet, quia nihil in ea, nisi de lucris temporalibus, sive justè, sive injustè multiplicandis tractari intelliget: alius, quod dolendum & erubescendum maximè, omnino turpissimum

lupanar eidem ſuæ areæ, animæque non ſine ſumma Supremi Numinis injuria inædificatum deprehendet, quia nihil in ea nisi de fœdis amoribus,& carnalibus voluptatibas die, nocteque cogitari advertet. Hi ergo omnésque, aliique ſimiles Peccatores vel hodie iterum ſibi à Chriſto dici exiſtimem Zachæe,deſcende: quia hodie *me*(non Bacchum, non Mammonam,non Venerem)in domo tua oportet manere. Præbe Fili,cor tuum mihi, & ego illud à Sordibus peccatorum purgabo,ego gratiâ mea & virtutibus exornabo, ego divinis exercitiis deputabo,ego,ut uno verbo exprimam,dignum DEI habitaculum efficiam. Et quis tam amicæ invitationi non libenter reſpondeat, pareátque? quis non ex Anima ſua Templum & Habitaculum DEI,potiùs,quàm Dæmonis, aut Veneris, Bacchíque receptaculum fieri præoptet? age ergo quisquis es,ô Peccator,vel hoc momento malleum contritionis aſſume,vel nunc deteſtare,& deſtrue antiqua Veneris,Bacchíve,aut Mammonæ ædificium,accede ad Chriſtum, & dic cum Davide: Paratum cor meum,DEUS, paratum cor meum: Tibi ſoli hactenus peccavi,& malum coram te feci: Tibi ſoli deinceps ſerviam,& bonum coram te agam. Sic profectò Zachæus hodie exemplo præluxit. Deprehenderat ſanè & ipſe animæ ſuæ tabernam uſurariam inædificatam, aut potiùs turpiſſimum Mammonæ Fanum in ea erectum; Sedem quàm generosè hodie deſtructionem illius aggrediatur; quàm audacter hilaritérque ad Chriſtum accedat, & dicat; *Domine, Ecce dimidium bonorum meorum do Pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* An non hoc eſt, deſtruere antiquum ædificium, novúmque Templum DEO conſecrare? Sed aliud, nec minùs ad imitationem accommodatum exemplum audi: S.Ambroſius l. 2. de prima orig.c,10. refert, ſuo tempore Juvenem quandam perditiſſimis præditum moribus, damnatis mulierculæ cujuspiam amoribus extitiſſe implicitum; eum haud ita multò poſt(nutu utique ſupremi Numinis) profectionem in remotiſſimas partes adornâſſe, intereáque temporis (ut fieri ſolet interdum)cum loco & amores deſerviſſe, vitáque Sanctiori veteres mores emendâſſe. quid fit? redit in Patriam,Adoleſcens ſed nihilominus poſt tam diuturni temporis tractum temere urbem obiens,caſu in improbam, quam olim deperierat,domum

maſiam incidit, quæ, ut primùm illum intuita eſt, agnovit, ſed, cùm ipſe feſtinus illam prætergrediens negligeret, heus, tu, charum caput, inquit Mulier, itáne me præteris? ego, ego ipſa ſum illa, quam nôſti. Quid ad hæc Juvenis? Si tu es illa, inquit, abi: ego certè non ſum ille, qui fui. Dixit, & cum dicto ſe ſubduxit. O præclarum iterum converſionis & Dedicationis exemplum! Aſpice, ô Peccator, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi monſtratum eſt, obviabunt ſanè & tibi hodie Domeſtici tui, & dicent: En Potatorem noſtrum, qui totis hebdomadis in Hoſpitiis helluari conſuevit, en Patrem familias, qui nunquam orare, nunquam templa frequentare, aut Sacramenta obire ſolet. En Adulterum, qui ſine horrore obvias quasque mulieres invaſit, & in fœdis voluptatibus non aliter ac ſus in volutabro ſeſe hactenus volutavit. Sed & tu reſponde audacter illis; Ego non ſum, qui fui. Ecce nova faciam omnia. Deinceps me non in Hoſpitiis, ſed in Templis videbitis: deinceps non compotationibus & profanis conviviis, ſed Sacræ menſæ accumbentem aſpicietis: deinceps non fœdas voluptates, Sectantem, ſed conjugalis amoris jura fœderáque ſtudiosè conſervantem cum voluptate ſpectabitis. Verbo: Ego non ſum ego: Vósque ipſi de me teſtabimini, illáque Jacobi Patriarchæ verba deinceps pronunciabitis: *O quàm metuendus* (& admirandus, venerabilísque) *eſt locus iſte! verè non eſt hic aliud, niſi domus DEI.* Et hoc tandem modo primam Templi veſtri Spiritualis Dedicationem ſolidè, fructuosè, ac cum magna veſtra, aliorúmque lætitia peragetis.

Pars Secunda Confirmationis.

Verùm non contentos eſſe oportet hâc primâ Dedicatione, ſed annua quoque pari fervore, ſedulitatéque peragenda; per quam nihil aliud intelligo, quàm renovationem propoſiti ſemel concepti, quo DEO deinceps ſoli ſervire, ejúsque cultui totos Vos impendere decreveratis. Quâ quidem in re pulchro nobis exemplo Religioſi quidam Ordines, præcipuè veneranda JESU Societas prælucet, ut quæ ſingulis annis ſemel iterúmque votorum renovationem cum extraordinaria quadam diſpoſitione & fervore inſtituit, idque ob triplicem finem. 1. ob devotionis augmentum. 2. Ad excitandam

obligationis memoriam. 3. Ad majorem in vocatione fervore concepto confirmationem. Est quippe mens noth nodo ex variis vinculis connexo, aut clavo in parietem truso similis, qui, quò sæpiùs attrahuntur, aut intruduntu tantò firmiùs constringuntur, & inhærent. Aut ut alij ap us ad propositum nostrum discurrunt, est animus similis h rologij ponderibus, quæ semper deorsum tendunt, atque a eò perpetua iterum attractione opus habent. Est simi prunis ardentibus, quæ nisi iterum, iterúmque à folle a mentur, mox omnem suum calorem perdunt. Id quod m re suo præclarè S. Gregorius l. 12. mor. c. 2. sequentibus verb confirmavit: *Animus noster, dum igne amoris excoquitu semper in se servat charitatem pulchritudinis quotidiana in vatione fervoris. Nescit enim mens per torporem veteraſcere qua studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque p Paulum dicitur: Renovamini Spiritu mentis vestræ. Hin Psalmista, qui ad perfectionis iam culmen pervenerat, quasi n choans dicebat: Dixi, nunc cœpi: quia si lasseſcere ab inchoa tis bonis nolumus, valde necesse est, ut inchoare nos quotidie cu damus.* Quod usque adeò verum esse sibi persuaserat pu mus Author libelli de imit. Christi, ut non horruerit dicere ex hac frequentiori innovatione & proposito profectum no stru in virtutis studio metiendum esse; *secundùm propo tum nostrum, inquiens, cursus profectus nostri, & multâ diligen tiâ opus est bene proficere volenti, quòd si enim fortiter propo nens sæpe deficit: quid illi, qui rarò aut minùs fixè aliquid pro ponit? l. 1. c. 19.* Hinc paulò post subjungit: *Circa principia vestra, renovanda sunt bona exercitia, & Sanctorum suffragia ferventiùs imploranda. De Festo in Festum proponere debemus quasi tunc de hoc Sæculo migraturi, & ad æternum Festum pe venturi.* Quòd si ergo in Festis potissimùm hæc renovan & annua Dedicatio peragenda est, quod aptius pro ea Festu eligi poterit, quàm hoc ipsum Dedicationis Festum, ubi p exterioris templi Dedicationem ad interioris Templi resta rationem, novámque Dedicationem incitamur, ut, quem modum suprà hortatore S. Augustino didicimus, quidquid manufactis Templis agitur, totum in nobis spirituali ædi catione compleatur. Hodie ergo quivis se ita alloqui de beret; Ecce Dedicatio Templi nostri Parochialis hodie

lebr

lebratur: oporset ergo & noſtri domeſtici Templi Dedicationem celebrare; purgemus ergo illud per Confeſſionem ſinceram à peccatorum ſordibus; ornemus recentibus arboribus, id eſt, propoſitis piis, ac Sanctis deſideriis; peragamus officia divina Solemniùs, id eſt, precibus & meditationibus ferventius incumbamus; offeramus & DEO Sacrificium gratiſſimum, id eſt, SS. Euchariſtiæ Saçramentum cum magna devotione ac reverentia actualiter, aut ſi fieri id non poſſit, Spiritualiter ſuſcipiamus, inſtruamus denique & Amicis noſtris tam cœleſtibus, quàm terreſtribus convivium optatiſſimum puræ & ſecuræ conſcientiæ, quæ, teſte Salomone Prov. 16. eſt juge convivium, ad hoc enim libentiſſimè advolabunt, utpote, qui magis gaudent ſuper uno peccatore Pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis. Hoc ſanè modo & alteram Dedicationem fructuosè abſolvemus, tantóque majorem fructum reportabimus, quantò præſtantior eſt lætitia ſpiritualis, quàm per eandem nobis, aliisque creabimus, quàm illa, quæ ex materialis Templi Dedicatione percipitur.

Pars Tertia Confirmationis.

Atneque Secunda hæc, annuáque Dedicatio ſufficiet, niſi tertiam quoque & extraordinariam ſuo tempore celebremus; ſicut enim, ubi Templum aliquod ſanguinis vel ſeminis ſceleratâ effuſione, vel ſepulturâ Hæretici pollutum eſt, mox prima eorum, qui curam templi hujuſmodi ſuſceperunt, ſollicitudo eſt, ut illud per Epiſcopum iterum reconcilietur; ita hæc ipſa ſollicitudo pro Templo noſtro Spirituali, ubi per peccatum mortale pollutum eſt, reconciliando tantò ardentiùs ſuſcipienda eſt, quantò plura timenda ſunt damna, ſi diu hoc Templum, anima, inquam, ſine reconciliatione relinquatur; quantóque gravior Animæ eſt Socordia & culpa, ſi quam tam facili negotio potuiſſet obtinere reconciliationem, ipſa imaginariæ difficultatis horrore ac tœdio victa procurare omittat. Atque ut ipſi quoque gravitatem hujus Socordiæ clariùs cognoſcatis, conſiderate, quæſo, ac in memoriam revocate, quàm gravibus curis, triſtitiisque vexentur aulici, ſi fortè gratiâ ſuâ apud Regem ſe excidiſſe, minúsque gratioſos atque amabiles, quàm priùs fuerant, ſe eidem Regi fa-

ctos esse advertant; an non omnem lapidem movent, u quamprimum iterum antiquam gratiam recuperent? a non vel ipse somnus ab oculis fugit, donec benignos iterum Regis oculos ad se conversos esse intelligant & nos si gratiam summi Regis, qui æternum nos aut felicissimos, aut miserrimos efficere potest, amiserimus, nullam de a amissa tristitiam, nullam de ea perinde ac de alia quacunque re vilissima, recuperanda sollicitudinem concipiemus?

Considerate præterea, quanta celeritate plerumque Homines vel Chirurgum, vel Medicum accersunt, si vel modicum corpori inflictum vulnus, aut morbum à DEO immissum advertant, quàm nullis impensis, nullis remediis parcant, quàm graves etiam labores, dolores, & fastidia cum grandi patientia devorent, ut à tali vulnere aut morbo quàm celerrimè liberentur; & nos animam gravissimo ac periculosissimo vulnere ac morbo peccati sauciatam intuebimur, nec tamen de remedio statim applicando cogitabimus, sed integris septimanis & mensibus in tam periculoso ac misero statu ultro ac sponte hærebimus? maximè cùm & illud probè sciamus, quamdiu hoc morbo correpti sumus, nihil nos, quod ad æternæ vitæ præmium conducat, promereri posse, atque adeò inexplicabilis interea lucri lacrymabilem jacturam pati? Quid magis, quæso, Mercatorem aut Opificem ægrum, & lecto affixum affligit, quàm quòd lucro à se tantopere desiderato interea carere cogatur? quòd si in potestate ipsorum foret, se medio etiam cariori à tali infirmitate liberare, an non eosdem celerrimè illud arrepturos existimatis, & nos, quia lucro incomparabiliter majori abstinere per peccatum cogimur, non dolebimus, non tristabimur? quíque per unicam cogitationem, per unicum contritionis actum à nobis tale impedimentum excutere possemus, tam facile, promptúmque remedium non arripiemus? Considerate denique, quantis curis, angoribúsque conficiantur ij, qui fortè ob capitale crimen comprehensi & incarcerati, capitis se discrimen incurrisse animadvertunt, quantis mox precibus, promissionibúsque obvios quosque fatigent, ut Judicis sibi clementiam, gratiámque conciliare conentur; quòd si ipsismet facultas daretur, Judicem conveniendi, precandi, flectendi, an non primo statim momento ad eundem acceleraturos, & ad genua ipsius

ipſius proſtratos calidiſſimis precibus veniam delicti, gratiámque petituros creditis? & nos æternæ morti, ſuppliciísque perpetuis obnoxii, quovis momento paratam Judicis ſupremi flectendi occaſionem non pari velocitate, hilaritatéque arripiemus? an non ergo æquiſſimum eſſe videtis, ut hanc quoque extraordinariam Templi ſpiritualis Dedicationem ac reconciliationem magni æſtimetis, & quàm creberrimè pro animæ veſtræ ſalute ſolatióque peragatis? Quotiescunque ergo deinceps hoc Templum veſtrum peccato mortali, pollutum atque contaminatum eſſe advertitis, mox aquam benedictam, id eſt, lacrymarum, quibus peccata talia deploretis, affundite, Deóque Templum veſtrum ſpirituale renunciate. Dicite cum Davide quotidie, imò quâvis horâ: *Aſperges me, Domine, Hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.*

Atque ut hanc ipſam reconciliationem tantò celeriùs ferventiúsque peragatis, credite ab ipſo vos DEO ad eandem ſequentibus Iſaiæ Prophetæ verbis excitari: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perversè, diſcite benefacere.* Neque dicat quiſpiam: ego, DEO ſint laudes, pollutum per grave ac mortale peccatum Templum ſpirituale non habeo; mihi proinde non neceſſaria eſt ejuſmodi extraordinaria Dedicatio aut reconciliatio; nemo, inquam, hoc dicat, ſed potiùs meminerit, non deeſſe probatos Theologos, qui affirment, etiamſi templum non omnino pollutum, ſed ſolummodo ſordibus Hominum aut Pecorum inhoneſtatum ſit, aquæ benedictæ aſperſione iterum à Sacerdote mundari, & quodammodo reconciliari debere. Quidquid tamen ſit de hac ſententia, ij certè, qui majorem Templi ſui ſpiritualis, id eſt, cordis ſui curam ſuſceperunt, hanc induſtriam negligere non debent; nam, ut rectè S. Hieronymus epiſt. 3. pronunciavit, *mens Chriſto dedita, aquè & in maioribus, & in minoribus intenta eſt, ſciens, etiam pro verbo otioſo reddendam eſſe rationem.* Et quis eſt ex vobis, qui, ſi fortè in Templo hoc materiali ſtercora canum aut aliorum animalium in pavimento jacentia videat, aut telis aranearum obducta ſcamna vel Altaria advertat, non vehementer Ædituo indignetur, ejúsque ſocordiam carpat, ſi ea non quamprimùm removere ſtudeat. Quidni ergo multò

magis quisque sibi ipsi indignetur, si templum suum spiritu-
le sordibus peccatorum venialium undique fœdatum, aut in
perfectionum variarum araneis obductam mentem suam p-
periat? quidni seipsum tantò acriùs ad sordes has quàm c-
lerrimè auferendas exstimulet, quantò gravius oculos DEI
Sanctorum offendunt ejusmodi peccata venialia, quàm so-
des animalium displicere soleant mortalium oculis. Aud-
ant proinde isti S. Bernardum s. 1. in convers. S. Pauli sal-
briter monentem: *Nemo dicat in corde suo: levia sunt ista, non
curo corrigere. Non est magnum, si in his maneam venialibus
minimisq; peccatis; hæc enim, dilectissimi, impœnitentia, hæc bla-
phemia in Spiritum sanctum, hæc blasphemia irremissibilis.*
Nam, ut sapienter quoque S. Paulinus ep. 14. pronunciavit:
*Nescio, an possimus aliquod leve peccatum dicere, quod in DE
contemptum admittitur; estque ille prudentissimus, qui non tan
considerat, quod iussum est, quàm quis iusserit: neque quanta-
tatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem.* Adde,
quòd plerumque Patres spirituales ista peccata, si non ob gra-
vitatem, ob multitudinem certè non immeritò timenda at
fugienda esse affirment. Unde præclarè S. Gregorius l. 3. pa-
stor. c. 34. *Admonendi sunt*, inquit, *qui, quamvis in minimis,
sed tamen frequenter excedunt, ut nequaquam considerent, q-
qualia, sed quanta committunt. Facta enim sua, si despiciunt
timere, dum pensant: debent formidare, dum numerant.* Ma-
ximè cùm, ut idem S. Doctor alibi hom. 52. advertit, *non
nunquam in parvis deteriùs, quàm in maiori peccetur; maior
enim, quò citiùs culpa cognoscitur, eò etiam celeriùs emendatur;
minor verò, dum quasi nulla creditur, eò peiùs, quò etiam ser-
riùs in usu retinetur.* Etiam de his ergo quivis mox reconci-
liationem instituat, illáque sibi Siracidis verba c. 21. dicta
putet: *Fili, peccâsti, ne adiicias iterum, sed & de priscis de-
precare, ut dimittantur tibi.* Dic iterum cum Propheta ps. 6.
Lavabo per singulas noctes Lectum (aut potiùs Templum) *me-
um, lacrymis meis stratum meum* (aut animam rectiùs) *ri-
gabo.*

Epilogus.

Atque ex his modò satis, ut spero, patet, quomodo Dedi-
catio triplex, de qua in propositione locutus sum, fructuosè à
vobis

vobis sit peragenda. Supereſt, ut manum operi admoveatis, & ita triplicem hanc Dedicationem tam hodie, quàm deinceps celebretis, ut tanquam verum DEI Templum perpetuò ab eodem inhabitari, donísque ac gratiis ejus repleri, & tandem in cæleſte quoque Templum transferri mereamini, ubi perpetuam Dedicationem & Feſtivitatem celebrare, Deúmque cum omnibus Sanctis in omnem æternitatem laudare poſſitis. Amen.

§. II.

Alii Conceptus de eadem materia.

I. Præter Conceptum priori §. aſſignatum, poſſet ex occaſione ſententiæ ex S. Auguſtino ab initio prioris Concionis recitatæ oſtendi etiam, quomodo quiſque Dedicationem ſpiritualem celebrare, séque ipſum DEO in Templum ſpirituale offerre, & conſecrare debeat. Eum in finem demonſtrati 1. deberet, quomodo Area cordis eligenda, &, ſi quidem ibidem aliud ædificium, v. g. Veneris, Bacchi, Mammonæ ædificatum conſpiciatur, mox penitus deſtruendum ſit, uti in prima parte prioris concionis oſtenſum eſt. 2. Quomodo fundamentum ſolidum Fidei vel Humilitatis ponendum; nam, ut rectè S. Gregorius l. 8. mor. dixit: *Perit omne, quod agitur, ſi non in humilitate ſolidatur.* 3. Quomodo Parietes quatuor Cardinalium virtutum, Prudentiæ, Juſtitiæ, Temperantiæ, Fortitudinis erigendi. 4. Quomodo tectum per Perſeverantiam imponendum; nam juxta S. Hieronymum l. 1. contra Jovin. *in Chriſtianis non quæruntur initia, ſed finis.* Et, ut S. Gregorius l. moral. ait, *incaſſum bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur.* 5. Quomodo Altaria diverſa erigenda per devotionem ad certos Sanctos, præcipuè tamen Altare ſummum, conſtituendo ibidem tabernaculum mundi cordis pro Venerabili aſſervando, lampadémque auream divinæ Charitatis ſuſpendendo. 6. Quomodo *Chorus* ædificandus per varias preces ardentes perſolutas: *Confeſſionale* per frequentem ſui coram Sacerdote, aut DEO certè accuſationem: *Cathedra* pro concione ſibi ipſi ſuo tempore habenda: *Gazophylacium* geminum Miſericordiæ vivis & defunctis exhibendæ. Quæ omnia facilè fuſiùs, practicéque explicari poſſunt.

II. O-

II. Oſtendi poſſet, quomodo Anima noſtra ſit Templum omnium præſtantiſſimum, & ipſo etiam Salomonis templo præſtantius. 1. Quia majori ſumptu, ſcilicet pretio infinito Sanguinis & meritorum Chriſti conſtitit. 2. Quia magis ornatum eſt auro Charitatis, & inſuper præſtantiſſimis Reliquiis, id eſt, exemplorum à Sanctis relictorum memoriâ inſtructum. 3. Quia Officia divina & cultus DEI gratiori longè modo peraguntur. 4. Quia eſt magis celebre ob miracula & preces exauditas. Exhortandi proinde Auditores, ut, quemadmodum Salomon Dedicationem ſui templi ſumma cum lætitia & ſolemnitate celebravit, ita & ipſi ſimilem Feſtivitatem hodie inſtituant. Præterea vero ſedulò curent, ut & mundum ſemper hoc templum conſervetur, & debitus DEO, Sanctísque cultus accuratè ſuo tempore perſolvatur, ne alioqui eveniat illi, quod Hieroſolymitano accidit, ut ſcilicet propter negligentiam cuſtodiæ omnino evertatur, flammísque perpetuis ſubijciatur.

III. Oſtendi poſſet, quare Eccleſiæ potiſſimùm ſint ædificatæ & conſecratæ, ſcilicet ut eſſent *Domus Orationis*, ſeu ut meminiſſemus, in ijſdem fere caſibus ad Eccleſiam per preces nos confugere debere, in quibus ad domum noſtram materialem confugimus, quando extra illam verſamur, ſcilicet 1. Quando corpus cibo reficere volumus; ubi Sacramentorum uſus, & præcipuè SS. Evchariſtiæ commendandus. 2. Quando pecuniâ aut aliâ quâpiam re indigemus, ubi frequentia orationis in templo commendanda. 3. Quando pluviæ ingruunt, ubi recurſus ad DEVM in tribulationibus perſuadendus. 4. Quando Hoſtis inſidiatur; ubi orationum jaculatoriarum creber uſus inculcandus, & harum precum utilitas & efficacia oſtendenda. 5. Quando quieſcere, ſomnóque vacare volumus. Ubi precum Veſperi perſolvendarum conſuetudo pia commendanda. Excitandi proinde Auditores, ut ob hos fines diligenter templa frequentent, & à variis inſolentijs in Eccleſia committi frequenter ſolitis diligenter abſtineant, ne & ipſi audire cogantur: *Domus mea domus orationis eſt; vos autem feciſtis illam Speluncam Latronum.*

IV. Poſſet oſtendi, quomodo Templum variarum Domuum officia finésque contineat. Et 1. quidem, quomodo ſit *Domus Orationis*, ein Betthauß / ut meminerimus, quod potiſ-

potissimum sit officium nostrum, quando Templum frequentamus, scilicet orationi & colloquio cum DEO vacare, unde ante fores Templi dicendum omnibus curis: *Sedete hîc, & requiescite, donec vadam illuc, & orem.* 2. Quomodo sit *Domus annonaria*, **ein Proviantthauß** / ubi præstantissima annona SS. Eucharistiæ & Verbi divini asservatur & communicatur, ad quam proinde diligenter suo tempore petendam animandi sunt Auditores. 3. Quomodo sit *Domus Vigiliarum*, **ein Wachthauß**/ubi ipse Christus vigilat,& contra Hostes defendit; unde tempore tentationum maximè ad hanc Domum confugiendum, auxiliúmque adversus Hostes petendum. 4. Quomodo sit *Domus infirmorum*, **ein Lazarethauß**/ ubi virtus exit de Christo, & sanat omnes. Unde meritò freqnenter suas huic Medico infirmitates & vulnera aperire deberent. 5. Quomodo sit *Domus consilii*, **ein Rahthauß** / ubi vel maximè de Christo ibidem consilia suggerente sibi quisque dictum existimare deberet illud Siracidis c. 6. *Multi pacifici sint tibi, & Consiliarius sit tibi unus de mille.* Sicut Moyses semper recursum habuit ad Tabernaculum pro dubiis & quæstionibus solvendis, fugítque ad orationis adjutorium pro periculis & improbitatibus hominum solvendis, ut loquitur Thomas Kemp. l. 3. c. 38. 6. Quomodo sit *Domus recreationis*, **ein Lusthauß**/ ubi delitiæ Christi sunt esse cum Filiis Hominum; quidni & vicissim Hominis deliciæ sint esse cum Christo, & suavissimè cum ipso conversari, imò & epulari? 7. Quomodo sit *Domus Habitationis*, **ein Wohnhauß** / & Palatium summi Regis Christi, atque adeò illuc frequenter nos comparere, Regi nostro servire, variáque ab eo gratias ac dona petere, & exspectare deceat. Quæ omnia facilè ex natura & fine istarum diversarum domuum fusiùs diduci possunt.

V. Posset ostendi, quomodo in templo dignè versari, atque adeò finem, ob quem Templa instituta sunt, obtinere possimus, nimirum si bene discamus, & exerceamus artem orandi, quæ proinde doceatur, dicatúrque, eam tribus præceptis comprehendi, quorum primum est, ut magnifiat Oratio juxta illud S. Augustini: *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* ubi alia quoque motiva ad hanc æstimationem ingenerandam conducentia proponi possunt. Alterum est, ut omnes vires & industriæ adhibeantur in oratione ritè peragenda;

genda; si enim S. David 1. Paral. 29. de seipso dixit: *Totis viribus præparavi impensas domus DEI mei; neque enim Homini præparatur habitatio, sed DEO.* quantò magis totæ vires in ipsam orationem, propter quam templum ædificatum est, impendendæ erunt, atque adeò ejusdem Davidis Ps. 46. monitum observandum: *Psallite DEO nostro, psallite: Psallite Regi nostro, psallite: Psallite sapienter.* ubi voce *Psallite* quinquies repetita insinuat psallendum esse per linguam distinctè: per memoriam *attentè*: per intellectum *intelligenter*: per voluntatem *ardenter*: per corpus *reverenter*. Tertium est, ut Christi monitum Discipulis datum: *Vigilate, & orate*: diligenter observetur, atque adeò adversus omnes tentationes & illusiones Dæmonis orationem impedire molientis accurata vigilia instituatur, præcipuè contra illam tentationem, quâ persuadere conatur, ad nihil utilem esse orationem, eò quòd perrarò id, quod petitur, impetretur; cui proinde tentationi ut faciliùs occurrant Auditores, afferantur causæ, cur DEUS non exaudiat; nempe quia vel impedimentum ipsi ponimus, opponendo nubem peccati mortalis, ne transeat oratio: Vel quia malè petimus, ut in peccatis nostris consumamus: Vel quia tardiùs dando commendare vult DEUS dona sua, non negare. Claudatur concio illis Apostoli ad Philipp. 4. verbis: *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, & observatione, & gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud DEVM &c.*

VI. Posset alio modo modus dignè conversandi in templo declarari, ostendendo scilicet, & quid ad orationem in communi requiratur, & quàm varii modi orandi à variis adhiberi possint. Dicat proin Concionator in exordio, antiquam esse consuetudinem, ut in Festo Dedicationis variæ res venales proponantur, & unus Amicus alteri donum aliquod Encæniale (ein Kirchweyhschanckung) offerat. Hunc proinde morem & se servaturum, eúmque in finem emisse libellum precatorium, sex tantùm folijs constantem, in quibus tamen tota ars precandi contineatur, & in quo omnes inveniantur preces pro se aptissimas. Libellum autem hunc esse 1. nigra pelle de Corio Cordubensi (von Cordabon) vestitum, quâ humilitas in oratione tenenda significatur; nam *Oratio humiliantis se penetrabit nubes*, teste Siracide Eccl. 35. & denuo propu-

propinquet, non consolabitur; & non recedet, donec respiciat Altissimus. 2. Auro illitum, ad charitatem, & gratiam significandam, sine qua inefficax est omnis oratio, cùm Peccatores DEUS non exaudiat, teste S. Joanne 4. c. 3. Argenteis clausuris præditum, ad significandam puritatem & fiduciam, quæ ex ea oritur juxta illud 1. Joan. 3. *Charissimi, si cor nostrum non reprehendat nos, fiduciam habemus ad DEVM, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* 4. In una facie operculi Christum ex auro efformatum esse, quasi libellum offerentem, in quo hæc verba notata sunt: *Petite, & accipietis*: seu germanicè: **Allein was von jhm begehrt/ der gütig GOtt den Menschen bschert.** quibus verbis necessitas orationis ostenditur. In altera facie expressum esse sanctum, cujus honori Templum hoc ædificatum est, habentem librum in pectore, cum hac inscriptione: *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* seu Germanicè:

Sein leben wird recht stellen an/
Der wohl vnd eyferig betten kan.

Post hæc varij modi orandi proponantur. Et in primo quidem folio dicatur, depictum esse Isaacum in agro meditantem cum hac inscriptione supra imaginem posita: *Egressus fuerat ad meditandum in agro.* Gen. 24. Infra autem: *In Meditatione mea exardescet ignis.* Per quæ verba primus modus orandi, Religiosis maximè conveniens indicatur, de cujus utilitate & praxi breviter aliquid dicendum erit. In secundo folio dicatur pictus David cum Cythara, & hac inscriptione: Supra: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Ps. 137. Infra: *Psallite Regi nostro, psallite: Psallite DEO nostro, psallite. Psallite sapienter*: per quæ verba oratio vocalis longior Clericis speciatim conveniens indicatur, & per verbum *Psallite* quinquies repetitum conditiones quinque ad orationem talem requisitæ (de quibus in priori §. dictum) innuuntur. In tertio folio dicatur depicta honesta Virgo sagittam ex corde emittens cum hac inscriptione: *Acuite sagittas, parate pharetras.* Jer. 57. Infra: *Orantes nolite multùm loqui.* Matt. 6. quibus verbis indicatur tertius modus orandi per preces jaculatorias tantopere à SS. Patribus commendatus propter fervorem, attentionem, & dispositionem majorem. Et hic modus laboriosis & occupatis Hominibus maximè convenit.

in quar-

In quarto folio depictus dicatur Daniel Propheta in cœlum suspiciens, & suspirans cum hac inscriptione: Supra: Ne timere, *vir desideriorum.* Dan. 10. Infra: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Ps. 10. ubi modus orandi valde efficax per desideria indicatur, quia *coronat DEVS voluntatem ubi non invenit facultatem*, teste S. Augustino. Et hic modus simplicibus hominibus est singulariter suadendus. In quinto depictus dicatur Organœdus organum pulsans cum hac inscriptione: *Laudate eum in chordis & organo.* Ps. 150. Infra: *Qui conservat legem, multiplicat orationem*: quibus verbis significatur modus orandi per opera obedientiæ diligenter peracta, hominibus quacunque ratione ab orando impeditis perquam accommodatus, de quo locutus est S. Augustinus in Ps. 150. dicens: *Vis semper laudare DEVM? benefac omnia, quæ facis, & laudásti DEVM.* In Sexto denique erit Pueri in fornace Babylonica depicti dicantur cum hac inscriptione: Supra: *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Dan. 3. Infra: *Benedicite Filii Hominum Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula.* In quo folio significatur modus orandi omnibus communis per creaturas, S. Antonio familiaris, ut qui mundum dicebat esse magnum librum, in quo universi homines copiosam meditandi materiam inveniant. Qui omnes sex modi orandi fusiùs explicari & commendari poterunt.

VII. Posset ostendi, quomodo Ecclesia sit Cœlo similis juxta illud S. Nili Episcopi: *Ecclesiam ut cœlum adi.* Id verò probari poterit 1. ex eo, quòd DEVS in Templo perinde vere habitet, sicut in cœlo juxta cap. 28. Gen. *Verè Dominus est in loco isto. Quàm terribilis est locus iste; non est hic aliud, nisi domus DEI, & porta cœli.* 2. Quia in templo perinde laudatur assiduè DEVS, ac in cœlo, unde & Angeli sæpe visi sunt Orantibus se miscuisse, atque ad laudes DEI debitâ cum reverentia canendas incitâsse. 3. Quia sicut in cœlo perpetua quies & lætitia reperitur; ita in Templo quoque solida & constans ex DEI consortio & alloquio consolatio percipitur. Hinc idem S. Nilus rectè monet, nihil agendum aut loquendum in templo, quod terram sapiat. Videatur Faber in Auctario in Festo SS. Philippi & Jacobi. them. 4.

VIII. Possent proponi & castigari abusus in Dedica-

tione

tione Templi committi soliti, & demonstrari, quòd, si experientia consulatur, magis Festum Diaboli, quàm DEI esse comperiatur. 1. Quia Templum DEI, id est, animas quàm plurimi Baccho & Veneri consecrant. 2. Quia loco Templi frequentantur Hospitia, & loco orationis & concionis vacatur lusibus, compotationibus, & colloquiis parùm honestis. 3. Quia loco interioris renovationis renovantur mala propositа peccandi, & omnes alias absurditates, & fraudes committendi. Ut verò à talibus abusibus tantò diligentiùs abstineant, ostendatur, quantam ex talibus abusibus injuriam DEO, & quanta damna sibi ipsis & aliis creent.

§. III.

Quomodo ex occasione Dedicationis alia doctrina Auditoribus inculcari possit.

Thema.

Hodie salus facta est huic domui. Luc. 19.

Scopus.

Ars bene & Christianè administrandi Familiam (die Kunst wohl zu hausen) docenda.

Syllogismus principalis.

Illa ars studiosè est addiscenda, à qua totius domus salus dependet; Atqui talis ars est ars bene administrandi Familiam; Ergo hæc studiosè est addiscenda.

EXORDIUM.

Si hodie mihi Auditorum meorum corda inspicere, eorúmque desideria examinare liceret, non dubito, quin multos in hæc vel similia suspiria erupturos adverterem: O si & ego aliquando tam fortunatus essem, ut Christus apud me diverteret, efficacitérque mihi perinde, ac olim Zachæo, diceret: *Hodie salus facta est huic domui.* Tunc enimverò lætus Dedicationem celebrarem. Nunc verò quâ ratione festivitatem hodiernam cum lætitia celebrabo, qui, quod rodam, domi non habeo: qui rem meam familiarem in dies peius administrari adverto: qui nihil nisi miseriam, inopiam, discordiam,

cordiam, & angustiam domi meæ invenio. O utinam tandem adesset finis malorum! utinam veniret, qui benedictionem domui meæ afferret! ita, inquam, non pauços hodie suspiraturos, miseriámque suam deploraturos existimo, si singulorum corda inspicere liceret. Quorum proin commiseratione tactus, viam ipsis ostendam, quâ ratione non tantùm ab inopia, miseriáque liberari, sed etiam copiosam à DEO benedictionem impetrare queant. Verbo, docebo vos artem, quam omnes discere, sciréque utpote summè necessariam desideratis, artem scilicet bene & Christianè rem familiarem administrandi, taliáque præscribam præcepta, quæ si diligenter atque constanter observaveritis, certò vobis polliceor, adeò prosperè vobis cessura omnia, ut cum veritate dici de domo vestra possit: *Hodie salus facta est huic domui.* Quantò majorem itaque ex hac concione fructum, consolationémque sperare jure merito potestis, tantò magis benevolas, attentásque aures dicenti mihi vos præbituros confido.

Pars Prima.

Quinque potissimùm præcepta reperio, sine quibus difficulter res familiaris bene administrari, & optata à DEO benedictio obtineri potest.

Primum in ijs Christi Servatoris nostri verbis continetur: *Reddite, quæ sunt DEI, DEO.* Luc. 20. seu in illis: *Quærite primùm regnum DEI.* Matt. 6. Quibus verbis nihil aliud significare volo, quàm quòd ante omnia vobis connitendum sit, ut DEUM debito modo colatis, id est, ut firmiter credatis, ipsum in omnibus, quæ dixit & promisit, esse summè veracem & fidelem: ut firmiter quoque speretis, eum, quod promisit, præstiturum, atque adeò non æternam duntaxat felicitatem, si bene vixeritis, concessurum, sed etiam in hac vita omnia ad sustentationem necessaria liberaliter subministraturum: ut sincerè eum diligatis, voluntatem vestram cum illius voluntate in omnibus conformantes: ut denique suis temporibus ei per veram religionem seu per adorationem, invocationem, laudationem, sacrificii oblationem, in auditione Missæ, Sacramentorum usu, debitum obsequium præstetis, & velut supremum vitæ, necísque vestræ Dominum & Authorem agnoscatis. Hunc itaque cultum ante omnia ajo dili-

diligentissimè reddendum, quia sine eo nullum in re familiari & laboribus vestris successum ac benedictionem sperare potestis; verissimum enim est, quod jam pridem S. David Ps. 126. pronunciavit: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Nos enim laborare quidem, plantare, rigare possumus, sed nisi DEUS incrementum dederit, omnia frustranea erunt. Quò ergo liberaliùs nos huic DEO cultum exhibuerimus, tantò is quoque largiùs nobis necessaria alimenta subministrabit, uti manifestè Ecclesia indicat, dum in Hymno Festi Corporis Christi canit: *Sicnes tu visita, sicut te colimus.* Et ipse quoque Christus Luc. 6. confirmavit dicens: *Quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis.* Atque hæc videlicet causa est, cur multi tam exiguam in rebus temporalibus benedictionem experiantur, quia scilicet parcè DEO suum cultum exhibent. Hinc audire coguntur, quod olim DEUS Israëlitis per Prophetam Aggæum c. 1. dixit: *Seminâstis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregavit, misit eas in sæculum pertusum. Quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, & vos festinâstis unusquisque in domum suam.* Examinate vos ipsos, & quærite, cur tam rarò templa frequentetis? cur tam rarò Missam diebus feriatis audiatis? cur precibus tam parùm vacetis? an non hanc unicam propè causam reddetis: non habemus tempus: laboribus, non precibus nunc vacare oportet? an non autem hoc est domum DEI deserere? an non hoc est festinare in domum suam, id est, viribus & conatibus suis plùs, quàm DEI auxilio confidere? Ah erratis, dilectissimi Auditores, ah graviter erratis. Nescitis, quinam sint optimi redditus domus vestræ. Hæc verba: *Quærite primùm regnum DEI.* hæc, inquam, verba sunt optimæ literæ censuales, quæ nihil vobis deesse patiuntur. Has si habueritis, confidenter cum S. Davide Ps. 22. dicere poteritis: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocabit.* Si enim vos, cùm sitis mali, nihil deesse patimini Famulis, imò & jumentis vestris fideliter servientibus, an putatis, liberalissimum & potentissimum DEUM passurum, ut ijs, qui fidele ipsi servitium præstant, contra promissionem tam certam, totiésque repeti-

tam, necessaria alimenta non subministrentur? absit, ut tam abjectam & indignam de summa illius bonitate opinionem concipiamus. Aliter nos instruxerunt Majores nostri, quibus certissima ac infallibilis erat regula & axioma: **Wann wir thäten/ was wir solten/ hätten wir allzeit / was wir wolten.** Iterum: **Kirchen gehen versaumet nicht: Allmusen geben versaumet nicht: Ungerecht Gut bereichet nicht.** Atque ut veritatem horum axiomatum ipsi quoque agnoscatis, audite memorabile exemplum, quod Surius in vita S. Joannis Eleemosinarij narrat: Duo quidam Opifices eandem Artem factitabant, quorum alter Uxorem, Liberos, servos pulchrè alebat, imò rem familiarem quotidie augebat, DEO pietatem ejus, qui omnibus posthabitis Missam quotidie audiebat, evidenter remunerante; alter contrà rarissimus Missæ Auditor, quamvis prole, omníque Familia careret, quamvis diebus etiam Festis, noctibúsque laboraret, se tamen & Uxorem ægrè tolerans, cum extrema egestate perpetuò colluctabatur. Ergo tam prosperum illius alterius successum admirans, eidem quâdam die obvius factus, quærit, quo medio tandem uteretur, ad tam felicem laboribus suis successum obtinendum? cui alter respondet: Cras tibi ostendam locum, ex quo tam copiosa mihi benedictio ac lucrum obtingit. Postero itaque die, summo manè, eum ad Templum secum deducit, ibíque audito sacro, domum redire ad labores jubet. Mane altero idem facit. Cúmque tertio etiam die idipsum facere pararet, impatiens alter, equidem si de Templo adeundo agitur, viam scio, nec duce opus est; locum verò, ex quo lucra tua haurias, quem te ostensurum promiseras, hunc enim vera demonstra. Hîc iste: Sanè, inquit, locum, ubi & victum corporis, & vitæ æternæ conquirere oporteat, præter Templum, scio nullum. Nisi fortè ignotum tibi sit Domini promissum: *Quærite primùm regnum DEI, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Intellecto itaque tandem mysterio, miser ille suam, quâ tamdiu laborârat, rei divinæ incuriam detestatus, ad frugem seriò redijt, audiénsque exinde Missam quotidie, felicem deinceps laborum suorum successum similiter ei expertus. Et vos ergo, quicunque hactenus simili errori obnoxij vixistis, cum hoc Opifice resipiscite; discite, quæ sunt DEI, DEO liberaliter reddere, ut ille quoque, quod promisit,

libera-

liberaliter largiatur, sic intrepidè cum Tobia seniore ad Liberos & Domesticos vestros dicere poteritis: Filij mei, *Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus DEVM, & fecerimus bene.*

Pars Secunda.

Alterum præceptum est: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, id est, unicuique homini id, quod ex Justitia debetis. ita enim & ipse Christus in sententia priori puncto ex S. Matthæo citata indicavit, dum dixit: Quærite primùm regnum DEI, & *justitiam* ejus; ubi meritò justitiam cum regno DEI, id est, cum cultu, quem DEO debemus, conjungit, quia DEVM verè diligere, coleréque non potest, qui non perinde etiam Proximum, velut DEI imaginem diligit, colítque, uti sat clarè S. Joannes Apostolus 1. Joan. 4. indicavit, dum dixit: *Si quis dixerit, quoniam diligo DEVM, & Fratrem suum odit, mendax est; qui enim non diligit Fratrem suum, quem videt, DEVM, quem non videt, quomodo diligere potest? & hoc mandatum habemus à DEO, ut, qui diligit DEVM, diligat & Frasrem suum.* Porro diligere Proximum non censetur, qui justitiam non observat, & non cuique jus suum tribuit; cùm enim DEUS pro regula dilectionis Fraternæ amorem, quo quisque homo seipsum diligit, obtulerit dicens: *Diliges Proximum tuum sicut teipsum*: Matt. 22. c. Amor autem hic, quo nos ipsos diligimus, vel maximè nos impellat, ut cupiamus ab alijs non tantùm jura & bona nostra, quæ jam actu possidemus, intacta & inviolata servari, sed etiam, ut ea, quæ adhuc ab alijs ex justitia debentur, fideliter & promptè tribuantur, facilè apparet, diligere Proximum censeri non posse, qui Justitiam non observat. Et hoc videlicet est præceptum illud, à quo non modica quoque benedictio, quam in bonis temporalibus obtinere cupimus, dependet, uti jam olim DEUS in diversis S. Scripturæ locis indicavit. Hinc Eccl. 11. Siracides ait: *Benedictio DEI in mercedem Iusti festinat, & in honore velocì processus illius fructificat.* Et clariùs Sap. 8. c. *Si iustitiam quis diligit, labores huius magnam habent virtutem.* Quia, ut idem Prov. 3. c. ait, *egestas à Domino in domo impii; habitacula autem Iustorum benedicentur.* Cujus quidem benedictionis gemina causa assignari potest, una ex parte DEI, altera ex parte

proximi. Prior est, quòd homo Justitiam amans hocipso, quòd aliena bona non invadat, sed suis contentus sit, satclarum præbeat indicium, quòd omnem suam fiduciam in DEO, qui servis suis deesse nihil patitur, collocârit; sicut è contrario, qui justitiam violat, & per fas, nefásque aliena bona invadit, manifestum præbet argumentum, quòd non in DEO, sed in suis viribus & industriis confidat; unde cùmDEO nihil magis placeat, quàm si Homo omnem suam fiduciam in ipso ponat; nihil autem ex opposito magis ipsi displiceat, quàm si hæc ei confidentia negetur, meritò talibus Justitiæ amatoribus in bonitate sua confidentibus benedictionem suam liberaliter largitur, eandémque negat illis, qui per injustitiam sibi ipsis providere satagunt.

Posterior causa ex parte Proximi non minùs efficax ad benedictionem obtinendam est hæc, quòd DEUS sæpe promiserit, dixerítque, eâdem mensurâ, quâ alijs dilectionem mensurabimus,nobis quoque remensum iri; cùm ergo per justitiam liberaliter alijs, tum bona jam possessa relinquamus,& gratulemur; tum nova, quæ debemus, tribuamus, æquum est, ut viciſſim DEUS bona nostra custodiat, & nova largiatur, ut qui jam pridem dixerit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Atque hæc videlicet gemina causa est, quòd multi tam exiguam benedictionem in rebus temporalibus experiantur,quia scilicet Justitiæ curam non habent,quia Superioribus suis debitum canonem, tributa, aut vectigalia,aut decimas non fideliter persolvunt: Quia in emptione & venditione alios defraudant: pro laboribus suis nimium salarium exigunt,aut mercedem ipsi alijs non statim & integrè tribuunt. hæc, inquam, causa est, cur DEUS & nova illis bona largiri negligat, & ea, quæ habent, iterum per similes fraudes aut alias injustitiæ species auferri permittat. Id quod peraptâ fabellâ nonnemo explicavit, dum dixit,lupum aliquando fuisse, qui advertens Rusticum quendam multas, eásque sat pingues oves possidere, ad quastamẽ sibi aditus undiq; occlusus sit, astu circumveniendum ratus,ovinam pellem,quam quondam ovi cuipiam detraxerat, induit, & circa noctem ante Ovium ad Rusticum pertinentium stabulum sterit, & quasi admitti pariter in stabulum peteret, ficto balatu indicavit. Rusticus audito clamore accelerans, etsi bene ex certi signi

caren-

carentia adverteret, ovem hanc suam non esse, quia tamen satis grandem & pinguem esse viderat, non modicũ ex illa sibi vendicata lucrum accessurum existimans, januam stabuli aperuit, ovémque alienam suis ovibus aggregavit. Quid fit? Manè stabulum ingrediens, videt aliquot oves fœdè laceratas & interemptas, nec tamen causam aut Authorem cognoscere potest. Idem sequenti, idem tertio die deprehendit, quousque pleræque oves absumptæ fuerunt; tum demum suspicari incipiens, ne nocturni Fures stabulum ingressi, ejusmodi stragem in ovibus fecissent, vigilare noctu cum Famulis statuit, & ex insidijs, quid agatur, observare; cúmque circa medium noctis advertisset, grandiorem illam furto sublatam ovem alias invadere, & lacerare, accurrit cum Famulis, &, dum dictam ovem alienam accuratiùs intuetur, & mactat, lupum sub ovina pelle latentem, & ex ea damnorum suorum præteritorum Authorem deprehendit. Per hanc fabellam aptissimè sanè ostenditur, quàm verè dictum sit à Salomone Prov. 16. *Melius est parùm cum justitia, quàm multi fructus cum iniquitate.* Verè enim obolus ille seu alia res, quam injustè possidemus, lupus talis est, ex cujus aggregatione aliquod quidem lucrum rebus nostris accessisse existimamus, sed revera plùs damni patiemur, quia hic ipse obolus paulatim alios devorabit, donec vix ullus ampliùs in marsupio reperiatur. Quisquis ergo veram benedictionem à DEO obtinere cupit, justitiam amet, cuique jus suum tribuat, & relinquat, & consilium Siracidis c. 4. observet dicentis: *Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia, & DEVS expugnabit pro te inimicos tuos*, damna in Fortunis tuis inferre molientes, & habitaculum tuum benedicet.

Pars Tertia.

Tertium præceptum est: *Date, & dabitur*: ita enim jam olim iterum Christus monuit, & mox fructum copiosum, qui inde sperari potest, subjunxit, dum dixit: *Mensuram bonam, confertam, coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Nimirum, ut sapienter S. Augustinus s. 25. de verbis Domini advertit, *Fecundus est ager pauperum, citò reddit donantibus fructum*, nec simplicem duntaxat, sed trigesimum, sexagesimum, centesimum, ut agri semen sibi communica-

tum recompensare solent. Cujus ulterior ratio est, quia, quod pauperi datur, DEO datur; DEUS autem, cùm sit Zelator gloriæ & honoris sui, non patitur se liberalitate vinci ab homine, sed quidquid ab homine per pauperes accipit, id omne statim multiplici fœnore compensat, ut pulchrè S. Gregorius in reg. indicavit, dum dixit: *Quidquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum, quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur.* Atque hæc videlicet iterum causa est, cur multi tam exiguam à Deo in fortunis suis benedictionem accipiant, quia scilicet & ipsi exiguam misericordiam proximo, & per hunc etiam exiguam liberalitatem erga DEUM ostendunt. Fixa est enim apud DEUM regula à S. Paulo 2. Cor. 9. indicata: *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* In cujus veritatis confirmationem innumera possem exempla afferre, sed unicum sufficiet, quod Cæsarius l. 4 c. 68. sequentibus verbis refert: Abbas quidam, ut puto, de ordine nigro, sicut ex relatione cujusdam Abbatis Ordinis nostri didici, hospitalis erat valde, & circa pauperes multùm misericors; & quia in operibus misericordiæ fervens fuit, tales Dispensatores domui ordinare studuit, qui non ejus fervorem impedirent, sed magis incenderent. Quantò plures Hospites suscepit, quantò plus charitatis pauperibus exhibuit, tantò illi & domui ejus Dominus ampliùs benedixit. Post ejus mortem Successor ejus stimulatus avaritiâ, pietatis Officialibus amotis, & eis, quos tenaciores noverat, institutis, ait: Prædecessor meus nimis erat dapsilis, & indiscretus, ejus Officiales nimis prodigi, sic ordinare debemus expensas Monasterii atque temperare, ut fortè seges nostra grandinata fuerit, & tempora cara emerserint, habeamus, unde pauperibus subveniamus. Hujusmodi verbis avaritiam suam pallians hospitalitatem prorsus exclusit, & consueta beneficia pauperibus subtraxit: charitate subtractâ proficere non potuit Monasterij substantia, imò in brevi ad tantam devenerunt paupertatem, ut vix haberent, quod Fratres manducarent. Die quâdam vir quidam venerandæ Canitiei venit ad Portarium, quæsivítque hospitium, quem ille quidem clanculò & cum timore collegit, atque hospitalitatis officia pro posse & tempore illi exhibens adjecit:

Non

Non te scandalizare debet, bone vir, quòd tam negligenter te procuro, quia necessitas in causa est. Aliquando vidi talem statum hujus Monasterij, ut, si venisset Episcopus, cum magna charitate & abundantia fuisset susceptus. Et ille: Duo Fratres expulsi sunt de isto Monasterio, nisi illi fuerint reversi, nunquam bonus erit Status ejus. Unus eorum vocatur *Date*, & *Dabitur vobis* vocatur alter, sicque ab oculis ejus recessit. Portarius autem, cùm esset Clericus, nomina eorum retinuit, & Abbati ac Fratribus audita recitavit. Resumpta est hospitalitas, & cœpit mox Dominus ei benedicere, ut priùs. Ecce ergo, quàm verè dictum sit à Salomone Prov. 11. *Alii dividunt, & ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Ut itaque & vos liberaliorem erga vos deinceps DEUM experiamini, Consilium Tobiæ Senioris c. 4. audite: *Quantùm potueris, esto misericors. Si multùm tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude; præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.*

Pars Quarta.

Quartum præceptum illis Christi verbis Matt. 12. c. propositis continetur: *Omne regnum divisum contra se desolabitur: & omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit:* Quâ sententia indicare volo, ad prosperum rei familiaris successum obtinendum nihil magis necessarium, imò & expediens esse, quàm concordiam Domesticorum. Ita enim jam olim Majores nostri communi proverbio suo indicârunt, quando dixerunt: *Concordia res parva crescunt, discordiâ maximè dilabuntur.* Hoc est, **durch Einigkeit man Segen find/ durch Zanck auch grosses Guth verschwind.** Id quod ingenioso facto Scilurus Rex Scytharum Filiis suis octoginta, quos habebat, declaravit. Cùm enim in extremo morbo constitutus brevi moriturum se crederet, omnes Filios ad se vocari, & fasciculum ex octoginta Sagittis colligatis confectum Afferri jussit; quod ubi factum est, singulis Filiis descriptum fasciculum obtulit, atque, ut eum frangerent, præcepit. Quod cùm nullus potuisset, mox fasciculus, ut Solveretur, mandavit, & cuivis ex Filiis unam sagittam frangendam dedit, quod cùm illi facili conatu præstitissent, hanc memorabilem illis

doctrinam reliquit: Sic vobiscum se res habebit, ô Fili quamdiu per vinculum charitatis & cõcordiæ conjuncti manebitis, invicti eritis, quia nemo virtutem vestram, robúrque frangere poterit; quamprimum verò per discordiam dissoluti, sua quisque commoda sectabimini, imbecilles eritis, & obvio cuique hosti succumbetis. Ita non verè minùs, quàm sapienter Scilurus; & verò ipsa quotidiana experientia satis confirmat. Quando enim major rerum omnium abundantia reperitur quàm pacis tempore; è contrario verò ubi major miseria & inopia, quàm ubi bella & lites vigent? Sicut autem se res habet in tota aliqua Regione aut Provincia, ita quoque se habet in quacunque domo privata; ubi enim Maritus cum uxore, Pater familias cum Famulis & Ancillis, Fratres cum Sororibus discordes sunt, nil nisi furta, negligentiæ, rixæ, & quotidiana damna timenda sunt. Cujus ulterior & fundamentalis ratio hæc est, quod DEUS sit quasi cor & anima domus à qua omnis influxus & benedictio sperari & peti debet; quemadmodum ergo anima non animat, & nutrit illa membra, quæ inter se & cum corpore unita non sunt, ita nec DEUS illis Domesticis, qui per concordiam convincti non sunt, suam benedictionem & necessaria alimenta subministrat. Hinc per Siracidem c. 25. apertè dixit: *In tribus bene placitum est Spiritui meo, quæ sunt probata coram DEO & hominibus. Concordia Fratrum, amor Proximorum* (id est Æmulorum & Ancillarum) *Et vir & mulier* (seu Conjuges) *bene sibi consentientes.* Omnes ergo sibi Saluberrimam S. Pauli Philipp. 2. adhortationem applicent: *Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua Societas Spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum* (imò & vestrum) *ut idem sapiatis, eandem charitatẽ habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, néque per inanem gloriam, sed in humilitate Superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum.* Fateor, difficile non rarò accidere, tam graves & discolos aliorum mores portare, sed charitas omnia suffert, omnia sustinet, maximè si etiam voluntas & mandatum Christi in memoria habeatur; tunc enim meritò iterum S. Paulus nos hortatur Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, & ab eo velut capite copiosum influxum & benedictionem obtinebitis.

Pars

Pars Quinta.

Quintum & ultimum præceptum Amicus quidam Vicino suo obtulit, dum eundem pessimè rem familiarem administrare, atque adeò jam ferè depauperari videns, pyxidem ei obtulit, jussítque, ut quotidie in omnes domus suæ partes circumferret, non tamen priùs aperiret, quàm facultatem ipse dedisset. Quod cùm ipse quotidie sedulò fecisset, ubique multas à Domesticis negligentias committi advertens, mox eos reprehendere, bonásque leges præscribere cœpit. Quibus industriis cùm iterum bona sua augeri adverteret, virtutem hanc pyxidi insertam existimans, licèt necdum data facultate aperuit, & hanc in Schedula quâdam sententiam descriptam vidit: **Willst/ daß dir dein Sach wohl geling: schau all Tag fleissig zu deim Ding.** Ex quibus verbis ille facilè errorem suum agnovit, & post gratias Amico actas ob tam salubre consilium, seriò deinceps illud executus est, brevíque antiquas divitias recuperavit. Atque hoc est præceptum, quod quinto loco à vobis quoque observari cupio, ut scilicet ita in DEI auxilio speretis, ut tamen etiam eas industrias & conatus, qui ex vestra parte requiruntur, non negligatis. nam antiquum est Germanorum proverbium. **Hilff dir/ O Mensch/ so hilfft dir GOtt auch.** Quod etiam Sequenti tabella non malè confirmârunt, dum ajunt, Rusticellum quendam fuisse, qui, cùm in luto cum equis suis hæsisset, & assiduò Herculis opem inclamâsset, responsum ab Hercule de cœlo acceperit: Age, tu prior manum admove, & pòst opem ab Hercule exspecta. Idem & nobis dicitur: Vis, ô Paterfamilias ut DEUS tibi in re tua familiari promovenda adsit, tu priùs age tuum officium, visita frequenter officinas domus tuæ, distribue diligenter & prudenter labores, corrige, quæ corrigenda sunt, labora & ipse, ac cooperare, prout vires & statûs tui conditio requirit, & tum DEI assistentiam exspecta. Vis & tu, ô Materfamilias, benedictionem domui tuæ conciliare, imitare exemplum Mulieris fortis & Sapientis, de qua Salomon prov. 31. dixit: *Consideravit semitas domûs suæ, & panem otiosa non comedit. Quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum. Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus appre-*

apprehenderunt fusum. Non timebit domus suæ à frigoribus nivis; Omnes enim Domestici eius vestiti sunt duplicibus. Hinc surrexerunt Filii eius, & beatissimam prædicaverunt: vir eius & laudavit eam. Multæ Filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Hoc, inquam, exemplum imitare, o Materfamilias, & similem tu, quoque à DEO benedictionem similem à Domesticis laudem tibi pollicere.

Epilogus.

Atque hæc sunt quinque præcepta, quæ ad artem bene administrandi rem familiarem maximè opportuna, utiliáque mihi sunt visa; quæ proinde sicut speciali cum affectu vobis communicavi, ita speciali quoque diligentiâ à vobis observari desidero, certóque spondeo, quòd, quantò diligentiùs observaveritis, tantò majorem in temporalibus æquè ac Spiritualibus bonis benedictionem sitis obtenturi. Itaque claudo concionem, & illis Salomonis prov. 7. verbis vos adhortor: *Fili mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi: serva mandata mea, & vives,* dicetúrque cum veritate: *Hodie salus facta est huic domui.* Amen.

§. IV.

Alij Conceptus de eâdem materia.

1. Præter conceptum priori §. assignatum possent etiam Auditores ad convivium Spirituale invitari, atque adeò dicere posset Concionator, antiquam esse consuetudinem, ut in die Dedicationis unus Amicus alterum ad Convivium invitet; hunc proinde morem se quoque tantò libentius Servaturum, quantò præstantius convivium à Zachæo paratum pro Convivis suis reperiat, illud nempe de quo Christus Joh. 6. dixerit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.* Quod quidem quàm pretiosum sit convivium, se copiosiùs in præsenti concione demonstraturum. Pro propositione itaque narrare potest, quòd Norimbergæ quondam Vir quidam primarius convivium apparaverit, ex tribus mensis sibi superimpositis constructum, quarum prima solas fictulas epulas (Schaueſſen) continebat. Quibus cùm oculi satiati fuissent, illâ mensâ remotâ alia in eodem loco per machinas attollebatur.

batur, quæ meris solidis ferculis repletæ erat. Tandem & huic ablatæ tertia pretiosis bellariis instructa substituebatur. Huic ergo convivio probetur voluntas divina similis. 1. quia est similis *cibis fictitiis*; cùm etiam illam contemplari quidem & admirari, non autem tangere, id est, judicare liceat; sed potiùs semper & assiduò dicendum sit: *Justus es, Domine, & recta judicia tua.* quem in finem narrari potest exemplum primum aut secundum ex Spec. Exempl. V. Judicium DEI. 2. Quia est similis *cibis solidis*, nam perinde ut isti, satiat appetitum animæ: *nutrit* conservando vitam gratiæ: *augmentat* faciendo vehementer crescere, uti apparet in Abrahamo, B.V. Christo: *roborat*, ut in Christo iterum ad Montem Oliveti orante, in Abrahamo, Jobo patet. 3. Quia continet etiam bellaria, id est, singularem animo quietem & lætitiam conciliat; uti probari potest, tum per Salomonis testimonium Prov. 12. dicentis: *non contristabit justum, quidquid ei acciderit*: tum per exemplum Mendici semper lætantis apud Taulerum & Drexelium in Heliotrop. l. 2. c. 1. Invitentur proin Auditores ad frequentandum hoc convivium, debitósque ex illo fructus percipiendos.

II. Posset quoque aliud convivium instrui, illud scilicet, de quo Salomon Prov. 15. dixit: *Secura mens quasi juge convivium*: Ita ostendatur, quàm læti sint illi, qui habent bonam conscientiam. 1. *Ante mortem*: juxta illud Thomæ Kemp. l. 2. c. 6. *Si gaudium est in hoc mundo hoc utique possidet puri cordis homo*, seu bona conscientia. 2. *In morte*, juxta eundem l. 1. c. 25. dicentem: *Gaudebis semper vespere* (mortis tuæ) *si diem* (vitæ tuæ) *insumas fructuosè*. nam sicut vita, mors ita: & qualis sonus vitæ, talis Echo mortis. 3. *Post mortem*: quia tunc audiet illud Matth. 25. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui.*

III. Posset ostendi, quomodo perpetuam Dedicationem, id est, lætitiam habere quis possit per perfectam voluntatis suæ cum divina conformationem. Quem in finem servire potest totus Dialogus, quem S. Catharina senensis cum Christo instituit, in quo petivit à Christo, quomodo perpetuam pacem habere quis possit? & admonita est, quòd scilicet firmiter debeat credere, DEUM esse *potentissimum*, sine cujus voluntate

luntate nihil accidere possit: esse etiam *Sapientissimum*, q
sciat omnia, quæ videntur, mala, in bonum convertere, qu
etiam ut benignissimus seu optimus, qui proin etiam ve
ex malo semper bonum elicere. Quæ omnia fusiùs in D
logo citato videri, aut etiam iis, quæ Rodriq. p. 1. tr. 8. &
Drexelius in Heliotropio toto libro 1. & 2. disserit, dic
possunt.

IV. Posset ostendi, cur & quomodo Christum cum Z
chæo in Hospitio cordis sui quisque excipere debeat, vide
cet, quia habet omnes conditiones ad gratum Hospitem r
quisitas. Est enim 1. vir magnæ authoritatis & dignitat
2. Est pariter munificus & liberalis. 3. Est amantissimus so
rum Convivarum, nec eos dimissurus est, donec ipsi spon
recedant. Unde excipiendus est vicissim 1. *Hilariter*, sic
Zachæus ipsum gaudens excepit in domum suam. 2. *Libera
liter* juxta ejusdem Zachæi exemplum dicentis: *Ecce dim
dium bonorum meorum do pauperibus.* 3. *Stabiliter* ad exem
plum Sponsæ dicentis Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam.*

V. Possent varia præcepta inculcari, per quorum observa
tionem quilibet Homo salvari itáq; ei dici possit: Hodie salu
facta est huic, domui, qualia præcepta sequentia esse possun
1. *DEVM time*: juxta illud Davidis Ps. 33. *Quis est homo, qu
vult vitam, diligit dies videre bonos? declina à malo, & fa
bonum, inquire pacem, & persequere eam.* 2. *B. Virginem &
Sanctos cole*: Quia his cum veritate accommodari potest illud
Prov. 8. *Qui me invenerit inveniet vitam, & hauriet salutem a
Domino.* 3. *Dilige proximum tuum sicut teipsum*: quia ub
sunt duo vel tres Congregati in nomine Christi, ibi ipse es
in medio eorum, salutem utique operans. 4. *Defunctorum
miserere*: *Beati* enim, teste S. Augustino de serm. Dom. qu
*subveniunt miseris, quoniam eis rependitur, ut per misericordi
Dominum à miseria liberentur.* 5. *Patiens esto*: quia pe
multas tribulationes oportet introire in regnum DEI. A
hunc modum alia quoque præcepta excogitari & explicari
possunt.

VI. Possunt diversis Statibus Encœnialia dona (
Kirchweyhschenckung) offerri, v. g. 1. Clericis Breviarium
ut discant rectè orare. 2. Magistratui libra, ad quam sicut
cuique jus tribuant. 3. Maritis Pileus, ut studeant liberis
re

tem suam retinere, & uxoribus, aliisque Domesticis non nimis conniveant. 4. Uxoribus Speculum ludicrum, in quo turpis videatur etiam amœna alioqui facies, ut discant, pulchritudini corporali non nimis fidere, & majorem internæ pulchritudinis curam habeant. 5. Juvenibus pannus pro veste, ut discant multò magis animæ ornamenta, puta virtutes, scientias, urbanos mores, quàm corporis sectari, & quærere.

in

Caput V.

De Praxi Concionis in Patrocinio Templi instituendi.

Cùm de hac materia vixullus ex impressis Concionatoribus Conciones aliquas proposuerit; aliunde tamen compertum sit, non levem aliquos difficultatem sentire in ejusmodi Concionibus fructuosè, & ad ipsum etiam tempus accommodatè instituendis, ideo huic etiam difficultati leniendæ breviter Idea aliqua cum aliquot conceptibus ad conciones de eadem materia instituendos servientibus hoc capite proponetur.

Exemplar

Concionis de ipso Patrocinio instituendæ.

Thema.

Posui Custodes de habitatoribus Jerusalem, singulos per vices suas, & unumquemque contra domum suam. 2. Esaiæ 7.

Scopus.

Ostendendum, quomodo dies Patrocinij Templi fructuosè sit peragendus.

Syllogismus principalis.

Memoria magni beneficii est magno affectu & fervore celebranda; Atqui dies Patrocinii est memoria magni beneficii, ergo magna devotione & fervore quoque celebranda erit.

EXORDIUM.

Sapienter quidem ab Ecclesia institutum est, ut Singulis annis cujusque Templi Patrocinium celebraretur, sed non imme-

immeritò vereri quis videtur posse, paucos esse, qui intentum ab eâdem Matre nostra Ecclesia fructum referant. Si enim singulos, qui ejusmodi Patrocinio inter sunt, accuratius examinare liceret, deprehenderemus clarissimè, paucissimos esse, qui scirent, quid sit Patrocinium, quare institutum, aut quomodo fructuosè celebrandum sit. Quare ut vel hodie saltem à meis Auditoribus Patrocinium majori cum fervore ac fructu celebretur, hæc omnia tria capita paulò fusiùs explicabo, confidens, vos in Patroni hujus Templi honorem non omnes modò à me tradendas doctrinas cum magna attentione & aviditate excepturos, sed pari etiam studio & alacritate executioni mandaturos.

Pars Prior.

Atque ut à prima quæstione, nempe quid sit Patrocinium, initium faciam, ante omnia notandum est discrimen inter Dedicationem & Patrocinium, quæ à plurimis sanè, Germanis maximè, ob affinitatem nominis, pessimè confunduntur, & pro eodem habentur. Sciendum itaque, Dedicationem nihil aliud esse, quàm illum diem, quo memoria beneficij per templi consecrationem accepti solemniter peragitur in Ecclesia; Patrocinium verò esse illum diem, quo festiva memoria illius Sancti, in cujus honorem Ecclesia quæpiam exstructa, ejúsque tutelæ ac Patrocinio commissa est, Solemniter celebratur; à primo enim die, quo ædificata est quæpiam Ecclesia, & consecrata sub titulo ac invocatione talis Sancti, mox Patronus talis ac Sanctus curam, eámque quadruplicem gerere cœpit totius Parochiæ Ecclesiæ illi subjectæ. Et 1. quidem ipsius Templi, impetrando à DEO illis, qui templum tale frequentare solent, varias gratias, ut dignè in eodem conversari, id est, devotè orare, attentè conciones audire, Sacramenta fructuosè obire queant. 2. Curam suscepit Personarum ad illius Ecclesiæ Parochiam pertinentium, pro quibus ita vigilat, ut, quantùm est de se, dicere posse optet illud Christi Jo. 17. *Pater, cùm essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex eis periit, nisi Filius perditionis*, id est, qui Sponte perire voluit, & ad me non confugit. 3. Pecorum etiam curam suscepit, uti multi hactenus experti sunt, & quotidie experiuntur, si sincerè

certè ipsis auxilium imploraverunt ij, ad quos pertinent ejusmodi pecora. Unde devoti talis Patroni cultores quotidie sua pecora ipsi per certas preces commendare solent, certò sibi persuadentes, non alium meliorem, quàm hunc pecorum Custodem se eligere posse, utpote quem DEVS ipse illis assignârit. 4. denique ipsorum etiam Agrorum & Domorum curam & custodiam suscepit; hunc enim in finem Ecclesia in medio Agrorum vel domuum plerumque velut specula, ein Wachthauß ædificatur; in eundem etiam finem, si tempestas aliqua immineat, Campanæ templi pulsantur, ut illarum pulsus sint quasi voces, quibus Parochiani suum Patronum in auxilium vocent. Ad hæc officia obeunda sicut Patronus templi electus & constitutus est, ita à Parochianis quoque Ecclesia hoc beneficium grato animo voluit agnosci, & singulis annis festivam illius memoriam celebrari, atque hanc ipsam celebrationem Patrocinium appellari decrevit.

Pars Secunda.

Quia verò non cuivis notum est, quâ ratione hoc Festum celebrare, suæque adeò erga tantum Patronum obligationi vicissim satisfacere debeat, ideo hoc ipsum quoque breviter ostendo, ajóque, sequentia præcipuè officia præstanda. 1. Recolenda beneficia per totum annum ab eo collata, gratiæque convenientes, quà verbis, quà operibus agendæ; quod quidem utrumque aptissimè præstabitis, si templum studiosè frequentetis, per varias preces cum magna attentione & fervore persolutas DEUM & sanctum Patronum dignè collaudetis, & ipsa denique SS. Evchariſtiæ & Pœnitentiæ Sacramenta actualiter, aut, si hoc fieri ob graves causas non possit, spiritualiter saltem per ardens desiderium ea suscipiendi, religiosè suscipiatis. Certè si unquam aliàs, hoc die maximè decens est, ut præmissâ confessione ad sacram mensam accedatis; nam aliorum quidem Sanctorum Festa ob communia vobis & aliis hominibus exhibita beneficia communi etiam titulo duntaxat ad festivam celebrationem invitant; hoc autem Festum, sicut specialia, & vobis solis collata beneficia ac favores à S. Patrono Templi exhibitos in memoriam revocat, ita speciali quoque vos titulo obligat, ad Festum hoc præcipua devotione & obsequiis DEO & Sancto gratissimis

(qualia haud dubiè censeri debent Confessionis & Eucharistiæ religiosè susceptæ Sacramenta) celebrandum. Hoc ergo die exclamare quisque vel maximè debet cum S. Davide Ps. 115. *Quid retribuam Domino* (& sancto Templi Patrono) *pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris* (id est, SS. Sacramenti) *accipiam, & nomen Domini* (& sancti Patroni) *ardenter invocabo; vota mea* (& proposita vitæ seriò emendandæ) *Domino* (& Patrono) *reddam in conspectu omnis Populi, in medio tui Ierusalem.* Verùm non contentos vos esse oportet hoc obsequio, sed ulterius etiam & 2. veniam exorare oportet omnium negligentiarum in ejusdem cultu per annum admissarum, ideóque clamandum frequenter & fervenˆter cum servo Evangelico Matth. 18. *Domine, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Hodie vel maximè renovare oportet propositum ac decretum, quo sanctum hunc olim in Patronum eligimus, eundémque debito cultu & honore constanter venerari decrevimus. Hodie his aut similibus affectibus eum alloqui & interpellare decet. O sanctissime N. amice DEI fidelissime, gratulor tibi ex animo de omni honore ac gloria, qui tibi sive in terris, sive in cælis, aut obtigit hactenus, aut deinceps obtinget, optóque unicè, ut quotidie magis augeatur, ídque ipse etiam pro viribus procurabo. Gratias subinde tibi, quàm possum maximas ago pro omnibus beneficiis tam corporalibus, quàm spiritualibus, quæ & mihi, & Parochianis omnibus tum aliàs, tum hoc maximè anno quamplurima exhibuisti, optóque unicè, ut non verbis duntaxat, sed ipso etiam opere gratissimum exhibeam me queam. Certè quòd negligenter adeò hactenus id præstiterim, atque in tuo etiam cultu & veneratione tam tepidus & inconstans extiterim, ex corde doleo, & erubesco, farque adeò per amorem DEI mei & tui, nec non per gloriam tuam, &, per quidquid possum, supplex rogo, ut & veniam tantarum negligentiarum ipse benignè concedas, & eandem ab ipso etiam misericordissimo DEO efficaciter impetrare dignetis, una cum copiosa gratia, quâ vel nunc hanc socordiam studiosè devitare, tuóque & DEI servitio cultuíque totum me mancipare valeam; id sanè uti unicè desidero, ita per te quoque efficaciter obtinere confido, ideóque nunc denuò, licet undecunque Patrocinio tuo indignus, fretus tamen pietate ac misericor-

sericordia tua singulari, ac Zelo, quem erga meam & aliorum Parochianorum salutem tam præclarè hactenus ostendisti, te omni possibili demissionis & fiduciæ affectu in singularem meum & omnium meorum Domesticorum, imò & reliquorum Parochianorum Patronum, Advocatum, & Protectorem eligo, firmitérque statuo ac propono, me non solùm ipsum deinceps nihil ampliùs contra tuum honorem acturum, sed neque permissurum, ut à meis subditis quicquam agatur; omnia verò, quæ ad honorem tuum vel hactenus præstare consuevi, vel deinceps facere decrevi, singulari cum diligentia, fervoréque peracturum. Obsecro te igitur, suscipe nos in Clientes tuos perpetuos, adesto nobis in omnibus actionibus nostris, & tuis precibus, ut feliciter eas perficiamus, juva: adesto quoque in periculis omnibus, & contra Hostes nobis interitum molientes potenter nos defende: adesto denique in hora mortis nostræ, & tuis inspirationibus, auxiliisque sic dirige, & conforta, ut in terribili illo & periculoso agone feliciter victoriam obtinentes, vitam nostram juxta exemplum tuum glorioso & optato exitu concludamus, atque in tuam & aliorum Sanctorum beatissimam Societatem adlecti, pro nostris simul & tuis beneficiis supremum nostrum Benefactorem DEUM perpetuò tecum collaudemus. Amen. Hoc sanè modò, si & veniam à sancto nostro Patrono peteretis, & totos vos denuò cum vestris Domesticis, Pecoribus, & Agris ejus Patrocinio, cultuíque commendaretis, haud dubiè gratissimum ei obsequium hodie præstaretis, efficeretísque, ut ille vicissim novo fervore vos in Clientes suos susciperet, & fortiùs, fideliúsque, quàm unquam aliàs ab omnibus malis protegeret, omniúmque bonorum abundantiam à DEO impetraret; maximè si & tertium obsequium, quod à vobis ulterius hodie requiritur, simili fidelitate diligentiáque præstetis, nempe ut reliquum quoque hujus Festi tempus, pomeridianum scilicet, cum Sanctitate, modestia, concordia, & spirituali lætitia transigatis; quod quidem tantò impensiùs vobis ipsius vestri Patroni nomine commendo, quantò pauciores, proh dolor! reperiuntur, qui hac in parte obligationi suæ satisfaciunt. Certè si experientia consulatur, deprehendetur, plerosque in ea vanissima persuasione esse, quòd Patrocinium eo præcipuè fine sit institutum, ut & Nundinæ

celebrentur, & Parochiani cum Vicinis & Amicis suis inter compotationes, saltationes, aliáq; lusus, lætitiæq; argumenta hunc diem transigant; hinc fit, ut, qui manè DEUM & Sanctum Templi Patronum, laudibus, precibus, aliisque pijs obsequiis devotè colebant ac venerabantur; à prandio ebrietate, rixis, blasphemijs, detractionibus, deceptionibus, fœdis colloquiis, & luxuriosis actionibus gravissimè iterum offendant. Quod quidem quàm indecens & absurdum, imò & nocivum sit, vel proprio vestro judicio divinare facilè poteritis: dicite namque, si bonum quempiam & fidelem Amicum, à quo plurima beneficia accepissetis, & plura adhuc speraretis, hodie in meridiano prandio liberaliter quidem, benevolèque tractaretis, sed finitis epulis, minaci vultu, verbisque injurioſis ex domo vestra expelleretis, an non hoc facinus indignissimum, & nullo satis supplicio expiandum censeretis? an non omni vos deinceps amore & favore tanti amici indignos arbitraremini? & meritò sanè. atqui idem facturos vos creditote, si, quem manè precibus, aliisque pijs operibus coluistis Patronum, à prandio gravibus peccatis, insolentiisque iterum offendatis. Ne ergo vobis hoc accidat, Apostolicum præceptum Philipp. 4. datum studiosè observate: *Gaudete in Domino semper, iterum dico vobis gaudete. Sed Modestia vestra nota sit omnibus Hominibus.* Sequimini exemplum Aaronis & Seniorum, de quibus Exod. 18. legitur: *veneruntque Aaron & omnes Seniores Israël, ut comederent panem cum eo* (Petro videlicet) *coram DEO.* id quod jam olim etiam S. David Ps. 67. suasit dicens: *Iusti epulentur, & exultent in conspectu DEI, & delectentur in lætitia.* Hoc sanè si egeritis, sperare non immeritò poteritis, non modò vos Festum hoc & Patronum vestrum cultu gratissimo coluisse, sed optatum etiam ejusdem Patroni patrocinium pro voto obtenturos. Ecce enim jam ultrò in Altari paratum se ad vestram protectionem sistit: jam iterum ex Altari ad vos illa S. Davidis Ps. 49. verba repetit: *Invoca me in die tribulationis, & eruam te.* Nec dicatis, sæpe jam vos hoc feciſſe, & tamen pecora vestra agrósque gravia damna perpessos fuisse. Non, inquam, hoc dicatis, nam respondeo 1. non sufficere, ut invocetis, id ex corde mundo (nam Peccatores DEUS & Sancti non exaudiunt) id faciatis, & debitæ venerationis cultum constanter exhi-

exhibeatis; ita enim jam olim suasit S. Joannes 1. c. 3. dicens: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEVM* (& sanctum Patronum Templi nostri) *& quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* Et hæc sanè potissima causa est, cur toties adhuc tam gravia damna patiamini, quia nec invocatis Patronum vestrum, nec colitis, ut debetis, hinc sicut Custos Pecorum vestrorum, si debitum ei solarium negaretis, utique & ipse promissam vobis custodiam negaret, ita & vobis S. Patronus promissam vestri, & agrorum, pecorúmque protectionem negat, cùm & vos ipsi debiti cultûs obsequium negetis. Quòd si tamen quispiam etiam constantem & ferventem in hoc cultu fuisse advertat, & tamen optatum patrocinium non expertum se queratur, huic secundò respondeo, protectionem Sancti non in eo consistere, ut nullum vobis infortunium, aut casum adversum evenire permittat, ut multi falsò sibi persuadent, sed in hoc magis, ut omnia propriè dicta mala, quantùm est in se, amoveat; sicut Patris officium non in eo consistit, ut nunquam Filium castiget, aut castigari permittat. Sed ut peccata, quæ sola maximè nocent, dedoceat Filium, impediátque. Aliud ergo est apparens, aliud verum malum, tribulatio apparens malum est, sed verum malum non est, quia, si ritè toleretur, summorum bonorum causa existit; hinc S. Apostolus Jacobus c. 1. dixit: *Omne gaudium existimate, Fratres, cùm in varias tentationes incideritis*: in vestra ergo potestate est bonum ex iis elicere, nam diligentibus DEUM, teste Apostolo ad Rom. c. 8. *omnia cooperantur in bonum.* Solum igitur peccatum verum malum est, quia hoc solùm nullius boni causa per se esse potest, hoc solùm privat nos omnis & summi boni possessione; tum ergo S. Patronus seduli Protectoris erga Vos officium exercet, si vel omnia à Vobis infortunia arceat, vel certè, si DEO decretum est, vobis aliqua pro vestra salute permittere, gratiam impetret, ut patienter feratis immissam tribulationem, fructúmque adeò centuplum ex ea referatis, id quod Sedulos S. Patroni nostri Cultores quotidianâ experientiâ experiri censeo.

Epilogus.

Agite ergo, dilecti Auditores, & vel hodie denuò Patro-

cinium hoc eo fervore & alacritate peragite, ac si hodie pri-
mùm hoc templum ædificatum, & sanctus N. in Patronum
vobis assignatus esset. Date ergo operam, ut suprà explicata
tria capita tantò ferventiùs erga ipsum observetis, quanto
plura ex illorum observatione commoda jure merito potestis
sperare. Sic ille quoque vicissim omnia Patroni erga vos of-
ficia sedulò implebit, & tam vos, quàm Domesticos vestros,
Pecora, & agros ita custodiet, ut vitam vestram feliciter &
Christianè transigere, ac claudere, & cum eodem jucundum
Festum in omnem æternitatem celebrare possitis. Amen.

Alii Conceptus.

I. Potest etiam non inutiliter Patronus Templi Salva-
guardiæ, ut vocamus, comparari. Et 1. quidem beneficii
hujus magnitudo ostendi, tum ex dignitate & affectu illius,
qui dedit talem Salvaguardiam; tum ex qualitatibus illius,
qui datus est, quòd nempe *possit* ob robur extraordinarium à
DEO concessum: *sciat* ob miserias nostras, & modum juvan-
di in & per DEUM cognitas; & *velit* defendere eos, qui custo-
diæ suæ sunt commissi, utpote quos velut Fratres & Cohære-
des summè diligit: Tum ex fine, propter quem datur talis
Salvaguardia, scilicet ut à sævissimo hoste corporis & animæ
interitum moliente, & bonis temporalibus atque æternis pri-
vare satagente per eam defendamur. In 2. parte ostendatur,
quæ vicissim à Parochianis obsequia tali Salvaguardiæ præ-
stari debeant; videlicet 1. ut cum magna benevolentia,
gaudióque suscipiatur, in Patronum eligatur, promptúsque
ad obsequia animus ostendatur. 2. Ut nihil committatur,
quo graviter offendi queat. 3. Ut Victus quotidianus ei di-
ligenter offeratur, id est, certæ preces quotidie ad ejus hono-
rem recitentur (mirè enim Sanctos demeretur modica, sed
fervens & constans oratio, ut patet in milite flagitioso quo-
tidie unicam salutationem Angelicam recitante, & quatuor-
decim annis à Dœmonis sub servi forma eidem servientis &
insidiantis machinationibus defensi) sed & ipsa opera nostra
quotidiana post DEI, Christi, & B. V. gloriam ad ipsius ho-
norem ordinentur. 4. Ut subinde gratior ei recreatio vel
convivium instituatur, id est, Festus ipsi dies vel alius confes-
sione, Communione, meditatione de ipsius vita, recitatione

Offi-

Officii divini aut aliarum precum, generosáque sui victoria in quocunque genere celebretur. 5. Ut periculo imminente cum magna fiducia invocetur, & in aliis quoque necessitatibus consilium, auxiliúmque illius frequenter expetatur. 6. Ut agnoscantur beneficia ipsius grato animo, ipsæque etiam gratiæ frequenter, imò quotidie persolvantur.

II. Potest ex occasione illorum Verborum 2. Mach. 15. *Hic est Fratrum amator, & Populi Israël: hic est, qui multùm orat pro Populo, & universa sancta civitate:* Patronus Templi Advocato in bonum totius Parochiæ constituto comparari. Et 1. ostendi, quàm præclarus & potens sit Advocatus; tum quia DEI, apud quem pro nobis intercedere debet, summus, summéque dilectus amicus est: tum quia merita sua præclara velut potentissima motiva & argumenta affert: tum quia Clientes suos singulariter diligit, illorúmque causas non aliter, ac si propriæ forent, in Curia cœlesti pertractat: tum quia modico paucorum obsequiorum salario contentus est. 2. Potest ostendi, quid Auditores erga talem Advocatum observare debeant, videlicet, ut magnam de ipso æstimationem & fiduciam habeant: Ut causas suas & necessitates ipsi fideliter explicent, & commendent: ut quocunque exitu sint contenti, & si non obtineant, quod petunt, non desistant à fiducia erga ipsum concepta, sed credant, se meliùs quid impetrâsse: Ut salarium debiti cultus diligenter ac fideliter suo tempore persolvant, gratiásque etiam oretenus crebrò & ferventer agant.

III. Potest etiam ex occasione thematis: *Ite ad Ioseph, & quidquid ipse vobis dixerit, facite:* Gen. 41. Patronus Templi, Pro-Regi summi Regis, id est, DEI comparari. Et 1. ostendi, quomodo respectu totius Parochiæ perinde Prorex à DEO sit constitutus, sicut Joseph toti Ægypto præpositus est; & quòd proinde eâdem fidelitate ac providentiâ alimenta necessaria sit provisurus, quâ Josephus Ægypto prospexit. 2. Pariter ostendi potest, quòd sicut olim Pharao ijs, qui frumentum petebant, dixit: *Ite ad Ioseph &c.* ita & DEUS modò velit, ut in suis necessitatibus Parochiani ad hunc suum Patronum confugiant, &, quidquid ipse dixerit, faciant. 3. Ostendatur, quid ipse potissimùm dicat, & præcipiat, nimirum id, quod olim Josephus Ægyptiis Gen. 47. dixit: *Quin-*

tam partem Regi dabitis (nempe gloriam & honorem, de quibus dixit: *Gloriam meam alteri non dabo*) quatuor reliqua permitto vobis in sementem &c. Excitentur proinde, ut tam justæ & propitiæ DEI voluntati pareant, ad hunc Protegen cum magna fiducia confugiant, & quintam suorum laborum & fructuum partem, id est, gloriam DEO fideliter offerant, reliquas quatuor, id est, necessaria ad corporis & animæ sustentationem tantò liberaliùs accipere mereantur juxta illud Ecclesiæ in Hymno Corporis Christi: *Sic nos tu visita, sicut te colimus.*

IV. Potest ex occasione illorum verborum Tob. 5. *Perge, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salva mercede sua*: Ductori comparari. Et 1. ostendi, quòd omnes hac in vita Peregrini simus, & exules ad Patriam nostram tendentes. 2. Pariter ostendi potest, quàm periculosum, & anceps sit hoc iter, quámque adeò meritò bono & fido Ductore opus habeamus. 3. Probari potest, quomodo omnes boni Ductoris qualitates Patronus Templi contineat, præcipuè quod viam nobis ad Patriam nostram non tam verbis, quàm factis præeundo ostendat, id quod aliquot celebriorum factorum narratione confirmari potest. 4. Ostendi potest, quam mercedem petat pro sua hac charitate, eam scilicet, quam olim Raphaël ab utroque Tobia c. 12. petijt dicens: *Benedicite DEVM, & narrate mirabilia eius.* Excitentur proinde Auditores, ut diligenter inspiciant vestigia hujus Ductoris sui, eísque intrepidè succedant, & petitam ab eo mercedem fideliter offerant.

V. Potest ex occasione sententiæ à DEO olim ad Moysen prolatæ Exod. 25. *Aspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est*: ostendi, quòd DEUS Patronum Templi Parochianis velut exemplar vitæ rectè instituendæ proposuerit. Unde breviter narrari potest vita illius, simúlque ostendi, quomodo eum in præcipuis virtutibus & actionibus imitari debeant, quámque hæc imitatio ipsi quidem Patrono grata, Parochianis verò honorifica, utilísque sit futura.

VI. Potest dici, esse quosdam Doctores ejus opinionis, quòd quibusdam Sanctis ex speciali favore duo Angeli Custodes sint dati. Quidquid autem sit de veritate hujus sententiæ, adhuc tamen in alio sensu verissimè affirmari posse, duos cuivis

cuivis Homini in certa Parochia degenti Custodes esse concessos, Angelum scilicet, & Hominem, illum videlicet Sanctum, qui, uti Templi, ita & omnium Parochianorum Patronus & Custos est, unde sicut, teste S. Bernardo in Ps. Qui habitat, mira dignatio & verè magna dilectio charitatis est, quòd Angelis suis mandaverit, ut custodiant Homines in omnibus viis, ita similis quoque æstimatio beneficij illius, quo alterum nobis Custodem, Patronum videlicet Templi attribuit, concipienda est. Deinde verò sicut SS. Angelis Custodibus idem S. Bernardus jubet tria officia seu obsequia exhiberi, reverentiam scilicet pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia, ita hæc eadem etiam erga S. Patronum Templi observanda sunt, id quod copiosiùs partim ex cit. S. Bernardi sermone, partim ex natura singulorum horum obsequiorum demonstrandum est.

Caput VI.

Quomodo Conciones in primitiis Neomystarum instituí debeant.

Thema.

Simile est Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Matth. 12.

Scopus.

Dignitas & officium Sacerdotis Explicanda; Et quid à Laicis ipsi debeatur, ostendendum.

Syllogismus principalis.

Dignitas summa requirit in possidente magnum virtutum apparatum, & in aliis magnam Reverentiam; At qui Sacerdotis dignitas est summa, Ergo &c.

EXORDIUM.

Dum hodiernam festivitatem considero, omnia videntur nuptiis simillima; nam sponsus est Christus, sponsa anima Sacerdotis, choraules Angeli, Hospites SS. Trinitas & Cælites cum hominibus præsentibus, Convivium Eucharistia, saltus de Laico in clericalem statum, de infima ad summam di-

gnitatem, de cura propria ad alienam, ut meritò dici poſſit ſponſa quod ſponſus Cant. 7. dixit: *Quàm pulchri ſunt gr ſus tui in calceamentis filia Principis.* Neque aliud ſuper videtur, quàm ut more conſueto varia dona Sponſo offer tur; quod officium, quia mihi impoſitum eſt, ideo veſtro mine pretioſum & affabrè factum calicem Neomyſtæ o ram, in quo & ipſe, quod ſuum officium ſit, clarè diſpicere; vos, quid erga ipſum & alios Sacerdotes obſervare debea non obſcurè cognoſcere valeatis: Favete interea, &, dum licem hunc vobis inſpiciendum offero, benevolas inte aures, animúmque commodate.

Prima Pars.

I. Itaque calix hic eſt ex argento puriſſimo confectus, q ſignificare volo, munditiem & puritatem maximam in Sacer dote requiri, id, quod jam olim Plutarchus oſtendit, d quærens, cur Sacerdotes Idolorum candidis veſtibus utere tur! Reſpondit, quia Diis omnia munda conveniunt; ſi gò tanta puritas in ſacrificulis Ethnicorum requirebat quantò major in Sacerdote ſummi & veri DEI exigetur? I ſanè S. Chryſoſtomus l. 3. de Sacerdotio teſtatus eſt dicens *Neceſſe eſt Sacerdotem ſic eſſe purum, ut ſi in ipſis cælis collocar inter cæleſtes illas virtutes medius ſtaret.* Quod ipſum etiam Angelus S. Franciſco Seraphico confirmavit, dum eidem d Sacerdotio ſuſcipiendo deliberanti vitrum puriſſimum oſten dit, talem dicens, imò majorem puritatem requiri in Sacer dote, quàm in vitro hoc conſpiciatur: Quo audito S. Fran ciſcus nunquam induci potuit ad Sacerdotij Ordinem ſuſci piendum.

2. Forinſecus deauratus eſt calix, ut ſumma Sacerdotis d gnitas indicetur, quam quidem facto ipſo pulchrè olim S Martinus inſinuavit, dum ad Regis convivium invitatus po mi hauſtûs honorem Sacellano ſuo exhibuit, ut ſignificare dignitatem Sacerdotis etiam regia majeſtate potiorem eſſe; imò Hugo de Victore in c. 1. Gen. comparans regiam & Sa cerdotalem dignitatem eum ſole & luna, ait; Tot partibus regiam dignitatem à Sacerdotali ſuperari, quot partibus lu magnitudine ſua lunam vincit. Clariſſimè verò hanc di gnitatem, Caſſiodorus in Glor. mundi his verbis expreſſit:

Sacer-

Sacerdos DEI altissimi, si altitudinem cæli contempleris; Altior es: si pulchritudinem cœli, solis & lunæ, pulchrior es: si discretionem Angelorum, discretior es: si omnium Dominorum sublimitatem, sublimior es: solo Creatore tuo inferior es: Ex quo meritò ingens solatium haurire possunt parentes & Cognati Sacerdotis; si enim magnam se lætitiæ causam habere crederent, si Filium suum aut cognatum ad regiam aliquam dignitatem evectum esse viderent, quantò majorem nunc lætandi çausam se habere, credere debent, quando vident, eidem Filio dignitatem regia majorem obtigisse

3. Variis gemmis & unionibus distinctus est calix, quibus significatur Sacerdotem variis virtutibus & dotibus cælestibus præditum esse debere; ideo enim olim antiqui Sacerdotes pulcherrimas gemmas in pectore portare jubebantur; hinc etiam Thomas Kemp. l. 4. c. 5. ait. *Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, & aliis bona vita exemplum præbere, ut, quemadmodum* alibi l. 3. c. 19. dicit, *sit talis interius, qualis videtur hominibus exterius. Eius conversatio non cum popularibus & communibus hominum viis, sed cum Angelis in cœlo, aut cum perfectis viris in terra.* Hinc & veteres olim Sacerdoti in manu clepsydram, in sinistra solem dabant, ut ostenderent, non tantùm verbo, sed etiam exemplo ipsum alios dirigere, & juvare debere. Est quippe Sacerdos, præcipuè si curam animarum gerat, virgis à Jacobo Patriarcha olim in canalibus, ex quibus oves aquam haurire solebant, positis similis; ut enim, quales colores virgæ repræsentabant, tales etiam in fœtibus postea producebant; ita etiam, qualia exempla subditi in suis Pastoribus conspexerint, talia etiam ipsi in suis operibus velut fœtibus suis efformabunt.

4. Varia in hoc calice emblemata incisa sunt; tria scilicet in exteriore cuppa; tria in pede calicis; priora tria ostendunt Sacerdotis officium; posteriora indicant, quid Laici erga Sacerdotes observare debeant. Primum itaque eorum emblematum quæ in cuppa visuntur, & ad ipsum Sacerdotem pertinent, repræsentat Christum instituentem SS. missæ Sacrificium, cum hac inscriptione: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Luc. 22. quibus verbis indicatur, quanto cum desiderio & amoris affectu Sacerdos SS. hoc Sacrificium offerre quàm frequentissimè potest, debeat, utpote quod ipse Chri-

Christus tanto cum amore instituit, & ex quo tanti fruct
non ipsi duntaxat Sacerdoti, sed aliis etiam oriuntur; n
ut benè notavit Thom.Kemp.l.4. c. 5. *Quando Sacerdos u
brat, DEVM honorat, Angelos lætificat Ecclesiam adificat, er
adiuvat, defunctis requiem præstat, & se se omnium bonor
participem facit*; imo ut ex ipsa Sacrificij infinita digni
colligitur, gratius DEO officium præstat, quàm si omnes v
tutum actus, qui vel ab omnibus simul Hominibus & Ang
lis elici possunt, unicus exerceret: ut nil dicam de lætitiæ
consolatione spirituali, quam ex Sacrificio tali sperare pote
Si enim plures Sancti gaudio penè diffluxerunt, post quam
D. Virgine in ulnas oblatum Christum infantulum accep
runt; quantam consolationem sperare, quantáque lætitia
repleri debet Sacerdos, cui non tantùm semel, sed quotidi
non à D.Virgine, sed ab ipso Patre æterno, Filius non sta
mortalis, sed glorioſus in manus offertur. Secundum Em
blema eundem Christum in navi concionantem repræsenta
cum inscriptione: *Ascendens in unam navim, quæ erat Simo
nis, rogavit eum, à terra reducere pusillum* Luc. 5. Ut intellig
Sacerdos, se, si fructuosè subditis suis verbum DEI explicare
velit, nimiam cum ipsis familiaritatem fugere debere, ut
quæ juxta commune proverbium, nil nisi contemptum parat,
atque adeò efficiat etiam, teste S. Bernardo, ut, cujus vita de
spicitur, etiam prædicatio reprobetur. Id quod benè etiam
pius Autor l.1.cap.8.monuit, dum dixit: *Charitas habenda
est ad omnes, sed familiaritas non expedit. Quandoque accidit,
ut persona ignota ex bona fama luceſcat, cuius tamen præsentia
oculos intuentium offuscat.* Atque utinam hoc non quotidia
nâ experientiâ compertum haberemus; Certè quòd hodie
tam modicus ex Sacerdotalibus officiis fructus reportetur,
potissimam causam huic nimiæ familiaritati adscribendam
esse, non immerito quidam arbitrantur. Tertium Emble
ma Christum Pastorem, qui ovem super humeros portat, cum
hac inscriptione repræsentat. *Ego sum pastor bonus.* Joan. 13.
Ex quo Emblemate pulchrè addiscere potest Sacerdos, quid
erga oves curæ suæ commissas observare debeat. Hinc enim
discit. 1. Quantopere diligere debeat oves suas, utpote pre
tioso Christi sanguine redemptas, & pro quarum custodia
tantam olim mercedem sperare potest. 2. Quanta cum solle
cite-

citudine eas ad pascua ducere, id est, verbo divino, Sacramentorum usu, & bonis exemplis pascere debeat, ut de ipso etiam subditi eum S. Davide Ps. 22. dicere possint: *Dominus* (aut Sacerdos bonus) *regit me, & nil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocabit.*

3. Quanta curâ errantes oves quærere, & ad ovile reducere debeat, inquirendo in peccata subditorum, & salutaria illis remedia præscribendo.

4. Quantâ vigilantiâ pro illis vigilare, lupósque, id est, Dæmones, malos socios, & occasiones ab iis arcere debeat, ut impleat illûd Christi: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* 5. Denique quanta charitate infirmas oves complecti, & ad opem illis ferendam accelerare debeat, ita ut infirmitates earum in se sentiat, dicâtque cum S. Paulo 2. Cor. 11. *Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Quâ quidem in re præclarum in Christo exemplar habent Sacerdotes, qui mox, ubi à Centurione morbus pueri sui indicatus ei fuit, respondit: *veniam, & curabo eum.* Matth. 4. O quàm severam rationem olim reddent Sacerdotes, qui hac in parte negligentes deprehendentur, & vel unicam animam suâ culpâ perire sinent. certè S. Malachias doluit summoperè, se vel semel neglexisse unctionem extremam alicui infirmo dare; neque quiescere potuit, donec per preces suas mortuum illum resuscitavit, & inunxit; quantò magis dolendum erit, si quis infantem sine baptismo aut peccatorem sine pœnitentiæ Sacramento mori sinat; si S. Paulus 1. Tim. 5. de carnalibus patribus ac Dominis dixit; *Si quis autem suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*; quid sentiendum erit de Sacerdotibus, qui suarum ovium, ad quarum salutem procurandam tot titulis obligati sunt, curam non gesserint? Profectò non frustra dixit DEUS per Prophetam ad ejusmodi pastores: *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, & dilaceratam.* Jer. 18. significare enim voluit, nunquam magis velocitatem necessariam esse, quàm quando pastores velut Angeli ad oves per peccatum convulsas, & à Diabolo jam propè dilaceratas mittuntur, curandúmque pastori, ut in similibus casibus adeò promptum se exhibeat, ut parochiani suo modo illud sponsæ Cant. 7. de ipso dicere possint: *Similis est dilectus*

(*Pa-*

(*Pastor*) *meus capreæ hinnulóque cervorum. Ecce iste ve*
saliens in montibus, & transiliens colles.

Pars Secunda.

Altera pars calicis nostri, ut dixi, pedem, & tria in ipso em-blemata ad Laicos pertinentia incisa habet. Quorum po-mum repræsentat oves, Pastorem suum sequentes, cum hac inscriptione. *Cognoscunt me meæ*, scilicet oves, Joan. 10. Quibus verbis significatur, quod sicut Parochiani petunt, ut Pastor officio suo erga illos benè fungatur, ita ipsos quoque similem diligentiam adhibere debere, ut ovium proprietates assumant, & ante omnia pastorem suum agnoscant, revereantur, & ex corde diligant; si enim ipse, si pastor verus esse cupiat, animam pro ipsis ponere debet; major autem, ut Christus Joan. 15. testatus est, dilectio non est, quàm si quis animam suam pro altero ponat; facilè apparet, æquissimum esse, ut, sicut ipsi à Pastore diliguntur, ita vicissim ipsum singulariter diligere studeant, cùm juxta commune proverbium, amor non nisi amore compensetur. Porrò amor hic non in puris verbis, ut S. Joannes 1. Jo. 3. monet, sed in opere & veritate, consistere debet, ut scilicet, sicut oves etiam lac & agniculos suos, id est, liberos benè instructos, & lanam operum suorum bonorum Pastori suo offerant; Hæc enim sunt Pastori gratissima munera, gratióráque omnibus aliis, quæ de temporalibus offerre possunt, ut qui cum Melchisedech Sacerdote dicet: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Gen. 14. Secundum Emblema Constantinum magnum repræsentat, qui fasciculum litterarum quærelas contra Episcopos in consilio congregatos propositas continentem combussit, cum hac inscriptione: *Nolite tangere Christos meos.* Ps. 104. Hoc Emblemate significare volo, quòd magna cum patientia, & charitate defectus Pastorum suorum Parochiani supportare debeant; si enim S. Apostolus cuivis Christiano ad Gal. 6. dixit: *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*; quantò magis hoc monitum erga Sacerdotes observandum est, ut qui tot tantáque nostra peccata cum tanta charitate & patientia in confessione audire, & septemplici sigillo, ne reluctentur, occludere debent; obligatur enim Sacerdos ad peccata talia reticenda 1. lege naturali, quæ arcana con-

commissa sub Secreto manifestari vetat. 2. Lege divina, quâ severissimè Christus prohibuit, ne talia peccata vulgentur. 3. Lege Ecclesiastica, quæ gravissimas decernit pœnas iis, qui tale Secretum violant. 4. Lege justitiæ, quæ velut alterius famam per revelationem occultorum peccatorum imminuit & violat:

5. Lege Religionis, quæ jubet, ut Sacramentum pœnitentiæ semper in debito vigore conservetur, atque adeò sigillum confessionis illibatum permaneat. 6. Lege charitatis, quæ omnem offensam proximi, qualis vel maximè foret revelatio peccatorum, studiosissimè cavere jubet. 7. Lege fidelitatis, quæ exigit, ut, quod promisimus, fideliter præstemus. An ergò durum videri poterit, ut nos unico saltim sigillo charitatis peccata Sacerdotis occludamus? An non meritò hîc illam pij Ascetæ doctrinam nobis applicamus l. 1. c. 16. *stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, quia & tu multa habes, quæ oportet ab aliis tolerari.* Notent hoc, qui passim Sacerdotes contemnere, & irreverenter de iis loqui non verentur. Notent hoc, inquam, & vel ab ipso Christo discant, Sacerdotalem statum revereri; Is certè, dum Sacerdotibus suum errorem ostendere voluit, non publicè illorum peccata narravit, sed digito in terra scribebat, ut nemo, nisi is, ad quem pertinebant, legere posset; sed & apud Caipham, cùm Malchus colaphum ei infligisset, & dixisset; *sic respondes Pontifici?* noluit ad hoc crimen objectum perinde, ut ad alia omninò tacere, sed breviter illud refutavit, ne Sacerdotem inhonorâsse videretur. Certè verendum non immeritò est, ne aliquando tales à DEO illa Davidis verba audire cogantur l. 1. Reg. c. 1. *Quare non timuisti mittere manum tuam, ut interficeres Christum Domini? Quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* Ne ergò id audire cogamur, dicamus modo cum eodem Davide l. 1. Reg. c. 24. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam rem hanc Domino meo Christi Domini, ut mittam manum meam (vel linquam) quia Christus Domini est.* Audiamus potiùs, & sequamur consilium Ecclesiastici c. 19. suadentis: *audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te fidens, quoniam non te disrumpet.* Tertium Emblema Melchisedech Sacerdotem decimas ab Abrahamo accipientem repræsentat cum hac inscri-

inscriptione: *Et dedit ei decimas ex omnibus.* Gen. 19. Q
Emblemate significare volo, quòd, sicut Laici Spiritualia
cipiunt beneficia à Sacerdotibus; ita corporalia alimen
negare illis non debeant, sed liberaliter offerre, nam ut
Paulus 1. Cor. 9. rectè advertit. *Quis plantat vineam,*
de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gre
non manducat? Nunquid in lege scriptum est, non alligabis
bovi trituranti? Si ergo nos spiritualia seminamus, magnum
est, si nos carnalia vestra metamus? Notent hoc, qui oblatione
stipendium, aut decimas passim subtrahere Sacerdotibus,
sæpe, velut si obsequium DEO præstitissent, jactare solent
Notent hoc, inquam, & timeant, ne olim de illis verificetur
gravis illa S. Jacobi comminatio c. 5. *Ecce merces Operario*
rum vestrorum, qui messuerunt regionem vestram, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Potius itaque, dilecti, vos consilium S. To
biæ cap. 4. monentis audite. *Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem tribue, & merces Operarii apud*
non remaneat:

Epilogus.

Spectâstis ergò, ut spero, sufficienter calicem reverendo
D. Neomystæ præparatum; nihil ergò superest, quàm ut ac
cedamus, & inprimis novam dignitatem ex animo ei grate
lemur; Deinde verò calicem eidem reverenter offeramus,
atque ut nos quidem, quæ calix iste nos docuit, præstare va
leamus, ipsius nos SS. Sacrificiis precibúsque commendemus.
Quia verò ipse non minùs precibus indiget, etiam nos pro il
lo DEUM ex animo oremus, dicamúsque eum Davide Ps. 71.
DEVS iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Sed
& precemur cum Isacco ei benedictionem & dicamus: *De*
tibi DEVS de rore cæli (gratiam copiosam) *& de pinguedine*
terræ (id est animas) & abundantiam *frumenti* (verbi divi
ni) *vini* (variorum solatiorum) *& olei* (charitatis & miseri
cordiæ) ut hæc omnia in tuorum utilitatem consumas, & fi
meritorum abundantiam in hac vita, in altera verò abun
dantiam gaudiorum percipias. Amen.

Alii Conceptus.

1. Posset muneris loco Neomystæ offerri *navis argentea*
deau-

deaurata, in qua pro malo crucifixus, pro velo cor candidissimum sit suspensum. 1. Per navim significari posset officium Sacerdotis curam animarum suscepturi, quod est, Navarchi munus obire, in hominibus per hoc procellosum mare deducendis, & ideò meritò à S. Grego. *Ars artium vocatur.* 2. Ut inde colligat, quanta scientia sit necessaria *cælestium astrorum*, præcipuè stellæ maris; *viæ*, id est, perfectionis Christianæ; *ventorum* seu spirituum ex omni parte stantium. 3. Ut distat magnam curam adhibere, in periculis declinandis, quorum tria sunt præcipua, scilicet *Sirenes* seu mulieres: *Piratæ* seu avaritia: & *Syrtes* seu nimia solicitudo rerum sæcularium. 4. Ut sciat in quo consistat officium suum nempe in ijs capitibus, quæ Ecclesia in Completorio indicat: dicens: *Fratres, Sobrii estote, & vigilate, quia Adversarius vester tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Itaque in vigilantia, Sobrietate & fortitudine consistit dictum officium; Quæ omnia facilè Navarcho applicari possunt. In fine dici potest Sacerdotem imitari morem sponsorum, qui pocula sibi oblata jubent vino impleri, & sic reddunt offerentibus ebibenda; quod Sacerdos tanto facit liberalius; quantò præstantius est rubrum vinum SS. Sanguinis Christi, quod offert; ad cujus proinde sumptionem hortari convenit Auditores, & tum demum concludere concionem cum solida gratulatione, oblatione poculi, & apprecatione &c.

II. Posset muneris loco offerri *funiculus triplex aureus*, ab eóque agnus aureus dependens. 1. Per agnum intelligi posset anima, ejúsque excellentia explicari, & inde officium Sacerdotis curam ejusdem habentis seu Pastoris commendari. Per funiculum triplicem posset intelligi triplex motivum, quod impellere maximè debet Sacerdotem Pastorem, ut officio suo bene fungatur, scilicet charitas erga DEUM, proximum, & se ipsum, quem in finem Christus fortè Joan. c. 21. Tertia vice Petrum quæsivit: Amas me?

III. Posset similis muneris loco *rete piscatorium* offerri, ut indicetur, ejus officium esse, ut sit piscator hominum. Quemadmodum Christus Matth. 4. dixit. Hinc duo de isto reti dici possent. 1. *Substantia*; & per hoc officium spiritualis piscatoris explicari, dicendo, quod per fila intelligantur

actiones Sacerdotales, quæ non debent esse ruptæ, id est, ne gligenter & obiter factæ, sed diligenter suo tempore re per Confessiones, Examina, Recollectiones &c. Per plumbu reti appensum humilitas & diffidentia in propriis viribu juxta monitum Christi Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere* per *Suber* in alto suspendens rete, fiducia in gratia vocationis juxta illud S. Pauli 1. Cor. 15. *Abundantius illis omnibus la boravi, non autem ego, sed gratia DEI mecum.* 2. ad Usum quo attinet, posset dici eum in tribus consistere, scilicet ut ad im perium Christi per legitimam vocationem mittatur; *in dextrum latus* dicendo: *In verbo tuo laxabo rete.* Luc. 5. U dicatur: *exi à me*, seu nihil adscribatur sibi de captura; *annuatur sociis* ad auxilium ferendum.

IV. Posset offerri *crucifixus aureus*: 1. Ut ostendatur officium Sacerdotis, quod est esse Redemptorem, & Sacerdo tem summi DEI; quem in finem ei dupplex potestas absol vendi à peccatis, & corpus Christi consecrandi, data est. 2. U indicetur motivum, quod sibi præfigere debet in hoc officio scilicet charitas, quæ per aurum denotatur. 3. Ut etiam me dia significentur, quibus ad hunc finem consequendum u debet, scilicet ut se cum Christo *humiliet. factus obediens, usque ad mortem* per mortificationem, seu abstinentiam & sustinentiam, quæ sunt duæ partes crucis.

V. Posset offerri *Breviarium deauratum cum clausuris argenteis & nigro corio obductum.* 1. Ut indicetur Sacerdoti stu dium orationis summè necessarium, tanquam mediatori in ter DEUM & homines constituto; & quia ipse etiam indi get multis auxiliis ad suum officium rectè administrandum quæ sine oratione non obtinentur. 2. Ut innuatur ipsi, quo modo oratio debeat esse constituta, videlicet *humilis*. Quam virtutem corium nigrum indicat, *ex charitate procedens* (quam aurum denotat) *& puritate conscientiæ & fiducia ar mata*, quas binæ clausuræ denotant.

VI. Posset *Corona aurea* offerri ad significandam regiam dignitatem, omni alia dignitate majorem uti S. Chrysosto mus & alij SS. Patres docent, & S. Martinus facto ipso confir mavit, dum poculum prius Sacellano, quàm Regi obtulit; & colligitur ex potestate majori, titulo præstantiori (propter quem regnum hoc ei datum est, scilicet propter scientiam & virtu-

virtutem) & felicitate majori, quia in Sacerdote vivente, ut decet, verificatur illud Poëtæ. *Rex est, qui metuit nihil, Rex est, quique cupit nihil. Hoc regnum sibi quisque dat.* Sumenda hinc occasio gratulandi Neomystæ, Parentibus, & Consanguineis, & ipsis Parochianis, quòd ille talem dignitatem, isti talem regem sint nacti.

VII. Posset offerri *Casula ex rubro holoserico ante & à tergo crucifixi Christi imaginem assutam habens.* 1. Ut meminerit officij sui, quod Thom. Kemp. l. 4. c. 5. his verbis indicavit. *Sacerdos Sacris vestibus indutus Christi vices gerit, ut DEVM pro se & pro omni populo supliciter & humiliter oret.* 2. Ut discat æstimare idem officium ex fructibus, quos propter Sacrificium producit; nam ut idem Auctor l. c. ait, *quando Sacerdos celebrat, DEVM honorat, Angelos latificat, Ecclesiam ædificat, vivos adiuvat, defunctis requiem præstat, & se omnium bonorum participem facit.* 3. Ut pariter discat, quomodo personam Christi sustinere debeat, quod iterum pius auctor indicat, dum ait: *Habet ante se, & retro Dominica crucis signum ad memorandam iugiter Christi passionem. Ante se crucem in casula portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat, & sequi ferventer studeat. Post se cruce signatus est, ut adversa qualibet ab aliis illata clementer pro DEO toleret. Ante se crucem gerit, ut propria peccata lugeat: post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat, & se medium inter DEVM & peccatorem constitutum esse sciat. Nec ab oratione aut oblatione Sancta torpescat, donec gratiam & misericordiam impetrare mereatur.*

VIII. Posset *Alba, Humerale, & Cingulum ex purissimo & tenerrimo filo offerri*, ut significetur per cingulum quidem puritas corporis seu castitas juxta illud Christi monitum Luc. 17. *Sint lumbi vestri præcincti.* Per Humerale *puritas intentionis* juxta illud 1. Cor. 10. *Sive ergò manducatis sive bibitis*, (Sacratissimum Christi sanguinem) *sive aliud* (ad Sacerdotale officium pertinens) *facitis, omnia in gloriam DEI facite*: Per Albam verò triplex vestis. 1. Puritas animi, uti precatur ipse, dum induit albam dicens: *Dealba me Domine, & munda cor meum.* 2. Vestis Christi ab Herode oblata, ut discat judicia, contemptus, & respectus humanos contemnere, dicátque cum S. Paulo. *Si hominibus placerem, Christi servus*

non essem. Gal. 1. 3. Vestis gloriæ, cum qua Christus in monte Thabor apparuit, & etiam Sacerdos olim apparebit, si priùs priores vestes duas portaverit. Meminisse etiam debet Sacerdos, quòd, sicut candor Albæ procuratur frequenti ablutione & percussione, ita & puritas animi frequenti contritione, & Confessione, pectorisque & corporis percussione & castigatione obveniat.

IX. Posset offerri *Virga Aaron* num. 17. per quam de nocte germinantem, florésque & fructus producentem. Aaron in Sacerdotem electus est. Unde Concio dividi posset in tres partes. In 1. ostenderetur magnitudo *potestatis* per virgam designari solitæ, uti Ps. 44. indicatur, dum dicitur; *virga directionis, virga regni tui* quæ propterea potest fusiùs explicari. In 2. Conditiones & officium Sacerdotis ut scilicet producat *flores* ferventium desideriorum: *Folia* Sanctorum & utilium verborum: & *fructus* clarissimorum operum in omni genere virtutum. 3. In tertia parte dici posset, quòd, sicut Aaronis virga, reponi debet in arca intus aurea per charitatem, & foris nigra per pelles mortificationis & asperitatis corporis, & sic ad solos usus divinos deputari.

X. Posset *imago Melchisedech* panem & vinum offerentis eleganter de picta offerri cum hac inscriptione: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*: Ps. 109. Ut primò ostendatur dignitas Sacerdotis, utpote qui præstantior Rex est, quàm Melchisedech propter majorem potestatem, & diutiùs durantem. 2. Ut significetur officium Sacerdotis. Quod est panem & vinum offerre; ex quo iterum oritur nova Excellentia, & tantò quidem major, quantò panis & vinum, quæ noster Sacerdos offert, præstantiora sunt iis, quæ Melchisedech obtulit. 3. Ut indicetur præmium, quod quærere debet Sacerdos, scilicet, ut cum Melchisedech dicat: *Da mihi animas cætera tolle tibi*: intellige de iis, quæ ad honestam sustentationem non sunt necessaria.

XI. Posset *vestis Clericalis* seu *toga nigra* offerri, ad tres præcipuè qualitates Sacerdotis significandas. Nam 1. Vestis nigra fertur plerumque ab honoratioribus viris, unde & in Sacerdote dignitatem singularem significat. 2. Fertur ab humilibus personis, ut viduis & aliis similibus, unde & in Sacerdote humilitatem indicat juxta illud Eccl. 3. *Quanto ma-*

jor

iores, humilia te in omnibus. 3. Fertur etiam à lugentibus præcipuè ad mortem alicujus significandam, & sic in Sacerdote significat, eum mundo crucifixum esse, diceréque cum S. Paulo posse Gal. 2. *Vivo autem iam non ego, vivit verò in me Christus.*

Caput VII.

QUOMODO CONCIONES APUD RUSTICOS HABERI DEBEANT.

§. I.

Monita quædam Generalia ad ejusmodi Conciones Pertinentia.

Etsi primo aspectu facile videatur apud Rusticos concionari, rectè tamen prudentiores censent, difficiliùs esse his & alijs ejusmodi hominibus simplicibus, quã doctissimis quibusque utiliter prædicare; nam materias & altiores concionandi modos, sicut passim in libris & pulpitis habentur & audiuntur, haud adeò est difficile invenire & imitari; at ad ingenium simplicium se demittere, & tam materiam, quàm elocutionem eorundem ingenio cum fructu accommodare; hoc enim verò opus hic labor est, à multis quidem susceptus, à paucis verò ad eum, quem sperare debuerant, exitum perductus. Quare ut hac in parte Concionator munus suum rectè obeat, proderit sequentes regulas observare.

I. Meminerit, Rusticos & alios hujusmodi personas ferè suum gradum, & terminum habere in Christiana perfectione, ultra quem sine speciali gratia DEI non facilè promoveri altiùs queant. Consistit autem hic terminus in eo ferè, ut præcepta DEI & Superiorum rudi quodam simplicíq; modo, id est, sine multis reflexionibus ad particularia & supernaturalia motiva observent, & adversitates à DEO aut hominibus advenientes patienter tolerent; Unde & Concionator prudenter in hoc quiescere, neque multum se fatigare debet, ut ulterius eos perducat, nisi extraordinaria quædam indicia majoris aptitudinis in aliquibus reperiret.

II. Det operam, ut materiam Concionis non tantùm in

se, sed etiam respectu Auditorum valde practicam, id est, quotidianos usus venientem eligat; Alioqui enim non cum tædio & absque fructu, utpote à non intelligentibus quæ dicuntur, audietur.

III. Cùm ex una parte cuivis Christiano nihil magis necessarium sit, quàm ut conditiones ad meritum supernaturale requisitas sciat, & studiosè observet, ne tam pretiosa cælestes divitias congregandi occasio elabatur; Ex altera vero parte nullibi propè major, quàm apud Rusticos ejusmodi conditionum ignorantia atque neglectus reperiatur, ideo potissimum suarum Concionum fructum in hac tanti momenti doctrina inculcanda consistere putet, atque adeò frequenter de servando vel recuperando statu gratiæ, atque intentione bona quotidianis laboribus præfigenda concionetur.

IV. Studeat similiter, ut doctrinas ipsis propositas non modò clarè & copiosè, atque ad captum appositè explicet, sed quia etiam tardo plerumque intellectu & tenui memoria sunt præditi, frequentiùs repetat, & inculcet: neque curet, si propterea aliqui obmurmurent, sed potiùs illud S. Pauli dictum ad Philip. 3. proponat: *De cætero Fratres mei, gaudete in Domino, eadem vobis scribere* (& dicere) *mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.*

V. In ipso quoque proponendi modo summam facilitatem ad captum procuret, eúmque in finem apta quàdam divisione in puncta utatur. Quæ quidem regula adeò necessaria est, ut non immeritò credi possit, ex ejus observatione neglecta potissimùm provenire, quòd tam multæ Parochorum Conciones sine gustu & fructu audiantur.

VI. Argumenta, quibus ad persuadendam aliquam doctrinam utetur, ferè ex utilitate petenda sunt; hâc enim fere propemodum ejusmodi homines moveri, quotidiana docet experientia. Unde altioribus motivis ex honestate & puriori DEI bene placendi studio petitis non nisi rarò, & magna cum consideratione utendum est.

VII. Exempla probata, ubicunque potest, aptè immisceat; hæc enim fructum vel damnum, quem ex observatione propositæ doctrinæ ipsos reportaturos dicebat, non modò proponuut, sed actu ipso reportatum ostendunt, atque adeò multò efficacius movent ad spem de simili fructu obtinendo

ean-

concipiendam. Eundem in finem etiam Parabolæ & aptæ similitudines crebrò sunt adhibendæ, ut quibus ipse Servator tanquam efficacissimis argumentis in omnibus ferè Concionibus suis est usus.

VIII. Etsi ejusmodi homines durioris plerumque sint ingenij, ferè tamen magis expedire videtur, ut in spiritu lenitatis potiùs & amoris, quàm timoris ex gravissimo pœnarum infernalium sensu (quamquam & hoc motivum suo loco & tempore moderatè adhibere conveniat) exorti procedatur; certè experientiâ compertum est, asperitate nimia Concionatoris exasperari potiùs tales Personas, quàm emendari, animúmque ad subsequentes doctrinas penitus obdurati. Si ergo vehementiori remedio opus videatur, priùs per ignorantiam, aut minùs deliberatam voluntatem excuset, aut etiam per laudem aliquam (ad imitationem DEI Apoc. 2. ubi dicit: *Scio opera tua, & laborem tuum, & patientiam tuam. Sed habeo adversum te pauca*) præmissam leniat animos atque disponat, quàm altiorem illam censuram adhibeat.

IX. Specialiter autem conetur singularem erga illos amoris paterni, ac pastoralis affectum, zelúmque ardentem salutis illorum promovendæ demonstrare; vix enim credi potest, quàm dispositi reddantur animi per ejusmodi affectum, ad quamvis doctrinam & medicinam arripiendam. Hinc sapienter monuit S. Augustinus tr. 7. in Epist. 1. S. Joan. *Breve tibi præceptum proponitur: Dilige & dic quod vis. Radix sit intus dilectionis, non potest de hac radice nisi bonum existere.*

X. Cùm ejusmodi personæ plerumque non magnum adeò appetitum afferant ad verbum divinum audiendum, nihil magis cavendum est, quàm ne per prolongatas nimium Conciones fastidium illis creetur; hinc enim certò efficeretur, ut varios quærerent titulos, causásque Concionem negligendi, aut certè ad somnum sub ea capiendum se disponerent; Habeat ergo Concionator semper ob oculos sapientissimum S. Thomæ discursum in illud D. Pauli: *Perpaucis scripsi vobis*, Sic enim ait: *Sermones breves valdè accepti sunt; quia si sunt boni, avidiùs audiuntur: Si verò mali, parùm gravant.*

XI. Summo ſtudio caveat, ne ullum unquam verbum proferat, quo ruditatem illorum ipſis exprobrare, aut aliquem eorum contemptum indicare videatur; nec enim explicari ſatis poteſt, quàm graviter exulcerent animos ejuſmodi dicta minùs ſincero animo prolata; nimirum, ut ipſe pro ovibus eos non agnoſcere videbitur, ita nec ipſi illum velut Paſtorem revereri, atque amare dignabuntur.

XII. Etſi ſæpe illos ad obedientiam Superioribus exhibendam exhortari conveniat. Cavere tamen ſedulò oportet, ne, ſi fortè inter illos & Magiſtratum diſſenſio ſit exorta, publicè propterea illos graviter exagitet; quia talis exagitatio potiùs irritat animos, & averſionem parit à Parocho, ut qui cùm pacificator eſſe deberet, Judicis officium aſſumere, & in Cathedra velut tribunali publicè eos damnare velle videbitur. Potiùs ergo, ſi cauſam hujus diſſenſionis ex parte Subditorum ſtare adverterit, Authores diſſenſionis inquirat, & privatim ad ſe vocatos aptis rationibus & verbis diſponere studeat, ut errorem agnoſcant, & Magiſtratui eam, quæ ipſi debetur, reverentiam, atque obedientiam exhibeant. Multò minùs verò Magiſtratum, ſi fortè errare videbitur, coram Ruſticis publicè reprehendere ſumat, quia ſic gravi periculo Subditos exponeret, ad rebellionem contra Superiores ſuſcipiendam, ad quam quidem proniſſimos eſſe Ruſticorum animos multiplici experientia compertum eſt.

§. II.

Exemplar Primum.

Quomodo utilis & grata materia Ruſticis in Concione proponi poſſit.

Thema.

Quis putas major eſt in regno cælorum. Matth. 18.

Scopus.

Probandum. Quòd ſtatus Ruſticorum omnium felicissimus, atque adeò illi ſorte ſua contenti eſſe debeant.

Syllogiſmus principalis.

Ille ſtatus eſt omnium feliciſſimus, in quo homo vivit inno-

cuè,

diùs, moritur confidentiùs, & post mortem præmiatur copiosiùs. Atqui talis est status Rusticorum; Ergo hic status meritò felicissimus est censendus.

EXORDIUM.

Non dubito, quin aliquot ex meis Auditoribus, audito meo themate, apud se cogitaverint. Hæc quæstio nil ad nos pertinet; neque enim si de majoritate aut beatitudine agitur, nos in certamen venire possumus, utpote de quibus constat, quòd infimum in dignitate & felicitate gradum obtineamus, & ad miserias & labores nati simus. Hinc passim contemnimur, contumeliis afficimur, & duris exactionibus penè opprimimur, meritóque cum S. Paulo 1. ad Cor. 4. dicere possumus: *Vsque in hanc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, laboramus operantes manibus nostris: malè dicimur, & benedicimus; blasphemamur, & obsecramus; persecutionem patimur, & sustinemus; & tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema.* Ita quidem loquuntur aliqui, qui conditionem & felicitatem status sui ignorantes, eundem ex ijs potiùs, quæ sentiunt apertè, quàm quæ occultè percipiunt, metiuntur, aliter de Rusticorum statu Poëta sensit, dum dixit: Felices nimiùm, bona si sua nôssent Agricolæ. Idem & ego profectò judico, judicabúntque mecum, quotquot eundem vestrum statum penitiùs inspexerint, & commoda multiplicia, quæ in eo latent, paulò accuratiùs perpenderint. Quare, ut & vos felicitatem hanc vestram agnoscatis, & statu vestro contenti debitas pro vestra vocatione gratias agatis, ostendam in præsenti concione nullum omnino statum vestro feliciorem esse, si in eo, prout oportet, vivere velitis. Spero itaque, tantò attentiùs vos dicentem audituros, quantò magis ea, quæ dicentur, ad solatium vestrum pertinere videntur.

Propositio.

Equidem, si breviter descriptionem felicissimi status afferre velim, videor mihi eum commodè sic posse describere. Est talis status, in quo homo vivit jucundiùs, moritur confidentiùs, & post mortem præmiatur copiosiùs; neque enim

videó, quid ultra hæc tria ad felicitatem requiri queat; a
qui reperire ea, simúlque possidere, vix ulli homini, aut cer
non nisi paucis, iisque nobilissimis, doctissimis, & potentis
mis concessum videtur. Ast ego aliter longè sentio, & de
scripta tria capita, non nobilissimis & potentissimis Regibus
& Principibus, sed pauperibus & vilissimis Rusticis, si Chri
stianè & juxta statum suum vivant, convenire contendo.

Pars Prima.

Et primò quidem eos *iucundiùs*, quàm alios quoscunque vivere. Ajo, uti jam olim sensisse sapientissimus Salamon videtur, dum Prov. 30. eorum potissimùm conditionem & statum sibi exoptavit, dicens: *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantũ victui meo necessaria, ne fortè satiatus* (*ut divites & potentes dicam*:) *Quis est Dominus? aut egestate compulsus* (ut mendici) *furer & periurem nomen DEI mei.* Quis enim hæc duo mendicitatem & divitiarum abundantiam perinde ut Rustici à se remota habet? Sed ut clariùs hoc ipsum vobis demonstrem, examinemus paulò accuratiùs, quæ voluptates in statu vestro reperiantur. Duplicis generis voluptates (honestas puta) reperire est, corporis & animi: quo ad corpus potissimè reputantur, si quis sanus sit, si cibus & potus sapiat (neque enim voluptas gustûs ex pretio aut præstantia cibi potiùs, quàm sapore percipitur) si quietè & securè dormire queat. Quoad animam verò ille jucundissimè vivit, qui bonam conscientiam, & inde natam tranquillitatem & securitatem habet; nam ut jam olim Salomon Prov. 15. dixit: *Secura mens quasi iuge Convivium*, & ut pius Asceta l. 2. de imit. c. 4. pronuntiavit: *Si gaudium est in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo, & si est alicubi tribulatio & angustia, hoc melius novit mala conscientia.* Id quod pulchrè Dionysius Rex Siciliæ Damocli Famulo suo probavit; cùm enim Damocles assiduò felicitatem sui Regis deprædicaret, jussit Rex convivium regium apparari, & Damoclem in sella regia mensæ assidere, & gladium à tenui equinæ caudæ filo super caput ejus suspendi. A cujus conspectu, cùm examinatus propemodum Damocles cibos tangere nollet, subjecit Dionysius, idem sibi inter delicias suas evenire, utpote ad quas suspensus perpetui periculi gladius omnem appetitum tolle-

tolleret; ut adeò meritò Horatius cantârit. *Hic murus aheneus esto, nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.* Jam verò geminam hanc voluptatem quis magis, quàm piè viventes Rustici participant? Quis enim sanctitatis beneficio magis, quàm Rustici fruitur? Quis cibos suaviùs capit? Quis securiùs & quietiùs dormit? Ite, ingredimini civitatem, & Inquilinorum corporalem constitutionem examinate; & modò unum podagrâ laborantem; modò alium calculo vexatum, aut febri calida propemodum exustum, aut hydrope inflatum, aut alio morbo gravi afflictum invenietis. Quia, ut bene Salomon Eccl. 37. advertit, *In multis escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram.* Accedite subindead ipsas Regum aut Principum mensas, & easdem quidem ferculis plurimis & pretiosis repletas invenietis, sed ad quas vix post varia longáque intervalla manus extendunt, modicúmque carpunt, eò quòd anima eorum satiata etiam favum calcet. Prov. 27. Accedite denique ad ipsos lectos eorum, & molli quidem in culcitra prostratos, sed à latere in latus volutatos, & somnum nequicquam advocantes, cernetis, eò quòd *saturitas divitis*, ut Salomon ait Eccles. c. 5. *Non sinit eum dormire.* Recedite dein ab istis, & ad Rusticorum pagos casásque vos conferte, & qui vel podagrâ vel calculo, vel hydrope, alióque simili extraordinario morbo laboret, vix unum reperietis. In ipsa verò mensa tam avidè, licet vilissimos duntaxat cibos comedentes, conspicietis, ut vel ipse talis aspectus orexin ad simul manducandum creare possit. Noctu verò tam quietè & suaviter dormientes reperietis, ut dum pedibus lectum conscenderunt, jam caput ut vulgò dicitur, ob dormierit, sícque impletum sit, quod Salomon l. c. dixit, scilicet dulcem & suavem operanti somnum esse. Hic nimirum labor optimus Medicus, optimus Morpheus seu somni conciliator, & optimus Cocus est; hic malos humores dissipat, & sic morborum radicem tollit; hic curas inutiles fugat, & sic vigiliarum causam auffert: hic cibos optimè condit, efficítque, ut, quemadmodum Salomon Prov. 27. ait: *Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumat*; uti quondam fassus est Rex ille, qui, cùm in venatione aviditis feram insectatus, longiùs aberrâsset, sícque sub serum vesperem ad Eremitam divertere coactus, nihil nisi mucidum panem & aquam gustâsset,

stâsset, apertè ac sincerè pronunciavit, se toto imperij sui tempore nunquam esse suavius epulatum, eò quòd scilicet nunc famem velut optimum coquum fuisset nactus. Quis igitur neget, Rusticos præ alijs hominibus corporis voluptates participare? Non minùs verò etiam animi gaudijs, quæ ex bona conscientia oriri diximus, fruuntur; si enim *otium*, teste Eccl. cap. 33. *omnem malitiam docet*, an non proscripto otio velut radice etiam proscribi peccata velut infelicia germina dicemus? Quis verò hoc otium magis proscribit, quàm Rustici totis diebus & mensibus in labore occupati? & sanè ipsa experientia satis confirmat, minimam absolutionis materiam, imò interdum propè nullam apud laboriosos Rusticos à Confessarijs reperiri; & si quidem interdum reperiatur, talia peccata, plerumque diebus festis, aut alijs temporibus, quibus otio vacârunt, commissa ab ipsis fuisse. Hinc ingeniosè nonnemo jucunditatem conscientiæ ex laboriosa eorum vita exortæ accomodatâ fabulâ expressit, dum dixit, factum esse, ut quondam musculus inhabitans civitatem alium musculum in villa commorantem inviseret, eúmque ei à rurali musculo non nisi mucidus, durúsqee panis pro convivio appositus esset, nauseans ille tam tenuem cibum, rusticanum murem, ut secum in urbem ambularet, invitaret, alias se delicias appositurum pollicitus. Nec fefellit sanè, quippe illum in cellam penuariam omni ciborum genere abundantem duxit; sed vix delicias gustare cæperant, cùm ecce tibi felis ex insidijs adfuit, & ita ambos exterruit, ut vix ad foramina sua redire salvis licuerit. Quare recollecto nonnihil à terrore Spiritu valedixit ruralis musculus urbano, & hæc pauca pro coronide adjecit. Vale Frater, & tuas tibi delicias habe, ego mucido meo pane contentus, malo deinceps ruri absque timore vivere, quàm inter ejusmodi delicias perpetuum vitæ periculum subire. An non in musculo hócce ingeniosè felicitatem vitæ vestræ adumbrantem cernitis? An non & vos, & quidem experti fatebimini, veram esse Salomonis sententiam, quâ dixit: *melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena iurgiis*? O igitur verè felices vos, si bona vestra nôsse tis Agricolas.

Pars

Pars Secunda.

Jam verò, ut ad alteram felicitatis rusticanæ partem veniamus, quis confidentius mortem, quàm Rustici, aliíque similes homines exspectant? Quis enim magis liber est ab ijs, quæ mortem terribilem & ingratam faciunt? Tria equidem invenio, quæ faciunt, ut minus libenter homines moriantur: 1. Derelictio bonorum & amicorum. 2. Impugnatio Dæmonum. 3. Timor rationis DEO reddendæ, quæ omnia breviter complexus esse videtur Eccl. c. 41. dicens: *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.* Hinc enim provenit, ut tam ægrè deserantur bona præsentia, quia futura, quæ contempserunt, sperare non possunt; hinc timent impugnationem Diaboli; quia sciunt, quod S. Paulus 1. Cor. 6. dixerit: *Eos, qui volunt divites fieri, incidere in tentationem, & in laqueos Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Hinc tantopere timent rationem reddere, quia sciunt dictum à Christo. Quòd *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Luc. 12. Quódque adeò horrendum sit incidere in manus DEI viventis, & de quovis obulo, punctóque temporis rationem severissimam exacturi; Atqui horum nihil metuere habent Rustici; cùm enim plerumque tenuibus opibus præditi sint, & in hoc corpore velut in exilio aut carcere vixerint, facilè rapinam bonorum suorum à morte factam tolerant, scientes se habere meliorem substantiam. Heb. 10. ideóque dicunt potiùs cum S. David Ps. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*; & cum S. Paulo 1. Philip. *desiderium habent dissolvi, & esse cum Christo.* Hinc neque tentationes Diaboli admodum timent, ut qui nudi cum illo luctantur, atque adeò, unde eos apprehendere possit, non habent; unde sicut pauper securus cantat coram latrone viator, ita etiam ipsi securi ad patriam pergunt. Omnium minimè verò rationem reddere debent; quia cùm pauca acceperint, pauca requirentur, satísque feliciter compósita erit ratio, si suo statu contenti fuisse, & fideliter ad DEI gloriam laborâsse, & tribulationes patienter perpessi fuisse deprehendantur. Atque hæc videlicet causa est, cur Joannes Arragoniæ, & Philippus II. Hispaniæ Reges, cùm ad mortis confinia

nia perveniſſent, Ruſticorum præcipuè ſortem ſibi optârint, dixerintque ad ſuos. Quid prodeſt modò nobis dignitas, qui eminuimus? quid potentia, quâ polluimus? & quid honores, quibus fulſimus? quid divitiæ, quibus abundavimus? quid voluptates, quibus fruiti ſumus? Tranſierunt omnia tanquam umbra, & nihil nobis reliquerunt, niſi vanitatem, animíque afflictionem. O utinam Ruſticorum nobis infima ſors obtigiſſet! Quàm læti atque ſecuri nunc æternitatis iter ingrederemur, & coram ſupremo Judice compareremus! Ecce dilecti, quid de noctis veſtræ ſecuritate ſummi Reges, & eo tempore, quo magis illuminatos plerumque oculos, & intellectum vexatio morborum & mortis imminentis facere ſolent, ſentiant. Quàm verè adeò dixerit Eccleſiaſticus 41. *O mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, & cui de omnibus cura eſt: Noli metuere iudicium mortis*; Si ergo à felici morte meritò ſapientes omnem noſtram felicitatem pendere arbitrantur, an non vel ex hoc capite optatiſſimum dicemus Ruſticorum ſtatum, in quo, ut vidimus, tam beatam & tranquillam mortem ſperare licet?

Pars Tertia.

Sed fortè poſt mortem minùs felices erunt? Neutiquam profectò; ſi enim ea capita, ob quæ majus in altera vita præmium hominibus contingere ſolet, accuratiùs examinemus, vix ullo in ſtatu æquè ea, ac Ruſticorum reperio.

Si enim primò juxta Servatoris dictum Matth. 23. *Qui ſe humiliaverit, exaltabitur; & quò magis ſe humiliaverit, tantò magis exaltabitur*, perinde ac pila, quò fortius terræ impacta eſt, tantò altiùs ſurſum reſilit; Quis dubitet Ruſticos in cælis olim præ aliis exaltandos eſſe, qui præ aliis, dum adhuc in terris viverent, humiliati ſunt? Si enim humilitatis eſt viliſſimum, & infimum locum libenter tenere, & ultra quærere, an non hunc locum Ruſtici præ alijs tenere conſpiciuntur? Si humilitatis eſt libenter ab aliis contemni & irrideri velle, an non hoc ipſum Ruſtici præ aliis velle poſſunt, ſi occaſiones, quæ frequenter ipſis occurrunt, arripere velint? Si humilitatis eſt, humilia & vilia officia libenter obire; an non hoc præ aliis Ruſtici faciunt, qui inter pecora & ſimum majorem vitæ partem conſumunt? Si humilitatis eſſe nihil

nihil sibi de suis operibus, sed soli DEO omnia adscribere, quis minùs inani huic gloriæ obnoxius, quàm Rustici deprehenditur? An ergo si ex virtutis motivo seu propter DEUM libenter tales esse, tales videri, & ut tales tractari velint? An non meritò credimus, eos tantò altius in cælis supra alios evehendos, quantò profundiùs in hac vita infra alios descenderunt? Non immeritò certè creditur, Rusticis in altera vita eventurum, quod gallinis, & magnis dominis, si non bene vivant, quod falconibus solet evenire; ut enim falcones, dum vivunt, in magno pretio & honore sunt, & in manibus portantur, optimo cibo pascuntur, &. dum in aëre, cum Adversariis dimicant, omnium in se animos, oculósque convertunt; postquam autem mortui sunt, ad nihilum utiles reputantur, & infimetum abijciuntur; E contrario verò gallinæ, quamdiu vivunt, à nemine honorantur, sed ex domo expulsæ grana pro victu ex fimeto aut terræ sordibus eruere coguntur; postquam verò occisæ sunt, summo studio primùm deplumantur, varijs aromatibus condiuntur, optimo jusculo immerguntur, in argentea, aut omnino aurea patina collocantur, aulicorum seu Dapiferorum manibus ad mensam regiam portantur. & in ventre Regum Principúmque velut sepulchro conduntur; ita pariter magni domini in hac quidem vita ab omnibus coluntur & amantur, oculósque omnium in se conversos habent; post mortem autem, si malè vixerint, in fimetum inferni abijciuntur; E contrario verò Rustici, licèt in hac vita victum suum in fimeto quærere cogantur, post mortem tamen, quæ pretiosa est in conspectu Domini, cum Lazaro portabuntur ab Angelis in cælum, ibíque in sinum Abrahæ æternùm quieturi abscondentur.

Si jam 2. *Sicut socij passionum cum Christo fuimus, ita & gloriæ erimus*, Apost. teste 1. Cor. 5. An non iterum meritò credimus, Rusticos præ aliis magnâ in cælis gloriâ fruituros, ut qui tam multa cum Christo pati coguntur? Quis enim est, qui Christum patientem magis repræsentet, quàm illi? An non enim sæpe sanguinem sudare, id est, opes cum tanto labore partas suis Superioribus offerre debent, & gravissimo propterea mærore afficiuntur, ita ut non rarò dicere cum veritate possint: *Tristis est anima mea usque ad mortem*? An non sæpe illi ab uno tribunali ad alterum cum ludibrio mittuntur,

tuntur, & sæpe omnino injustè condemnantur, aliisque, qu
muneribus Judices corruperunt, postponuntur? An non illi
crudelibus flagellis, id est, injustis pœnis & exactionibus fl
gellantur? An non frequenter coronas spineas portare, id e
durissima imperia audire, & exequi coguntur? An non illi
labores graves, aliásque plurimas miserias velut gravissima
crucem ferre coguntur? An non denique illi in cruce sua o
mnino plerumque moriuntur? Si ergo hæc omnia propter
Christum patienter, libenter, & constanter ferant; an non ig
gentis gloriæ in cælis obtinendæ spem justissimam concipe
re possunt? An non ipsi præ aliis audient illud solatio pleni
simum Christi encomium Luc. 22. *Vos estis, qui permansistis
mecum in tentationibus meis, & ideo dispono vobis, sicut dispo
suit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensa
in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim
tribus Israël?*

Quod si denique tertiò ij, qui charitatem proximi præ a
lijs exerçent, DEVM in altera vita liberalem maximè sum
reperturi, ut qui, quamdiu aliquid facimus uni ex minimis
suis, sibi factum reputat; An non ex hoc quoque titulo ma
gnam gloriam sperare Rustici possunt? An non enim illi
cum gaudio & magna confidentia accedere ad Judicem, &
cum veritate dicere olim poterunt: Domine vidimus te ele
rientem in servis tuis, ideóque cum magna diligentia colui
mus agros, ut pasceremus te in illis: vidimus Te sitientem,
& ideò vineas & hortos coluimus, ut vino & cerevisiâ posse
mus potare te: vidimus te nudum, & ideo pecora, agnósque
curavimus, ut ex his possemus vestire te; Si ergo, qui vel se
mel duntaxat ejusmodi opera charitatis præstitit, justissimam
spem concipit magnæ gloriæ obtinendæ; quantam sperare
poterit Rusticus, qui non semel tantùm talia officia præsti
tit, sed totam propemodum vitam in ijsdem consumpsit.

Epilogus.

Credo itaque videre vos tandem, quod ab initio proba
turum me promittebam, scilicet esse felicissimum statum
Rusticorum, si piè & Christianè vivere studeant, Quid ergo
supereſt, nisi ut saluberrimam Siracidis. Eccl. 11. doctrinam,
vobis datam puteris, dum dicit, *Confide in DEO, & mane in*
loco

loco tuo; facilè est enim in oculis DEI subitò honestare pauperem. Dicite ergo cum Jobo 29. c. *In nidulo meo moriar, & super palmam multiplicabo dies.* Dicite cum S. David 2. Reg. *Ludam, & vilior fiam plùs, quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis*; veniet veniet aliquando tempus, quo ea, quæ antè commemoravi, impleta videbitis: veniet tempus, quo illi, qui vos in hac vita adeò presserunt, & despexerunt, dicere cogentur: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii: Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter Filios DEI, & inter Sanctos sors eorum est,* quam vobis omnibus concedere dignetur Parer, Filius, & Spiritus sanctus. Amen.

§. III.

Exemplar Secundum.

In quo ostenditur, quomodo certa quædam actio breviter Rusticis commendari queat.

Thema.

Ite, & vos in vineam meam. Matth. 10.

Scopus.

Amor laboris persuadendus.

Syllogismus principalis.

Tunc meritò amandus est labor, quando is à Christo ipso electus, & per totam vitam susceptus est; & nos à gravibus malis defendit; & ingentia bona procurat; Atqui hæc omnia facit labor; Ergo meritò amandus est.

EXORDIUM.

Legitur apud S. Lucam c. 9. Quòd, cùm Christus Samaritanos invisere vellet, & hi eum non recepissent, Discipuli ejus indignati dixerint: *Domine vis, dicimus, ut ignis descendat de cælo, & consumat illos?* quos Christus quam primum arguit dicens: *Nescitis, cuius spiritus estis*: quasi diceret, non estis memores vocationis meæ & vestræ, alioqui talia dicta non proferretis. Quod hoc loco Christus Apostolis dixit, hoc

idem judicio meo etiam non rarò Rusticis dici posset, quando tantopere laboriosam suam vitam detestantur, & se hanc causam infelicissimos putant: *Nescitis, cuius spiritus stis.* Nescitis, quòd *sicut avis ad volatum, ita homo ad laborem natus sit*, Jobo teste cap. 5. Nescitis vocationem Rusticam specialem esse, ut vitam in laboribus rectè susceptis consumat, & per hoc æternam quietem sibi comparet. Quare deinceps saltem labores magis ametis, & vocationem vestram perfectiùs prosequamini, afferam in hac concione breviter causas propter quas laborem singulariter amare, & constanter exercere debeatis. Attendite diligenter, quia si dicenda bene perceperitis, & retinueritis, non modicum inde solatium referetis.

Pars Prima.

Tres præcipuè causas invenio, ob quas laborem singulariter amandum censeo. Prima & præcipua est *Exemplum Christi*, qui de seipso per Davidem Ps. 87. fatetur. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuventute mea*; Quis autem vel ex hoc solo capite laborem non summopere æstimandum & amandum dicat? Cùm enim Christus nobis in Ducem & Magistrum datus sit, an non meritò illam vitam & viam, quam ille verbo & exemplo docuit, felicissimam putabimus? Et verò etiamsi talis non esset; an non solum exemplum illius meritò sufficere deberet ad labores impigrè assumendos? Quis enim servus, si Dominum videret alacriter se ad laborem accingere, non erubesceret, si Domino laborante ipse à labore eximi & quiescere vellet? Aptum hujus rei Exemplum in Hannibale ejúsque militibus habemus; cùm enim hic dux fortissimus exercitum super montem aliquem nive & frigore obsitum ducere destinâsset, viderétque Milites graviter à hoc itinere abhorrere, prior ipse montem aggressus est, et mox effecit, ut Milites quoque alacres sequerentur. Idem ergo & Christus erga nos homines fecit; vidit nimirum laborem asperum & durum esse, atque adeò à nobis difficulter suscipiendum; itaque prior ipse illum suscepit, ut suo exemplo nos ad eum suscipiendum animaret. Quis ergo nunc se, qui eum detrectabit? Quis laborem recusabit? & si omnes laborem amare debent, quantò magis Rustici, qui specialiter

ter ab eo ad hoc vocati sunt, ut laboris sui illos socios haberet? Hoc ergo, O dilecti, hoc exemplum frequenter ob oculos ponite, & haud dubiè deinceps leviſſimos omnes labores reputabitis; Si enim juxta commune proverbium, ſolatium eſt miſeris, ſocios habere, & jucundus comes eſt viæ vehiculum; An non ſummum ſolatium reputabitis, ſi adverteritis, vos in laboribus DEUM ipſum, Redemptorem & Benefactorem maximum, qui & in hac, & in altera via vos beare poteſt, ſocium nactos eſſe, an non dicetis ſuo modo cum S. Bernardo: *Nolo eſſe ſine vulnere* (& labore) *quando Dominum meum video vulneratum*, & ſub laboribus fatiſcentem; verbo: *non ſentit ſua vulnera miles*, nec Ruſticus laborem, *qui Ducis vulnera* (& laborem) *intuetur.*

Pars Secunda.

Altera cauſa, ob quam amandum dico laborem, eſt, quòd à graviſſimis curis corporis & animi defendat. Quod enim gravius malum corpori accidere poteſt, quàm ſi ſanitas per varios morbos lædatur, & appetitus ad cibum & ſomnum, velut duo præcipua vitæ humanæ ſuſtentacula tollatur? Atqui ab omnibus his malis præcipuè labor defendit; unde enim provenit, quòd plerumque inter Ruſticos tam pauci ægri reperiantur? unde fit, ut his præ aliis cibus, etſi vilis, optimè ſapiat? unde fit, ut præ aliis ſuaviſſimè dormiant? profectò non alia horum omnium cauſa, quàm labor eſt, ut non immeritò quidam laborem propterea optimum Medicum & Cocum, & ſomni Conciliatorem dicant. Porro quod gravius malum animæ eſt, quàm peccatum? Quis autem ab hoc potentiùs defendit, quàm labor, ut qui ipſam radicem mali tollit? Duplicem enim omnium malorum radicem reperimus. Prima eſt otium, de quo jam pridem Eccl. c. 33. *Multam malitiam docuit otioſitas.* Notúmque eſt illud Poëtæ. *Otia ſi tollas, periêre Cupidinis* (& omnis alterius peccati) *arcus.* Certè, quia David, dum alij Reges ad bella procedebant, in domo otioſus ſedit, in graviſſima illa Adulterij & homicidij ſcelera incidit. Sed & inter potiores Sodomiticorum peccatorum cauſas hoc otium numeratur Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, Superbia, Saturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & Filiarum eius.* De

otioso nimirum verificatur illud Salomonis Prov. 24. effatum: *Per agrum pigri hominis transivi, & ecce totum repleverant urticæ, seu peccata.* Quod autem efficacius medium ad otium hoc proscribendum, quàm labor reperiri potest? ita sanè & experientia docet, & sapiens Eccl. 33. testatur, dum ait: *Cibaria, & virga, & onus asino, panis & disciplina, & opus servo. Operatur in disciplina, & quærit requiescere; Laxa manus illi, & quærit libertatem* (ad peccandum) *Ingum & locum curuant collum durum, & servum inclinant operationes assiduæ. In opera itaque constitue illum, hoc enim condecet eum.* Altera causa est tentatio Diaboli, qui tunc maximè impugnat, quando hominem otio deditum videt. Hinc Christum aggressus est, quando putavit, eum in deserto otio vacâsse. Hinc etiam rectè S. Hieronymus monet: *Facito semper aliquid operis, ut diabolus te semper occupatum inveniat.* Nam, ut antiqui Patres sentiebant, laboriosus ab uno, otiosus ab innumeris dæmonibus oppugnatur. Id quòd ipse Deus S. Antonium docuit. Cùm enim hic Sanctus ab otio & Dæmone graviter impugnaretur, remediúmque à DEO peteret, hic Angelum ei misit, qui modò oravit, modò legit, modò laboravit, comedit, dormivit, simúlque dixit Antonio: Sic age, & liberaberis. Quis ergo laborem hac de causa non singulariter amet? Quis enim adeò insanus & ingratus est, qui si videret domum suam aut patriam ab hostibus sævissimis circumdatos, & manifesto in periculo vitæ & omnium bonorum versaretur, à Rege autem quodam ex speciali gratia ipsi dux aliquis cum exercitu fortissimo in auxilium mitteretur, nollet hunc ducem in domum suam vel patriam intromittere? Cùm ergo à tot corporis animæque malis undique obsideamur, & ab his, ut vidimus laboriosa vita ex speciali gratia à DEO nobis prædestinata, tam potenter nos liberet; an non æquissimum putamus, ut laborem pro summo beneficio agnoscamus, atque adeò illum non modò avidissimè amplectamur, sed etiam usque ad finem vitæ continuemus?

Pars Tertia.

Tertia, eáque non levissima causa ad labores alacriter suscipiendos impellens est *præmii magnitudo*, non tam in hac (quamquam nec hîc desint ingentia commoda) quàm in al-

tera

tera vita percipienda. Quam quidem breviter complexus esse videtur Servator noster: dum Matth. 13. dixit. *Regnum cælorum simile est thesauro abscondito in agro*, cur enim illud comparavit thesauro in agro, & non potiùs in palatio, aut urbe abscondito; nimirum indicare videtur voluisse, quòd per laboriosam vitam, quæ in agro potissimùm exercetur, præcipuè beatitudo in regno cælorum possidenda obtineatur; facit nempe, nobiscum DEUS, quòd Rusticus quidam feciisse scribitur, qui in agone convocans Filios suos, quos plures habebat, dixit illis, in vinea sua thesaurum latere, cúmque illius fore, qui primus ipsum invenisset, & eruisset. Cùm ergo Filij post mortem Patris totam vineam magno labore circum fodissent, thesaurum quidem nullum repererunt, sed quia vineam tali fossione valdè frugiferam effecerunt, magnum inde lucrum perceperunt, id quod pater thesauri nomine intellexerat. Idem ergò nobiscum facit DEUS, atque ut ad laborem diligendum, impigrèque suscipiendum animet, thesaurum non quemcunque, sed regni cælorum latere ait. Et hinc videlicet est, quod meritò SS. Patres amorem ad laborem pium & honestum inter præcipua prædestinationis signa numerare non vereantur; ajunt enim perinde in die judicij Christum nobiscum acturum, sicut olim Cato cum iis, qui cives Romani fieri volebant, egisse scribitur; sicut ergo is ante omnia manum sibi porrigi jubebat, & si quidem teneram & nitidam viderat, talem ut ineptum pro cive Romano repellebat; si verò callosam, & labore attritam deprehenderat, tum enim verò talem utpote labori assuetum Civibus Romanis adscribere non dubitavit; Ita, & Christus in die judicij manus judicandos porrigi jubebit; & si quidem labore utili propter ipsum suscepto attritos repererit, earum Possessores cælo dignos judicabit; si autem ob otium, & laboris carentiam tersas, nitentasque invenerit, à civitate cælesti eos excludet. Id quod non uno exemplo ostendit; sic enim de Murario quodam apud Nicolaum Lanciz. opusc. 15. n. 10. legitur, quòd post mortem apparens toto quidem corpore magnum splendorem habuisse conspectus fuerit, sed manus præcipuè ad mirando splendore fulserint, Eo quòd hæ potissimùm in labore peragendo, propter quem murarius iste cælum obtinuerat, fuerint occupatæ. Sic etiam de Menna

Monacho S. Climacus, conc 4. narrat, quòd post mortem ex ejus sepulchro, liquor mirè odoriferus effluxerit, cúmque Abbas miraculi stupore attonitus aperiri sepulchrum juberet, deprehensum est, quòd ex pedibus promanâsset, utpote quibus ad obedientiæ opera præcipuè fuerat usus. Præterea tamen memorabile est, quòd in vita S. Bernardi legitur ipsa SS. Mater DEI vasculum aliquod sudore plenum cuidam Monacho ostendisse, dixisseque, hunc esse sudorem, quem ex Fratrum in agro laborantium corporibus collegisset, quémque adeò nunc Filio suo oblatura, debitúmque pro eo præmium expetitura esset. O si hæc omnia diligenter expenderent Rustici, quàm prompti & alacres forent ad quorvis labores exantlandos. Dicite, quæso, Auditores, si Rex aliquis promulgari juberet, si deinceps pro quovis motu corporis propter ipsum suscepto dugatum daturum, an non gaudio diffluueretis ob hunc tam exoptatum nuntium? an ullum laborem vobis difficilem futurum putatis? Cùm ergò DEUS non Dugatum tantùm, sed tale gaudium, quod in cor hominis non ascendit, pro quovis etiam minimo labore ad gloriam suam suscepto promiserit, an non memoria & spes hujus præmij omnem vobis, quantumcunque laborem, dulcem efficiet? Memorabile hunc in finem Exemplum vitæ Patrum offerunt, dum narrant, Eremitam fuisse, qui advertens nimis molestum esse laborem in aqua quotidie de fonte tam remota haurienda susceptum, statuit cellam suam propius ad fontem exstruere, in qua cogitatione dum pergit ad dictum fontem, audit aliquem ponè sequentem, gressúsque numerantem, quare se convertens, Angelúmque videns interrogat; Eccur gressus istos numerarer? cui respondit Angelus, ideo se eos numerare, ut quemvis eorum DEO offerat, æternúmque pro eo præmium petat. Quod ubi audivit Eremita, si sic res se habet, ait, non modò propiorem cellam meam fonti non faciam, sed remotiùs ab antiquo loco ædificabo, ut occasionem habeam plures pro DEO gressus faciendi.

Epilogus.

Agite ergò dilecti, & vel hodie iterum illam S. Pauli 1. Cor. 15. sententiam vobis in memoriam revocate: *Itaque, Fra-*

Fratres mei, stabiles estote, & immobiles abundantes in opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non est inanis coram Domino. Cogitate illa DEI verba repeti ad vos Apoc. c. 2. *scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam*, & suo tempore compensabo. Mementote olim in vobis impletum iri, quòd S. David Ps. 125. dixit: *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Tunc dicetis cum gaudio illud Eccl. c. 57. *videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem*, quam nobis omnibus per merita & labores suos impetrare dignetur JESUS Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu S. vivit in Sæcula Sæculorum Amen.

§. IV.

Exemplar Tertium.

In quo ostenditur, quomodo una materia in plures Conciones dividi & tractari possit.

Thema.

Præceptor tota nocte laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. Luc. 5.

Scopus.

Ostendendum, quid ante laborem observandum sit, ut fructuosè suscipiatur:

Syllogismus principalis.

Omnis actio in nomine Domini inchoata felicem sortietur exitum; Atqui actio, quæ in gratia DEI cum legitima intentione, & invocatione divini auxilii suscipitur, inchoatur in nomine Domini. Ergo felicem sortietur exitum.

EXORDIUM.

Quod in hodierno Evangelio Apostolis evenisse legitur, id vereor, ne multis, & utinam non plerisque Rusticis, aliisque hominibus, qui inter labores vitam suam consumunt, eveniat, vereor, inquam, ne plerique in vitæ suæ fine cum dolore & rubore dicere cogantur: *Præceptor, totâ vitâ laborantes, nil cepimus.* Neque tamen causam multùm & diu in-

dagare oportet. In promptu quippe est, id unicè ex hoc capite provenire, quòd ea, quæ ante, in, & post labores observanda sunt, studiosè non observent, seu, quod idem est, quòd in verbo Domini retia suorum laborum, conatuúmque non laxent. Quare ne vobis idem eveniat, dicam in hac & sequentibus concionibus, quid in laboribus vestris observare debeatis. Et hodie quidem initium faciam ab ijs, quæ ante laborem observanda sunt. Spero proinde, sicut materia hæc omnibus valdè necessaria est, ita etiam ab omnibus magna cum attentione auditum iri.

Propositio.

Commune apud Latinos proverbium est. *Dimidium facti, qui benè cepit, habet* quod Germani nostri sic proferunt, **wohl gefangen an/ist halb gethan.** Quo quidem indicare voluerunt, plurimùm ad felicem actionis exitum sortiendum conducere, si ea benè inchoetur. Hinc S. Climacus dixit, peculiarem Dæmonem esse constitutum, qui *præcursor* vocatur, cujus officium sit, homines impedire, ne primos diei cogitationes, DEO offerant, eò quòd experientiâ constet, ejus plerúmque totum esse diem, qui primas sibi cogitationes vendicaverit. Quod iste Sanctus de die dixit, hoc de quovis opere meritò dici debet, atque adeò quicunque cupit felicem suæ actionis exitum obtinere, ante omnia studeat, ut benè incipiat talem actionem; id autem quomodo præstandum sit, pulchrè S. Petrus suo exemplo in hodierno Evangelio docuit, dum dixit: *In verbo tuo* (id est nomine) *laxabo rete.* His enim verbis significavit tria requiri, ut actio aliqua benè inchoetur.

Pars Prima.

1 Enim in nomine Domini laborare idem significat, ac in *charitate & Gratia DEI*, laborare. Hunc enim sensum videtur hodiernum Evangelium confirmare, dum narrat Apostolos Christo non præsente frustra laborasse; quam primùm autem præsens fuit, mox eos felicem piscationis successum fuisse sortitos, nimirum verissimum est, quòd ipse Joannis 15. dixit: *Sine me nihil potestis facere; Qui autem manet in me, & ego in eo*, intellige per gratiam & charitatem, *hic fer-*

fru-

fructum multum. Et hæc videlicet est causa non minima, curtam multi totis diebus & mensibus, & annis laborantes, nihil capiant. Quàm multi enim sunt, qui post peccatum mortale commissum nil minus cogitant, quàm de statu gratiæ recuperando, donec fortè ex præcepto aut alio titulo confiteri cogantur. Quid mirum ergo, si nullam à DEO benedictionem obtineant; Nam *benedictio Domini super caput iusti*, teste Salom. Prov. 10. Hinc ipse DEUS olim Israelitas sequentibus verbis allocutus est. Levit. 26. *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias in temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Quòd si autem non audieritis me, visitabo vos velociter in egestate & ardore, frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. Consumetur in cassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.* Si ergo, dilecti, cupitis, ut deinceps labor vester feliciter succedat, in nomine Domini & gratia DEI eundem inchoate. Et quemadmodum antea agrum arare incipiatis, priùs lapides, si quos ibi videtis, tollitis ne semen suffocent, & irritum laborem vestrum faciatis; ita similes imò magis noxios lapides peccata vestra putate, atque adeò ante omnia per veram Confessionem aut Contritionem ea tollere studete, ne fructui, quem speratis, impedimento sint.

Pars Secunda.

2. In nomine Domini laborare idem significat, *ac cum DEI auxilio* laborare; ita Christus Marc. 16. dixit: *In nomine meo Dæmonia eiicient.* Atque hæc est secunda industria, quam ante laborem nostrum præmittere debemus, auxilij scilicet divini invocatio. Ita sanè Christus passim suo exemplo docuit dum plerumque antè, quàm principale aliquot opus inchoaret, oculos ad cælum levavit, & à Patre auxilium petivit, non quòd ipse eo indigeret, sed ut nos, quid faciendum esset pro felici actionum nostrarum successu, exemplo suo doceret. Hinc & Ecclesia omnibus horis de votissimum illum, & à Cassiano miris laudibus celebratum versiculum *DEVS in adiutorium meum intende*: præmittit. Nimirum novit sapientissima mater, quod ut S. David Ps. 126. ait: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt;*

qui ædificant eam; nimirum plantare & rigare nos possumus, id est, conatum ex nostra parte adhibere, at incrementum ex re ad DEUM pertinet, ut rectè S. Paulus 1. Cor 5. docuit. Errant proinde & graviter errant, qui omnem fructum à suo labore, & industria pendere existimantes, DEI auxilium per preces invocare negligunt; & sanè non paucos reperire est, qui summo manè ad labores se accingunt, quos si hortatur quispiam, ut priùs orationem aliquam præmittant, dicere audebunt, sibi non vacare jam ad orandum, sed ad laborem properandum esse. Sed hi vel ex suis factis, & dictis errorem suum deprehendere & corrigere possent: Dicite enim, ô boni, si, dum falcem vestram acuitis, aut currum inungitis, quispiam sic vos alloquatur: ô tarda animalia? Cur tempus hoc labore teritis? Cur ad laborem non properatis? Dicite, inquam, quid sic loquenti responsuri essetis? an non dicerent eum rerum practicarum imperitum esse? neque inutilem esse laborem, qui in acuendis instrumentis insumitur, sed potius plurimùm promoveri? Idem ergo vobis dictum de oratione putate; oratio est, quæ acuit instrumenta, id est, potentias vestras; oratio est, quæ ungit actiones vestras, & fructuosas facit: Hanc ergo ante omnia præmittite, & tempus, quod in ea impenderitis, optimè collocatum credite. Ita sanè expertus est Isidorus, qui, ut in ipsius vita refertur, sæpe ad templum laboris tempore se contulerat; & quamvis à Sociis accusatus fuerit, ac si Domino fidelis non esset, tamen post inquisitionem repertum est, plùs ab eo laboratum, quàm ab aliis fuisse, eò quòd Angeli ipsius loco, dum in templo morabatur, laborârint. Longè ad huc memorabilius Exemplum in vita S. Joan. *Eleemosynarii* legitur, quòd scilicet duo sectores fuerint, quorum alter uxorem liberos & reliquam familiam facilè alebat, etsi non nisi ordinariis diebus laboraret; alter verò, etsi dies noctésque, etiam festos laborando insumeret, cum extrema tamen paupertate conflictabatur, quare benedictionem alterius demirans quæsivit, quo tandem remedio uteretur; ad eam impetrandam? cui pius Sartor respondit, se libenter locum, ubi ea sibi obtingeret, ostensurum, simúlque ad templum missæ audiendæ gratiâ aliquot vicibus deduxit, & tandem causam benedictionis avidius cognoscere cupienti respondit, ipsissimum esse locum, ad quem

quem duxisset; neque enim aliundè rectius eam, quàm à DEO sperari ut qui apertè dixerit: *Quærite primùm regnum DEI & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.* Matth. 6 Notate hoc, quotquot hactenus magis vobis, quàm DEO confisi, vix unquàm DEI auxilium pro actionibus vestris invocare consueviſtis. Notate, inquam, & discite causam agnoscere, ob quã tam exiguam benedictionem hactenus estis experti. Audite DEUM per Aggæum Prophetam cap. 1. vos alloquentem. *Ponite corda vestra super vias vestras. Seminâstis multùm & intulistis parùm: Comedistis*, & non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; *& qui mercedem congregavit, misit eas in Sacculum perfusum. Quam ob causam dicit Dominus Exercituum? Quia domus mea deserta est, & vos festinâstis unus quisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum.* Deinceps ergò, mei Auditores, festinate lentè, nam, ut Salomon ait Prov. 13. *Substantia festinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur, proficit.* Ite ergò diligenter suó tempore ad templum: Nam juxta commune Prov. **Kirchen gehen versaumet nicht.** Commendate diligenter vestros labores DEO, invocate illius auxilium, & dicite cum Ecclesia: *Actiones nostras quæsumus Domine, aspirando præveni & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te capta finiatur per Christum Dominum nostrum.*

Pars Tertia.

3. In nomine Domini idem significat, ac *propter Dominum* atque adeò per hoc indicatur tertium caput, quod ante laborem observandum est, ut scilicet consilium S. Pauli Cor. 1. c 10. datum observetur. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* Ita Anachoreta ille docuit, qui quoties opus aliquot auspicabatur, subsistere solebat, causámque hujus rei rogatus dixit, actiones nostras nullius esse momenti, nisi ad eas recta intentio accedat; quare quemadmodum, qui jaculatur, tantisper hæret, dum in scopum arcum dirigat, quò certius collimet; ita se quoque subsistere, donec opus, quod præ manibus est, ad bonum

num finem sit directum, Deóque consecratum. Et hic sa
non levis iterum negligentia in multis reperitur, quæ tam
magis culpanda est, quantò accuratius similis industria, qu
lis hic requiritur, in rebus levioris momenti adhibetur. Qu
enim semen in terram projecturus, non optimum, & quo
centuplum fructum daret, eligeret, si in ipsius potestate fue
hæc electio? Quis artifex suum laborem non libentius ve
deret illi, qui pretium centuplo majus, quàm alij offerre
Cùm ergò DEUS sit illa terra frugifera, quæ centuplum fr
ctum promittit; sit Dominus ille, qui infinities majus pr
mium, quàm Homines offert, an non summa Socordia, in
& stultitia erit, si eidem per bonam intentionem nostrum la
borem committere & consecrare negligamus? O utinam
gravitas & momentum hujus actionis satis ab hominib
ponderetur! profectò majorem deinceps in hac intentio
operibus suis præfigenda diligentiam adhiberent. Ah: di
lecti, saltem vos deinceps hanc industriam diligentius ob
servate, eúmque in finem illud Opificis Epitaphium perpe
tuò in memoria habete.

Steh still/O Mensch/diß Grab schau an/
Es ligt darin ein Handwercks-Mann.
Er hat gearbeit Tag und Nacht/
Aber wenig darvon gebracht.
Allein/was er hat Guts gethan/
Ist ihme blieben für sein Lohn.
Ach du dein Arbeit GOtt verkauff/
Er schlägt zum aller meisten drauff.

Epilogus.

Atque hæc sunt, quæ ante laborem observanda censeo. Hæc facite, & non dimidiam tantùm, sed totam actionem benè peragetis. Quotiescunque ergò deinceps, sive in syl
vam, sive in agrum, sive in alium locum ad operandum exitis
semper prius cum S Petro dicite: *In verbo & nomine tuo la
xabo rete*, id est, inchoabo, & perficiam actionem istam. Sic
felicem successum sperare poteritis & meritorum copiam in
gentem vobis aliisque parabitis, quousque denique omnino
audiatis illud Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino mori*
tur

tur; amodo dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis; opera enim illorum tam Sanctè inchoata & feliciter peracta *sequuntur illos*, æternúmque præmium obtinebunt. Amen.

§. V.

Exemplar Quartum.

In quo altera Pars prioris materiæ explicatur.

Thema.

Benè omnia fecit Marc. 7.

Scopus.

Ostendendum, quid in ipso labore observandum.

Syllogismus principalis.

Vt labor fructuosus sit, debet benè fieri; atqui, ut benè fiat requiritur, ut eum debita cautela, diligentia, & tranquillitatè fiat; Ergò hæc tria studiosè observanda sunt.

EXORDIUM.

Multa quidem in Evangelio hinc indè præconia de Christo reperiuntur prolata, sed nescio, an ullum sit præstantius, quàm quòd in hodierno Evangelio à Populo clamante. *Bene omnia fecit*, accepisse legitur. In hoc enim velut compendio omnis laus, quæ ex aliis encomiis oritur, comprehensa reperitur. Imò sine hoc Encomia omnia alia nihili facienda sunt; Hinc communiter dici solet, DEUM non verba, sed adverbia amare, id est, non tam attendere, quantùm, sed ex quanto, & quam benè quis agat. Et quid mirum, si DEUS id exigat, cùm idem etiam nos facere soleamus. Offeratur nobis sanè cibus quantumcunque pretiosus in se, & dulcis; si non benè coctus & paratus sit, parùm æstimabitur: offeratur nobis ab Opifice opus ex auro & argento, aliáve simili materia confectum, gemmísque & unionibus distinctum, si non benè sit factum, mercedem opifex non accipiet. Quia ergo & nos cupimus labores nostros DEO placere, ab eóque præmium suo tempore propter illos exspectamus, non tantùm contenti esse debemus, ut illos benè inchoemus, sed etiam ut benè absolvamus, atque adeò in ipso etiam opere debitas conditiones observemus. Quod quidem quâ ratione

tione faciendum sit, in præsenti concione ostendam, si benevolas, ut soletis, aures mihi præbueritis.

Pars Prima.

Inter alias conditiones, quas DEUS in Sacrificio sibi offerendo olim ab Israelitis requisivit, illa non minima erat quòd agnus vel vitulus offerendus macula carere debuerit; ita enim passim in veteri testamento præcepisse legitur, specialiter autem Deut. 15. ubi sic loquitur Moyses nomine DEI: *Sin autem habuerit maculam, & vel claudum fuerit, vel cæcum, vel debile, non immolabis Domino DEO tuo*: ubi posset non immeritò quis mirari, cur DEUS hanc conditionem tam solicitè requisierit? an non enim agnus aliquis vel vitulus si benè saginatus & pinquis fuisset æque aptus fuisset ad Sacrificium, etiamsi levem aliquam maculam habuisset aut caudâ caruisset? Fuisset sanè, sed nihilominus voluit DEUS Sacrificium sine macula offerri, ut per hoc nos instrueret, quomodo, si labores & opera nostra velut Sacrificia illi offerre velimus, illa constituta esse debeant, quòd scilicet non modò non debeant esse cœca, id est, sine prævia intentione bona facta, nec sine cauda (id est, in fine & perseverantiâ deficientia) sed etiam non maculosa, id est, in ipsa sua substantia omni defectu & vitio carere. Prima ergo industria in ipso opere adhibenda est, ut studiosè caveamus defectus, qui plerumque in laboribus nostris intervenire solent; Quinam autem in laboribus Rusticorum, imò & aliorum intervenire soleant, necessarium non puto pluribus explicare; constat enim passim imprecationes & blasphemias audiri. Constat ubique videri iracundiæ vestigia. Constat frequentes etiam injustitias in fraudandis decimis, terminisque aliorum invadendis committi. Hæc ergò omnia tantò studiosius cavenda sunt, quantò vehementius impediunt fructum laborum nostrorum: Certè non immeritò peccata ejusmodi grandini comparari possunt; ut enim grando ab ipsa terra exurgat, cùm nihil aliud sit, quàm vapor à terra exurgens, & in aëre ob frigus circumsistens in lapidem concretus, iterum in terram cadit, ejúsque fructus devastat; ita peccata nostra sursum ascendunt, & gravitate sua iterum depressa cadunt super labores, eorúmque fructum impediunt. Neque mihi hoc quis-

quispiam dicat, non esse possibile, ut quis in tot tantisque occasionibus non interdum blasphemet, aut Famulis pecoribus, & ejusmodi rebus non irascatur, si quod debent, non faciunt; Non, inquam, quis mihi hoc objiciat; nam in primis scio, non omnem iram illicitam esse: *Irascimini*, inquit S. David Ps. 4. *& nolite peccare*: Tunc autem benè irascimini, si indignationem verbis & verberibus moderatis ostendentes, per hæc nihil aliud nisi fraternam ac paternam correctionem proximi intenderitis. Imprecari autem & blasphemare neutiquam ad justam iram pertinent, sed sunt effectus animi vindictam injustam spirantis, atque adeò possunt ac debent vitari, cùm DEUS abundantia auxilia gratiæ conferat ad ea, quæ præcepit, adimplenda, præmiúmque tam magnum promittat, si observemus, quod meritò levem nobis omnium præceptorum observationem efficere debet; uti quondam Sacerdos quidam militum curam gerens memorabili facto ostendit; cùm enim adverteret, militem quendam, gravem imprecandi & blasphemandi consuetudinem contraxisse, atque ad emendationem hortatus, impossibilitatem ab eo sibi objici audiret, recentem dugatum ei ostendit, illúmque se daturum promisit, si secum per exercitum transiens, ab omni ira, blasphemia, imprecatione, alióve simili vitio abstineret; Cúmque id certò se præstiturum miles promisisset, Sacerdos interea monet milites, ut, si cras miles iste per eos transiturus esset, ipsum insigniter, sed absque peccato vexarent. Appetente ergò postera luce Sacerdos duobus digitis, nummum aureum in altum extollens, atque ante oculos militis portans eundem per exercitum in duas partes divisum ducit, à quo, licet miles egregiè vexatus sit, ille tamen semper subridens, digitóque nummum aureum ostendens, quasi diceret, hæc omnia se propter illum nihil curare, nec unicum verbum minus decorum protulit. Quare Sacerdos aureum quidem promissum obtulit, sed simul etiam adhortatus est, ut consideraret, an non propter regnum cælorum promissum possibile sit præstare id, quod, propter unicum nummum aureum tam facile præstitisset. Simili modo ergo, & vos, dilecti Auditores, pio astu vel argumentatione, vos ad vitiorum, quorum fugam hactenus impossibilem credebatis, odium excitate, &, ne ad morem vaccarum vestrarum

rum expressum ex uberibus lac pede effundentium fructu
quem laborando facitis, peccando iterum destruatis, ab
mnibus quidem vitiis, præcipuè tamen à fraudibus & injust
tiis studiosè abstinete, certóque vobis persuadete, non mod
lucrum vos nullum per injustè inquisitas hujusmodi pec
nias, sed damnum potiùs insuper gravissimum reportaturo
Nam juxta commune proverbium: *Malè parta malè dis
buntur.* **Vngerechts Guth bereicht nicht.** Quod quide
lepidâ hâc fabulâ ostendere aliqui conantur, dum ajunt, Ru
sticum fuisse, qui multas valde oves habuit, sed benè per dies
à Pastore custoditas, & per noctem in stabulo inclusas, ita u
lupus undique aditum sibi occlusum adverteret. Quare a
ingenium confugiens lupus, ovinam sibi pellem circumd
dit, & extra prædium quasi ovis errans, gramen raptim
decerpere simulavit. Quod Rusticus advertens, etsi ben
sciverit, ovem hanc suam non esse, tamen injusti lucri desid
rio incensus, eam suis conjunxit, sed brevi damnum sensit
nam manè unam alterámve ovem laceratam invenit, nec ta
men, quia stabulum benè occlusum repererat, causam ind
gare potuit; sequenti die tres iterum propè absumptas in
venit, & sic deinceps, donec omnes penè oves absumptæ fue
rant, tunc enim malens ipse eas absumere, quàm ab alio ab
sumptas aspicere, cum reliquas oves, & inter has etiam alie
nam ovem furto ablatam occidere vellet, latentem sub ovi
na pelle lupum, fraudémque deprehendit. Ecce pulchram
sanè injusti lucri descriptionem! O quàm multi sunt, qu
valdè multum se lucratos putant, si aliquot manipulos ex de
cimis, particulam de agro alieno subtraxerint, vel aliud in
justum lucrum fecerint. Sed nolite, ô boni, exultare ante
tempus: fixum est: **ungerechts Guth / thut kein gut.** Brevi
sentietis lupum, id est, injustum nummum, etiam alios justi
aquisitos devorantem: Vos ergò, mei AA. potiùs consilium
Christi Matth. 6. datum sequimini, & ante omnia: quærite
regnum DEI, & justitiam ejus, & ea, quæ sperabatis per injus
stum lucrum, melius per justitiam acquiretis. Nam *si quis
iustitiam diligit, labores huius, magnas habent virtutes.* Salo
mone teste Sap. 8. *Et melius est parum cum iustitia, quàm multi
fructus cum iniquitate* Prov. 16.

Pars

Pars Secunda.

Secundum caput, quod in ipso labore observandum est, requirit, ut, quantum est ex nostra parte, debitam diligentiam etiam adhibeamus; Nam etsi DEUS, ut diximus, incrementum dare soleat, tamen etiam nostram cooperationem requirit. Ita S. Paulus clarè 1. Cor. 15. docuit, dum dixit: *Gratiâ DEI sum id, quod sum, & gratia DEI in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia DEI mecum.* Hinc etiam sponsa Cant. 1. petit quidem trahi à DEO, dum ait. *Trahe me*: Sed mox propriam cooperationem indicat: dum ait. *Post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Imò ipse Christus id ipsum confirmavit; dum Matth. 6. omnia quidem necessaria liberalitet se daturum promisit, sed tamen etiam nostram cooperationem requisivit, & regnum cælorum ac justitiam illius quærere jussit & hæc videlicet non levis est causa, cur tam multi hodie optatam in laboribus benedictionem non sortiantur. Quid enim mirum, quod DEUS non juvet illum, qui se ipsum non juvat? Hilff dir/ so hilfft dir GOtt auch/ dicunt Germani; & jam olim Jeremias pronuntiavit c. 48. *Maledictus homo, qui facit opus Domini negligenter.* Quid mirum ergò si tales postea DEUS non fortunet? Quare quicunque talis es, audi salubre consilium, quod sincerus amicus olim alteri amico & vicino suggessit. Erat hic vir bonus rerum suarum prorsus incurius, neque quid in domo ageretur, admodum curabat, modò cuticulæ propriæ benè esset; quare factum, ut omnia in pejus ruerent, &, licet non parùm opulentus fuisset, propè ad inopiam redigeretur; Quod ubi vicinus advertit, commiseratione tactus adijt hominem, & postquam periculum extremæ inopiæ incurrendæ explicâsset, remedium se, si placeret, oblaturum spopondit. Quo si constanter per aliquot hebdomades uteretur, non dubitare, quin omnia ad meliorem statum redigenda forent. Promittit se patiturum homo, si difficile non foret, medium. Quare pixidem promit vicinus, eámque homini in manus tradens, hanc, inquit, in omnes quotidie partes domus tuæ deporta, ita tamen ut caveas eam reserare, donec à me ejus reserandæ licentiam acceperis. Dixit, & abiit. Nec diu alter consilium datum differens,

ferens, dum singulas partes domus quotidie lustrat, omnia Famulis negligenter administrari advertit. Quare rem dium ubique admovens, brevi notavit, rem domesticam non modicè augeri. Sed quia causam, non suæ industriæ, sed in pyxide latenti adscribendam putabat, curiositate vict aperuit tandem pyxidem in eáque Schedam reperit, in qu sequentes duo versus descripti erant.

Willst/das dir dein Sach wohl geling?
Sih all Tag fleissig zu deim Ding.

Ex quibus facilè salubrem correctionem colligens, rem illo ac diligentia sine pyxide usus, brevi tempore priores rum divitias recuperavit. O verè salubre Consilium, & e emplum! utinam illud, quotquot in laboribus suis susc piendis hactenus Socordes extiterunt, pari fidelitate arrip rent, profectò similem etiam effectum & benedictionem DEO obtinerent. Quivis ergò deinceps memorabilem il lam sententiam altè menti inscribat, & sedulò observare stu deat. *In omnibus operibus tuis præcellens esto*, & haud dubi etiam præcellentem fructum ex laboribus vestris reportabi tis. Ita sanè expertus est Furius Cesinus Romanus rustic qui suâ industriâ ac labore tantas divitias comparârat, ut e magiâ suspectus habitus, & apud Magistratum accusatus fu rit. Quare citatus & rationem reddere jussus, divitiarum congregatarum cum Filia sua se coram Magistratu sistens o mnia sua instrumenta rustica secum tulit & hæc tandem ma gica instrumenta dixit, quibus & ipse & Filia indefessa con stantia usi fuissent, & tantas divitias comparâssent. Quo au dito non solùm absolutus est à Magistratu, sed ob constantem adeò diligentiam vehementer commendatus.

Pars Tertia.

Tertium denique caput est, ut, ubi ex nostra parte fecimus quod debebamus, de successu parùm soliciti, quidquid DEUS postea circa laborem nostrum disposuerit, æquo & resigna animo accipiamus, atque adeò in omnibus & ubique illud Davidis Ps. 38. usurpemus: *Obmutui & non aperui os meum quoniam tu fecisti*: Ita sanè DEUS ipse quondam Sancta aliquam virginem Diaticam nomine, monuit, dum eam o

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

animia frigoris asperitate parùm conquerentem his verbis castigavit: Ego feci hoc frigus, & tu quereris? simili ergo modo quivis DEUM se alloquentem imaginetur; quando animum intus ob tempestatem non bonam, ob grandines & pluvias fructum laborum suorum impedientes obmurmurantem audit: Ego hanc tempestatem, grandinem, & pluvias misi, & tu quæreris? an putas aliquid sine mea dispositione fieri? an fortè dubitas, num omnia sapienter satis administrem? Pulchrè hanc praxin nos, pius Asceta docuit l. 3. cap. 7. cum in persona Christi sic loquitur: *Fili, sine me tecum agere, quod volo, ego scio, quid expedit tibi. Tu cogitas ut homo, tu sentis, & in multis, sicut humanus suadet affectus.* Quare statim subdit, quomodo respondere debeamus: *Domine verum est, quod dicis maior est solicitudo tua pro me, quàm omnis cura, quam ego gerere possum pro me. Nimis enim casualiter stat, qui non proiicit omnem solicitudinem suam in te: dummodo voluntas recta & firma ad te permaneat. Fac de me, quidquid tibi placuerit, non enim potest esse, nisi bonum, quidquid de me feceris.* O si tali modo omnia DEO committeremus, quàm felicem in laboribus nostris successum sperare possemus; Memorabile hac in re Exemplum in vitis Patrum narratur de Agricola quodam, cujus agri & vineæ multò copiosiorem semper fructum tulerunt, quàm aliorum. Rogatus ergo ab iis, quomodo hoc fieret? respondit: Ne miremini, tempus enim per totius anni circulum juxta votum meum habeo. Cùm autem Vicini hoc responsum magis mirarentur, dicerentque, quî fieri posset, ut ipse semper tempus ad votum haberet? an fortè ipse sub cælo distinctum degeret? an non meminisset, quoties in anno grando ceciderit, pluviáque importuna obtigerit? quoties calore solis nimio sint agri exusti? quibus ille iterum, omninò inquit, ita factum fuit, ut dixi: Quia ego nunquam aliud tempus volui, quàm quale voluit DEUS; & quia ego hoc volui, voluit & DEUS, ut copiosiores mihi fruges, quam vobis provenirent qui vestram voluntatem ad DEI voluntatem non accommodâstis. O verè sapientissimum non Agricolæ, sed Sanctissimi hominis Responsum, dignum, quod omnes Rustici profundissimè pectori inscribant! O saluberrimum Exemplum quod omnes Agricolæ studiosissimè imitentur.

Epilogus.

Sed finio tandem atque iterum, quantum possum, adho
tor, ut, si vestros labores utiles vobis & aliis esse velitis pu
dicta tria capita studiosissimè observetis: Eum in finem,
nunquam animo elabantur, assiduè in mente ac animo hab
tote duos illos Germanici Poëtæ versiculos.

Willst wahren Seegen von GOtt erhalten?
Mein gut; thue was kanst/laß GOtt walten.

Sic tandem implebitur quòd DEUS per S. Davidem Ps. 12
promisit: *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beat
es & benè tibi erit: uxor tua sicut vitis abundans in latere
domus tuæ; Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mens
tuæ, Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum*, atque
illo unicè confidit, quam benedictionem nobis omnibus
concedere dignetur SS. & indivisa Trinitas, Pater, Filius &
Spiritus Sanctus. Amen.

§. VI.

Exemplar Qnintum.

In quo tertia pars materiæ explicatur.

Thema.

Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam DEO.
Luc. 17.

Scopus.

Ostendendum, quid post laborem observandum sit.

Syllogismus principalis.

Finis coronat opus iuxta commune proverbium; Ergo, qu
coronari ac præmiari opus ac labores suos cupit, benè illos fini
debet; *Atqui hoc omnes Auditores cupiunt*; Ergo omnes stude
re debent, *ut benè finiant suos labores.*

EXORDIUM.

Vidimus in alia concione, quòd DEUS in holocaustis
quæ sibi offerri voluit, non tantùm requisiverit, ut in eo non
esset macula & cæcitas, sed etiam, ut pede, quæ ultima pars
Anima

Animalis est, non claudicaret; quo mandato sapienter indicavit, non tantùm se in operibus nostris desiderare, ut initium eorum & medium, sed etiam ut finis se rectè habeat. Quam ob causam etiam in iisdem Animalibus petiit, ut adeps & cauda separatim offerrentur. Lev. 3 ut indicaret, quantumcunque opus per se laboriosum & pingue propter bonitatem fuerit, nisi cauda perseverantiæ & bonæ clausulæ accesserit, gratum non fore; nam, ut rectè Eusebius hom. 5. ad Monach. ait, *spes omnes nostræ in consummatione atque fine consistunt. Quid mihi prodest, si Sata viridantia herbis spem messis ostendant, & me sub ipso falcis tempore, subitâ vel aëris intemperie, vel pluviarum inundatione decipiant?* Hinc rectè S. Bernardus S. 2. in vigil. SS. Petri & Pauli ait; *Scias, Diabolum soli perseverantiæ invidere, quam solam novit à Domino coronari.* Quantò magis ergo Diabolus impedire nos conatur, ne benè nostros labores finiamus, tantò majorem nos adhibere diligentiam debemus, ut omnia, quæ ad bonam clausulam requiruntur, studiosè adhibeamus; quod quidem quâ ratione fieri possit, in præsenti Concione docebo. Favete, & doctrinas has non minùs necessarias, quam utiles attentis auribus, animísque excipite,

Pars Prima.

Tria equidem etiam post labores nostros peractos pro felici coronide observanda puto. Primum est, ut gratiæ debitæ DEO per solvantur; cujus quidem capitis defectu frequenter fit, ut labores nostri minùs fructuosi sint; id quod S. Bernardus more suo sapienter advertit, dum ait, ingratitudinem esse beneficiorum perditionem, ventum urentem, & siccantem fontem pietatis; nec aliquid in Christianis adeò displicere DEO, quemadmodum ingratitudinem. Quod ipsum jam pridem Salomon Sapient. 16. indicaverat, dum dixit: *Ingrati spes tanquam glacies hybernalis tabescet, & disperiet tanquam aqua supervacua.* Notate hoc bene, quotquot hactenus exiguam in laboribus vestris benedictionem fuistis experti, notate, inquam, & examinate vos ipsos, an hactenus debitas DEO pro acceptis beneficiis gratias egeritis; id si non feciſse vos reperietis, ne dubitate, quin hæc una ex potioribus causis sit negatæ benedictionis, nam, ut prudenter

S. Bernardus S. 35. super Cant. *ait*, *cessat gratiarum discursus, ubi recursus non fuerit; nec modò nihil augetur a grato, sed, quod accepit, vertitur ei in perniciem*, qua ut S. Chrysostomus super Matthæum ait, *quantò maiora sunt Hominibus beneficia constituta, tantò graviora peccatoribus iudicia præparata sunt*; Si enim vos, ubi advertitis, Meridicum aliquem non gratias agere pro Modica eleemosyna quam offertis, mox indignamini graviter, & statuitis, nihil ampliùs deinceps illi offerre, an mirum vobis videri debeat, DEUS, postquam pro tot tantísque beneficiis à se vobis collatis ingratos advertit, similes favores deinceps vobis negare decernat? Ne ergo fontem divinæ liberalitatis obstruatis, *estote*, ut monet Thomas Kemp. l. 2. c. 10. *grati pro munere, & eritis digni maiora accipere*; nam, ut rectè Cassiodorus in Ps. 135. ait, *iugiter sibi subvenire facit, cui collatum beneficium ob oculos semper assistit*, &, ut alius ait; *invitat ad magna, qui gratanter accipit modica.* Quapropter imprimis tres Pueros Babylonios imitamini, & cum iisdem omnes creaturas, quæ aliquo modo ad vestrum laborem cooperatæ sunt, ad laudes DEO dicendos invitate, & dicite: *Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in Sæcula. Benedicite aquæ, Spiritus*, imber, pecora, Filij hominum Domino &c. præ reliquis tamen optimam gratiarum actionem existimate, si inde occasionem sumatis, liberaliores vos vicissim erga ipsum deinceps ostendendi, & mandata illius diligentiùs observandi; si enim S. Porphyrius, cùm ad negandum DEUM verum, falsósque adorandos incitaretur à Tyranno, dixit: *Quadraginta annis servio DEO meo, & nihil unquam mali fecit, cur igitur eum nunc deseram?* quantò magis vos, quibus insuper tantùm boni præstitit, servire & adhærere debebitis? Dicite ergo cum S. Davide Ps. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi, in medio tui Hierusalem. O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus & Filius Ancillæ tuæ.*

Pars Secunda.

Secundum caput, quod observare debetis post labores-

et-

est, ut partem aliquam de fructibus acquisitis DEO, sive in templo, sive in Pauperibus offeratis, Ita enim vos ipsimet agri vestri exemplo suo docent, ut qui pro uno grano, quod in eos conjeciſtis, decem aut plura vobis offerunt. Hinc bene Seneca in Epist. ait: *Imitari agros fertiles oportet, qui multò plùs reddunt, quàm acceperunt: quia si non dubitamus his conferre, quos speramus nobis profuturos, quales debemus esse in eos, qui iam actu profuerunt.* Cogitate ergo vobis dici à DEO quod olim Josephus Patriarcha Gen. 47. Ægyptiis dixit: *Accipite semina, & serite agros, ut fruges habere possitis. Quintam partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum Familiis & Liberis vestris.* Date ergo fideliter DEO suam partem, nec timete, quòd quidquam vobis sit inde decessurum, sed plurimùm potiùs accessurum sperate. Zelator honoris sui DEVS est, nec patietur se ab Homine in liberalitate vinci. Hinc Salomon Prov. 3. monet: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum, & abundabunt horrea tua frumenta, & vino torcularia redundabunt.* Malè ergo sibi consulunt, qui adeò parci erga DEVM sunt, etiam cùm tam liberalem erga se experiuntur. Verè enim in talibus implebitur, quod olim Abbas Monasterij cujusdam expertus est, ut in magno speculo Exempl. dist, 6. ex. 43. refertur, qui cùm Antecessorem valde liberalem, sub quo Monasterium omnibus bonis abundabat, habuisset, ipse eidem Successor electus contrahere manus cœpit, sed nihil aliud effecit, quàm ut paulatim omnes divitiæ evanescerent, & ad magnam inopiam Monasterium redigeretur. Accidit autem, ut quondam senex quidam Eremicola ad Monasterium hoc diverteret, qui, cùm parcè admodum tractatus fuisset, Fratérque ei inserviens Monasterij inopiam prætenderet, in hunc modum ipsum allocutus est: Nôris, mi Frater, apud priorem Abbatem duos Fratres, quorum primus *Date*, & alter *Dabitur* vocabatur, in Monasterio vestro fuisse, & ab ijs tantam benedictionem profluxisse. Quia verò modernus vester Abbas primum Fratrem *Date* è Monasterio expulit, statim etiam alter Frater, *Dabitur* aufugit. Reducite ergo Fratrem priorem, & statim etiam posterior redibit: *Date, & Dabitur. Quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis.* Luc. 6. Hoc consilium & vos, Auditores, datum

vobis putate, atque adeò seminate deinceps in benedictionibus, ut in benedictionibus etiam metatis. Date liberaliter quia abundanter dabitur, *nam mensuram bonam, confertam & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.*

Pars Tertia.

Tertium tandem caput est, ut, dum temporalem laborum vestrorum fructum colligitis, etiam spiritualem colligere studeatis, qui quidem varius esse potest. Et 1. quidem si paciùs, quàm optabatis, agri vestri sementem reddiderint, aut alij fructus labori & spei non responderint, sic vobiscum discurrite: Ah si tantoperè dolet mihi, dum agri isti materialem fructum speratum negant, & quidem temporalem duntaxat & tam modici pretij; quantum dolorem aliquando concepturus sum, si agrum spiritualem Animæ meæ optatos fructus, & quidem tales, de quibus æternùm vivere debuissem, non protulisse advertero, nec tamen tempus habebo damnum reparandi. Itaque præveniam periculum hujus doloris, operabor, dum dies est, antequam veniat nox, in qua nemo potest operari ampliùs. Pari modo si fruges vobis copiosas obvenisse gaudetis, & hîc vosmetipsos excitate, ad merita abundantiora animæ procuranda; si enim, dum de corporali cibo Vobis Familiæque bene provisum videtis, tantam lætitiam concipitis, quantùm gaudebitis olim, si de cibo illo, qui non perit, sed permanet in vitam æternam, quémque Filius Hominis daturus est, Christo teste, Joan. 6. vobis per totam æternitatem optimè prospectum advertetis? Cur ergo non copiosè seritis, semen bonorum operum, ex quo solo prædictus cibus olim habebitur, nam opera eorum sequuntur eos, uti S. Joannes Apoc. 14. per vocem cœlo delapsam audivit. Denique si desiderium copiosiores fructus habendi vos incessere adverteritis, similem apud vos discursum facite. Ah si tantoperè sollicitus sum, ut meliores semper fruges pro corpore & pecoribus habeam: si nullam industriam omitto, quæ putest ad dictum finem conducere, cùm tamen adhibitis etiam omnibus industrijs optatus fructus non semper respondeat; quantùm conari debeo, ut fruges animæ, id est, merita & virtutes copiosiùs producantur, cùm hoc in mea fit potestate, & fructus optatus, si velim, semper labori respondeat.

Agri

Age ergo, & *quodcunque potest facere manus tua*, juxta consilium Ecclesiastis c. 9. *instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, quò tu properas.* Hoc modo utiliter laborabitis: hoc modo glorioſus finis opera ac labores vestros coronabit.

Epilogus.

Ut ergo tandem in compendium recolligam, quæ de labore fructuosè susciendò tam in hac, quàm prioribus Concionibus dixi, vidistis, quanta commoda ex laboribus vestris ritè susceptis sperare possitis: Vidistis etiam, quid ad laborem ritè susciendum requiratur, scilicet ut in nomine Domini, id est, cum gratia DEI habituali & actuali propter DEVM inchoetur: Ut in nomine Domini, id est, cum magna cautela, diligentia & animi in divinam voluntatem resignatione perficiatur: & ut denique in nomine Domini, id est, cum debita gratiarum actione, liberalitate mutua, & salutari ad seipsum reflexione finiatur. Hæc facite, & vivetis, id est, in hac vita copiosam benedictionem in temporalibus bonis, & in altera majorem gloriam obtinebitis, dicetisque cum Ecclesiastico c. 57. *Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem.*

Caput VIII.

De Praxi Concionis pro felici auspicio sive Concionum, sive novi anni habendo.

Cum plerumque, quando Concionator vel officium suum auspicaturus est, vel etiam pro novi anni principio concionaturus, paulò comptior oratio, rariórque doctrina ab Auditoribus speretur, ideo ne in hac quoque occasione Ideam, copiámque Conceptuum deesse queratur Novitius Concionator, eosdem hoc capite breviter subjiciemus.

§. I.

Exemplar

Quomodo pro felici Concionum auspicio instituenda sit Concio.

Thema.

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua. Eccl. 7.

Scopus.

Instruendi Auditores, quomodo per assiduam dictæ Sententiæ memoriam se ad vitam piè ac prudenter instituendam excitare possint.

Syllogismus principalis.

Tria sunt præcipua officia boni Christiani, nempe abstinere, sustinere, & agere; Atqui ad hæc tria rectè implenda, vel maximè iuvat citata sententia assidua memoria; Ergo meritò assidua illius memoria procuranda est.

EXORDIUM.

Antiqua & laudabilis hactenus fuit consuetudo, ut illi, qui novum aliquod Officium auspicaturi erant, pro felici auspicio ijs, cum quibus acturi aut conversaturi erant, vel additales epulas (ein Einstand-Mahl) instruerent, vel certè munusculum aliquod offerant ad benevolentiam conciliandam. Hunc morem & ego hodie observare decrevi, & quidem, ut spero, tantò majori meorum Auditorum gratiâ, solatióque, quantò aptior, efficaciórque erit doctrina, quam illis pro solemni auspicio offerre decrevi, ad totam vitam suam feliciter, sanctéque, ut verum Christianum decet, instituendam. Ne itaque diutiùs vestra desideria suspendam, jam nunc me ad opus accingo, firmiter sperans, vos tam hanc, quàm omnes reliquas doctrinas, quas deinceps vobis propositurus sum, tantò majori cum benevolentia attentionéque excepturos, quantò clariùs deprehenderitis, me tam in Concionibus, quàm alijs meis functionibus Pastoralibus nil nisi majorem DEI gloriam, animarúmque vestrarum salutem quærere ac desiderare.

Narratio.

Thomas Cantipratanus l. 2. cap. 43. part. 2. & ex ipso Joannes Major in magno Speculo Exemplorum titulo. Sapientia. memorabilem narrant historiam in hæc verba: Quidam nobilis

nobilis Adoleſcens valde ſagax ingenio, Regi ſucceſſit in regno. Accidit, ut in regia civitate nundinis conſtitutis, Rex cum Sodalibus ſuis ad inſpiciendos Inſtitores & res venales circumiret. Et videns hominem grandævum ætate ſedentem in nundinis, quærit, quis ſit, & quid venale haberet? Cui ille, dicor, inquit, Philoſophus, Sapientiam venalem habeo. Ad hoc gaviſus Rex, & ſubridens bene, inquit, ut Juvenem conſtitutum in regimine mihi competit Sapientiam habere: tu autem videas, quantùm velis vendere centum marcis. Et Senex: Unum, inquit, tibi pro ſtatuto pretio dicam, quod ſi bene tenueris, optimè per illud regêris, & reges. Temerè nihil loquaris, temerè nihil attentes, niſi priùs cogites, quid ſequatur. Si plùs volueris, addas & pretium. Ad hoc igitur omnibus concitatis in riſum, Rex conſiderantiùs verbi pondus advertit, & Philoſopho ſtatim pretium promiſſum ſolvi imperavit. Verbum autem, quod acceperat, in Superliminaribus palatij, & in menſis, & in ſcyphis aureis, & manutergiis ſcribi fecit. Succeſſu temporis Rex in Sapientia & virtute proficiens inſtituit fortiùs animum, eripere populum humilem de manu potentium, qui à Nobilibus terræ graviter premebatur, & regnum ſuum in omni juſtitia gubernare. Pro quo Nobiles ſui in ſeditionem verſi, cùm nequaquam manifeſtè propter favorem Populi contra eum auderent aliquid attentare, occultè quendam Raſorem pretio conduxerunt, ut Regem in conclavi radendum novaculâ trucidaret. Ergo ubi Rex humectatâ barbâ ſe radendum exhibuit, dictus Raſor in manutergio, quod erat circa collum Regis, Scriptum legit: Temerè nil attentes, niſi priùs cogites, quid ſequatur. Et ſuper propoſito ſcelere pavefactus expalluit, & manum tremulam mox retraxit. Quo viſo Rex cauſam exegit, nec ſine cauſa eventum conſiderans, diſſimulantem Raſorem, quaſi hoc ſibi ex infirmitate contigiſſet, extendit ad pœnam, & rei veritatem tormentis extorſit. Sic Rex liberatus à morte verè didicit, quia melior eſt Sapientia cunctis opibus, & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Hucuſque Cantipratanus. Atque hæc eſt doctrina, quam ego quoque vobis hodie pro felici auſpicio mearum Concionum cum ſingulari benevolentia oblatam volo, quam ſi bene memoriæ veſtræ impreſſeritis, & obſervare ſtuduerit, promitto, cer-

to, certissimò futurum, ut non vos ipsos tantùm, sed alios etiam felicissimè regatis. Ut verò ejusdem praxin tantò facilius cognoscatis; jam nunc breviter ostendam, in quibus præcipuè occasionibus ejusdem memoriam refricare debeatis. Ajo itaque in tribus maximè occasionibus eam ob oculos habendam; in ijs nempe functionibus, quibus tota perfecta hominis Christiani continetur, & plerumque ab Ascetis, per has tres voces, *Abstinere*, & *Sustinere*, & *Agere* exprimuntur.

Confirmatio.

Primò itaque ajo ob oculos habendam, quoties occasio abstinendi est, seu, ut clariùs dicam, quoties ad peccatum aliquod committendum à Concupiscentia inordinata vos impelli advertitis. Tunc enim vel maximè oportet quemque sibi ipsi dicere: Temerè nihil attentes, priusquam consideres, quid sequatur. Ita sanè jam pridem DEUS ipse per Sirac. eidem cap 7. suasit dicens: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Et revera sic est; qui enim amaros fructus & operationes peccati diligenter præmeditatur, nunquam sanè in peccatum consentiet, sed potiùs dicet cum Philosopho illo: Tanti pœnitere nolo emo. Ad hoc magis confirmandum peropportunè mihi in memoriam venit, quod aliquando Regina quæpiam, Fenella nomine, consilium susceperit. Hæc quippe, cùm fatale adversus Maritum suum Kemetum, odium concepisset, tandem sequenti modo eum è medio tollere statuit. Pomum apparari jussit aspectu amœnissimum, sed sagittis refertum, & arte singulari ita confectum, ut, si in certo loco tangeretur, omnes sagittæ uno impetu in tangentem erumperent. Hoc ergo cùm quondam summâ cum humanitate, &, uti ipsa simulabat, in singularis amoris argumentum Kemeto obtulisset, ipse incautis avidisque manibus id arripiens, subitò ab erumpentibus telis miserrimè peremptus est. Hîc jam vos interrogo, Auditores, si Kemetus iste prævidisset, quod sagittæ sub pomo isto latarent, an eundem illud arrepturum fuisse putatis? minimè profectò. Atqui simile pomum est voluptas illicita, quæ vobis à Mundo, Carne, aut Diabolo offertur. Apparet sanè & illud speciosum & amabile, beatósque se putant illi, quibus illud offertur; sed si interiora ipsius, exitumque

que consideraveris, acutissimis, atque æternum interitum afferentibus sagittis est plenum. An non acutissima sagitta est offensa summi ac supremi Domini? an non acutissima sagitta est jactura inæstimabilis gratiæ divinæ & vitæ æternæ? an non sagitta summè venenata est æterna illa & inexplicabilis pœna corporis & animæ, quæ per peccatum incurritur? an non terribilis & horrenda sagitta est stimulus & vermis conscientiæ, quo anima in hac & altera vita miserè transfigitur, & lancinatur? atqui hæ omnes & plures aliæ crudeles sagittæ ex pomi hujus, seu voluptatis illicitæ tactu incauto erumpunt, uti jam pridem damno suo expertus, & postea miserabiliter lamentatus est Psalmista Ps. 37. dum dixit: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Clarum hujus rei exemplum etiam in primis nostris Parentibus habemus; quibus utique amœnum ejusmodi suavéque pomum à tartareo serpente oblatum est, sed quem attactus illius exitum habuerit, hos, proh dolor, testantur innumeræ sagittæ, & damna, quæ non tantùm in ipsos primos Parentes, sed omnes etiam eorum Posteros eruperunt. Quare alieno saltem, ô dilecti, damno sapiamus, & cautiores efficiamur, & quoties ejusmodi pomum illicitæ voluptatis à Mundo, aut Carne, aut Diabolo offertur, eidem illa Christi ad S. Mariam Magdalenam dicta verba inscripta credamus: Noli me tangere, priùs, quam præmeditatus fueris, quem exitum sit hic tactus habiturus. Et sic certò futurum confido, ut in nullum unquam peccatum consentiatis.

Altera occasio in sustinendo, seu tolerandis adversitatibus se offert; ubi vel maximè iterum occinere nobis debemus: Temerè nihil attentes, priusquam consideres, quid sequatur; nam quæ alia causa est, cur in adversis casibus tam pusillanimes & impatientes simus, nisi quia non perpendimus, quem exitum tribulationes tali modo perpessæ sint habituræ? Hîc itaque memores esse deberemus, quod Germani nostri communi proverbio suo nos monuerunt: **Wâg/ehe du wagst: bsinn/ehe du sagst: damit du nicht Reu tragst.** Hîc ex una parte ponderare deberemus, quem exitum impatientia nostra sit habitura, & nos ipsos sic alloqui: quid, quæso, reporto, si tribulationem talem indignabundo & impatienti

animo

animo ſupportavero? quid aliud reporto, quàm quòd gravior mihi accidat hæc tribulatio, utpote animo repugnante acceptata? ut graviſſimam mihi in hac & altera vita pœnam accerſam? ut jacturam faciam inæſtimabilis meriti ac gloriæ, quam per patientiam comparare potuiſſem? E contrario verò, quàm magnum, multiplicémque fructum referto, ſi æquo & hilari animo eandem ſupportem? an non levior mihi, tum per æquanimitatem & reſignationem, tum per ſpem inæſtimabilis præmij tribulatio evadet? an non per patientiam talem pœna graviſſima, quam tum in hac vita, tum in altera ſuſtinere debuiſſem, Majori ex parte, ſi non tota remittitur, ſícque hîc uno quaſi obolo ſolvo, quod ibi innumeris talentis ſolvere debuiſſem? an non inæſtimabile illud præmium promereor, de quo S. Paulus 2. Cor. 4. locutus eſt dicens: *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*? an non ergo meritò illa Diſcipulorum Chriſti verba impropero, dicóque: Ut quid perditio iſta? poterat enim unguentum hoc (aut hæc tribulatio) venumdari multò, & dari pauperibus, id eſt, animabus purgantibus aut pauperi animæ meæ tranſcribi? En ergo, dilecti, unde ventat, quòd tribulationes tam amaro & invito animo ſuſcipiamus, quia ſcilicet in ijs ad præſentem tantùm difficultatem, non autem ad ſecuturum fructum & præmium oculos reflectimus. Atque ut hanc doctrinam, quæ tantoperè neceſſaria & ſalutaris eſt, meliùs percipiatis, aptiſſima ſimilitudine à P. Balthaſaro Alvarez Soc. JESU Sacerdote olim ſimilem in finem propoſita declaro. Fingamus, dicebat ille, grandinem ſuper agrum Ruſtici non admodum divitis cecidiſſe, omnéque illi frumentum deſtruxiſſe; quid, quæſo, dicturum aut acturum putatis hunc Ruſticum, ſi nuntius illi talis adferretur? an non ſummo cum dolore illum excepturum creditis? an non magnopere ſuam infelicitatem deploraturum? Si verò paulò pòſt alius ſuperveniret, qui nuntiaret, lapides, quibus frumentum deſtructum eſt, ex mero argento aut auro confectos, aut meras uniones eſſe, an non tunc ſummè iterum hoc nuntio recreandum exiſtimatis? an non felicem ſe prædicaturum, quòd per ſuum potiùs, quàm alterius agrum grando cecidiſſet? an non ſingulares DEO pro hoc beneficio gratias actu-

rum?

rum? cur, quæſo, hanc eandem jacturam tam læto & quieto animo excipit, quam priùs tanto cum dolore & triſtitia intellexerat? nimirum, quia jam non ad damnum, ſed ad lucrum inde ſibi exortum oculos mentémque reflectit: quia, quem exitum tribulationes ſint habituræ, conſideravit. Ita ſanè ſuas adverſitates aſpexit patientiſſimus Job, atque adeò tam alacri & reſignato animo excepit. Simili ergo modo & nos deinceps noſtras tribulationes conſideremus, & notum illud effatum: Momentaneum, quod cruciat: æternum, quod delectat: aut illud S. Pauli Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*: ſemper in animo habeamus, & haud dubiè tribulationes noſtras non æquiori duntaxat animo, ſed etiam cum lætitia ſupportabimus, dicemúsq; cum S. Paulo: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* 2. ad Cor. 7.

Tertia tandem occaſio in actionibus noſtris quotidianis ſe offert. Hîc vobis ab initio imaginemini hominem, qui vix ſemel in die mentem ad DEUM elevet, vix ſemel in hebdomada Miſſam, & quidem exigua cum devotione audiat, reliquum verò tempus, otio, luſu, conviviis, ſomno, aliísque recreationibus conſumat, an exiſtimatis, hunc talem vitam acturum, ſi exitum illius animo ſuo accuratè aliquando perpenderet? minimè profectò! Ita Rolandus nobilis Adoleſcens exemplo ſuo docuit, qui, cùm aliquando totam diem in ſummis deliciis exegiſſet, ſícque epulis & vino gravatus in lectum abiiſſet, ſeipſum ibi ſic allocutus fertur: Dic, quæſo, Rolande, quid tibi ex univerſis deliciis, quibus hodie tam jucundè fruitus es, relictum eſt? an non fateri debes cum Salomone Eccleſ. 2. Et vidi in his omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub Sole? Quid autem habebis, ſi non unum diem, ſed totam vitam ſimili modo tranſigas? an non ergo præſtat abſtinere ab ejuſmodi deliciis, quàm caro adeò pœnitentiæ acerbæ pretio eaſdem mercari? ſic ſeipſum allocutus eſt Rolandus, tantúmque profuit hæc adhortatio, ut mox, ubi dies illuxit, Mundo nuntium remittens, religioſum ſtatum fuerit amplexus. En quid proſit, in actionibus etiam ſuis exitum conſiderare. Sed quia dicet fortaſſe aliquis: hæc nihil ad me, quia non in deliciis vivere ſoleo, ſed totos dies in labore ſervitióque alijs præſtando, aut

pane

pane pro me Domesticísque lucrando consumere cogor, imo ginemur nobis & talem hominem, qui dicto modo integr hebdomadas, menses, & annos consumat, sed tamen hos la bores solius necessitatis aut lucri temporalis causâ, non au tem propter DEUM, ejúsque gloriam suscipiat, quem putat hujus hominis labores exitum habituros? an non dicturu creditis cum Apostolis Luc. 5. *Præceptor per totam noctem* (vitam) *laborantes nihil cepimus*? Eveniet nimirum talibus quod quondam Famulo cuidam evenisse scribitur, qui, cu multis annis summa cum fidelitate Domino suo servijsset, tandem in gravem morbum lapsus rogâsset Dominum suum ut vel unâ horâ eum à morbo liberaret, Dominus autem re spondisset, hoc in sua potestate non esse, cum magno ejula exclamavit: Heu me infelicem, quòd tot annis servierim ta li Domino, qui me nec per horam à morte aut morbo liberar potest, & non potiùs illi servitium fidele præstiterim, qui temporali ac æterna morte liberare, perpetuámque felicita tem largiri potest. Ne ergo simili modo vos quoque olim queramini, quòd solùm pro corpore vestro liberísque alendi tot labores susceperitis, & non potiùs DEO easdem per legi timam intentionem consecraveritis, vel nunc alieno damn eruditi operam date, ut non solùm semper in gratiæ stat constituti sitis (sine quo opera vestra non possunt DEO gra ta, vobísque meritoria esse) sed insuper eadem opera ac la bores vestros DEO per legitimam intentionem consecretis eúmque in finem illud Operarij cujusdam Epitaphium in me moria semper retineatis.

Steh still/ O Mensch / diß Grab schau an/
Es ligt darinn ein Handwercksmann /
Er hat gearbeit Tag vnd Nacht /
Aber wenig darvon gebracht.
Allein was er hat guts gethan /
Jsi jhme bliben für sein Lohn.
Auch du dein Arbeit GOtt verkauff /
Er schlagt zum allermeisten drauff.

Perpendite præterea, quantopere Opifici aut alteri Operari doleat, si, postquam opus aliquod magno cum labore & dif ficultate absolvit, merces ei sperata negetur, frustráque ade

se la-

ſe laborâſſe advertat, & inde colligite, quantum olim dolorem & triſtitiam vos concepturi eſſetis, ſi totâ aut certè potiori parte vitæ veſtræ vos fruſtra laborâſſe olim aſpiceretis.

Epilogus.

Et hæc modò eſt doctrina, quam pro felici concionum mearum auſpicio offerre vobis volui, certò promittens, quòd, quò diligentiùs eam obſervaveritis, tantò meliùs & vos ipſos, & alios vobis commiſſos recturi ſitis. Hæc doctrina fundamentum eſt, cui tota veſtra ſalus, felicitas, & profectus innixi debet. Hæc doctrina breve compendium eſt omnium doctrinarum, quas deinceps vobis propoſiturus ſum. Nam id unicè in omnibus meis concionibus deinceps laborabo, & perſuadere conabor, ut peccata, & quidquid Chriſtianum non bene decet, ſtudioſè deviteris: & illa opera ac virtutes, quas Dominus DEUS, & S. Mater Eccleſia à vobis requirunt, pari ſtudio ac fervore exerceatis: & omnes denique adverſitates ac tribulationes, ſine quibus nemo poteſt introire in regnum DEI, magna cum patientia & Chriſtiana fortitudine ſupporteris. De hac doctrina proin, quam, uti ſingulari benevolentia, Zelóque vobis offero, ita ſimili affectu à vobis acceptatum iri confido, deinceps vobis illa pij Aſcetæ verba l. 3. c. 3. dicta putatote: *Audi, Fili mi, verba mea, verba ſuaviſſima, omnem Philoſophorum & Sapientium huius Mundi ſcientiam excedentia. Verba mea Spiritus & Vita ſunt, nec humanæ ſenſu pendanda. Non ſunt ad vanam complacentiam trahenda, ſed in ſilentio audienda, & cum omni humilitate atque magno affectu ſuſcipienda. Scribe itaque ea in corde tuo, & pertracta diligenter; erunt enim in tempore tentationis valde neceſſaria. Quod non intelligis, cùm audis, cognoſces in die viſitationis*, cùm nempe variis tribulationibus ad honorem nominis mei, & tuam ſalutem exerceri te permiſero. Claudo itaque concionem verbis, quibus eam incepi; In omnibus operibus tuis memorare noviſſima, id eſt, exitum eorum, & in æternum non peccabis, quin potiùs te & alios tam prudenter & feliciter reges, ut dignus efficiaris aliquando æternum, feliciſſimúmque Cœlorum regnum cum omnibus Sanctis poſſidere, quod nobis omnibus per merita Chriſti Filii concedat Pater

æternus, cui cum eodem Filio & Spiritu Sancto sit omnis ho-
nor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Alii Conceptus.

I. Ex occasione thematis: *Beati, qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud.* Luc. 11. potest inprimis Concionator narrare historiam de Servo Abrahami misso ad Uxorem Filio quærendam, &, ubi Rebeccam reperit, inaures proferentem, atque in signum desponsationis donantem. Gen. 24. Unde dicere potest, se quoque missum ad animas, DEO per amorem desponsandas, ac proinde in signum hujus desponsationis duas inaures donaturum, dextram & sinistram, ut intelligant, se non tantùm quando animantur, instruuntur, & recreantur, paratos esse debere ad verbum DEI audiendum, sed etiam quando corripiuntur & castigantur, & idem has inaures aureas esse, eò quòd non minùs castigatio, quàm consolatio ex vera charitate Zelóque procedat. Ostendatur deinde, quomodo fructuosè audire verbum DEI debeant, scilicet ardenter, attentè, & devotè, id est, cum prompta voluntate, propositóque efficaci exequendi id, quod auditum est. Denique pariter demonstretur, quomodo anima per verbum DEI ritè auditum desponsetur DEO, dum scilicet ad amorem illius excitatur, & per hunc DEI Sponsa efficitur, eique arctissimè conjungitur.

II. Ex occasione thematis: *Date illis vos manducare.* Matth. 14. dicere potest Concionator, se & alios Concionatores esse quasi Patresfamilias (Kost-Herren) à DEO constitutos, ut cibum Animæ, nempe verbum DEI, eisdem præparent, ac porrigant. Hinc 1. ostendat, quantopere nutriat, satiet, roboret, impinguet, & recreet hic cibus animam, quæ omnia facilè possunt tum exemplis, tum authoritatibus SS. Patrum probari. Deinde ostendatur, quòd debeant ipsi præsumere proprietates Convictorum, & 1. diligenter comparere apud mensam seu concionem. 2. præmittere orationem. 3. Appetitum afferre. 4. Non herbas duntaxat & condimenta, sed ipsam etiam substantiam assumere. 5. Bene concoquere, id est, ruminari, sibíque applicare, non alteri. 6. Solvere suo tempore pretium debitum, id est, gratum se

Patro-

Patrifamilias exhibere, tum pro eo precando, tum doctrinas ab eo datas ſedulò exequendo.

III. Ex occaſione thematis: *Si quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo.* Jac. 1. poteſt Auditoribus pro felici auſpicio ſpeculum offerre, ut ſignificet, Auditores ad verbum DEI velut ſpeculum accedere debere. Oſtendatur itaque 1. quàm bene verbum DEI ſpeculo comparetur, tum quia conſtat duabus partibus, *obſcuritate* in ſe, velut plumbo; & claritate explicationis velut nitido chryſtallo: tum quia ſe omnibus accommodat ut ſpeculum: tum quia & turpitudinem æquè ac pulchritudinem ſuam cui oſtendit, quæ omnia facilè authoritate Scripturæ & SS. Patrum ac varijs exemplis probari poſſunt. 2. Oſtendatur, quomodo fructum ex hoc ſpeculo reportare debeant, nempe non tantùm curioſitatis gratiâ, aut ad aliorum faciem cognoſcendam id uſurpando, ſed ad proprios mores vitámque ordinandam, & corrigendam adhibendo, quod itidem varijs exemplis declarari poteſt.

IV. Ex occaſione thematis: *Quis mihi tribuat, ut ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro ſtylo ferreo?* Job. 19. poteſt Concionator pro felici auſpicio Auditoribus Palinpſeſtum ſeu Pugillar (ein Schreib-Täfelein) offerre, ſimúlque oſtendere, quid, quâ ratione, & cur in eo ſcribendum ſit, quem in finem totum ferè caput 3. l. 3. libelli de imitatione Chriſti ſerviet. Dicat 1. quid ſcribere debeant, & alloquatur illos ijs cit. lib. verbis: *Scribe verba mea in corde tuo, & pertracta diligenter; erunt enim in tempore tentationis valde neceſſaria. Dupliciter ſoleo electos meos viſitare, tentatione ſcilicet & conſolatione. Et duas lectiones eis quotidie lego: unam increpando eorum vitia, alteram exhortando ad virtutum incrementa.* 2. Oſtendat, quomodo ea ſcribere debeant, nempe eo modo, quo idem libellus indicat dicens: *Verba mea Spiritus & vita ſunt, nec humano ſenſu penſanda. Non ſunt ad vanam complacentiam trahenda, ſed in ſilentio audienda, & cum omni humilitate atque magno affectu ſuſcipienda.* 3. Declaret, cur ſint audienda, nempe ob *dignitatem* (per illa verba indicatam: *Audi, Fili, verba mea, verba ſuaviſſima, omnem Philoſophorum & Sapientum huius Mundi ſcientiam excedentia*) *neceſſitatem* indicatam (per illa verba: *Verba*

mea Spiritus & vita sunt: insinuatam) *iucunditatem* (quia verba suavissima, de quibus Sponsus Cant. 2. dixit: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Et S. David Ps. 18. *Eloquia tua super mel & favum.*) Unde pro clausula dicat huic Palimpsesto in una facie operculi inscripta esse excitato libello hæc verba: *Beatus, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum, ut mitiges ei à diebus malis, & non desoletur in terra.* In altera verò facie hæc esse scripta: *Qui habet verba mea, & spernit ea, habet, qui iudicet eum in novissimo die.* Porro dicat, hunc palimpsestum duo habere duntaxat folia propter duplicem lectionem, unum pro increpatione vitiorum, alterum pro exhortatione ad virtutem. Denique stylum ferreum, quo scribatur, esse serium propositum proficiendi & attentam ac constantem auditionem concionis, quo bene scribenda sunt verba, ut legi possint (non ostentanter audiendo & dormiendo; tales enim vitiosè, aut nihil omnino scribunt) nec delenda per madidam spongiam (id est, vanas delectationes) sed suo tempore inspicienda & relegenda, id est, in memoriam revocanda.

V. Ex occasione thematis: *Qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè. quid paleis ad triticum? dicit Dominus.* Jer. 23. potest Concionator pro felici auspicio cribrum offerre Auditoribus, diceréque, quid, & quomodo cribrare debeant. 1. Ergo dicat eos Verbum DEI velut triticum cribrare debere; ostendátque, quàm convenienter Verbum DEI tritico comparetur, inprimis quia ut triticum est optimum inter frumenta, ita Verbum DEI optimum inter verba, quia scilicet ab ipsa æterna Sapientia dictatum: Deinde quia sicut triticum est purissimum & candidissimum; sic Verbum DEI quoque purissimum est, seu ab omni falsitate remotissimum: sicut item triticum est cibus Nobiliorum Personarum, ita Verbum DEI cibus Electorum est juxta illud Christi effatum: *Qui habet Verba mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Quæ omnia breviter complexus est S. Basilius de vit. solit. sic loquens: *Omnis panis nutrimentum affert ad salutem, ægris autem sæpe inutilis; sic & omnis scriptura ex DEO est, ac admodum fructuosa, nihilque per se immundum atque impurum retinet aut præbet, nisi ei, qui illud putaverit esse immundum.* 2. Ostendat, quomodo hoc triticum cribrare debe-

debeant, ſcilicet à paleis ſeparando, quod facient, ſi non ad verborum qualitatem, nec ad geſtus, aut vitia vitámque Concionatoris, nec ad hiſtorias tantùm aut fabulas, quæ ſubinde delectationis gratiâ inſperguntur, attendant, ſed ad ipſam doctrinæ propoſitæ ſubſtantiam, eámque in granarium memoriæ & pectoris recondant ad exemplum B. Virginis, quæ conſervabat omnia verba in corde ſuo.

VI. Ex occaſione thematis: *Accipe ſanctum gladium munus à DEO, in quo deiicies omnes Adverſarios Populi mei Iſraël.* 2. Mach. 15. poteſt Concionator dicere, cùm Militia ſit vita hominis ſuper terram, teſte Jobo, ideóque Chriſtus ipſe Matth. 10. dixerit, ſe non veniſſe pacem mittere, ſed gladium, ſe optimum gladium Auditoribus oblaturum, illum nempe, quem S. Paulus Eph. 6. ſuaſit dicens: *Galeam ſalutis aſſumite, & gladium Spiritûs, quod eſt Verbum DEI.* Et iterum Hebr. 4. *Vivus eſt enim ſermo DEI, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Oſtendatur ergo 1. quomodo gladius iſte *Sanctus* ſit, tum quia à DEO ſanctitatis fonte ortum ſumit; tum quia verè Sanctos facit. Quomodo item ſit *munus à DEO*, cùm omne donum & datum optimum deſurſum deſcendat: Quomodo ſit *anceps* abſterrendo à vitijs, & impellendo ad virtutes Chriſtiano homine dignas. Quomodo ſit *efficax* juxta illud Davidis Pſ. 45. *Dedit vocem ſuam, & mota eſt terra*: Et ex prædicatione Chriſti & Apoſtolorum abundantiùs patet. Quomodo *penetrabilior* ſit omni alio gladio, utpote pertingens uſque ad diviſionem animæ, ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, ut veriùs de illo, quàm de gladio Goliathi dicatur: *Non eſt alter ſimilis huic.* 2. Oſtendatur, quomodo hoc gladio uti debeant, nempe eum ſtringendo, hoſtíque opponendo, juxta exemplum Chriſti, qui ſingulas Dæmonis tentationes ſententiâ S. Scripturæ objectâ eluſit. Demonſtretur proin practicè, quomodo idipſum quoque Auditores facere debeant.

VII. Ex occaſione thematis: *Prudentes Virgines aptate veſtras lampades.* Vel: *Prudentes autem ornaverunt lampades ſuas.* Matth. 25. poteſt Concionator pro felici auſpicio *Igniarium* (ein Feurzeug) offerre. Et 1. quidem oſtendere, quantopere neceſſarius ſit ignis amoris divini, ut lampades præparatas ac ardentes habeamus, & ad cæleſtes Nuptias admitta-

mittamur, quem in finem tota Parabola de Virginibus prudentibus & fatuis recenseri potest. 2. Dicat, se ideo à Christo missum, ut ignem hunc accendat in eorum cordibus, idéoque cum eodem Christo jure merito dicere: *Ignem veni mittere in terram* (& corda vestra) *& quid volo, nisi ut accendatur*? Luc. 12. 3. Dicat, se ad hunc finem igniarium offerre, ut sciant, quomodo hunc ignem accendere debeant. Sicut enim ad ignem excitandum tria requiruntur, chalybs seu ferrum percutiens, lapis percussus, & fomentum excipiens ignem, ita ad ignem amoris divini exsuscitandum requiritur Verbum DEI velut lapis ignitus juxta illud Luc. 22. *Nónne cor nostrum ardens erat, quando loquebatur nobis in via*? explicatio & meditatio affricans lapidem, & ignem eliciens juxta illud Psalmistæ Ps. 38. *In meditatione mea exardescit ignis*: Et cor bene exiccatum à delectationibus terrenis, ut dicere possit cum Davide Ps. 107. *Paratum cor meum, DEUS paratum cor meum.*

VIII. Ex occasione thematis: *Mandatum lucerna est & lex lux.* Prov. 6. potest Concionator pro felici auspicio lucernam parvulam & portatilem Auditoribus offerre. Et 1. quidem ostendere, quàm convenienter Verbum DEI Luci comparetur, tum quia illuminat juxta illud Psalmi 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*: tum quia accendit, & calefacit juxta illud Luc. 22. *nónne cor nostrum ardens erat, quando loquebatur nobis in via*? tum quia exiccat & purificat juxta illud Act. 15. *Qui novit corda DEUS, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, & fide purificans corda eorum.* 2. Ostendat, quantopere Diabolus huic luci insidietur, eámque extinguere conetur, sciens sine fide impossibile esse placere DEO. Eum in finem dicat, se lucernulam offerre, nempe *custodiam Verbi DEI auditi*, quæ quidē custodia quatuor requirit partes juxta quatuor latera lucernæ, nimirum 1. *attentam auditionem* juxta exemplum Samuelis 1. Reg. 3. dicentis: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* 2. *Accuratam meditationem* juxta exemplum Davidis Ps. 118. *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.* 3. *Crebram recordationem* juxta monitum DEI. Josuæ 1. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus & noctibus, ut custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo, & tunc diriges viam tuam, & in-*

& *intelliges eam.* 4. *Sedulam praxin seu executionem*, quia teste S. Paulo Rom. 2. *Non auditores legis iusti sunt apud* DEUM, *sed factores legis iustificabuntur*; & hæ quatuor custodiæ velut feneſtellæ arcent quatuor ventos seu conatus Dœmonis, quibus hunc ignem extinguere conatur, efficiendo scilicet, ut Verbum DEI non audiatur attentè, vel non ponderetur, vel oblivioni detur, vel executioni non mandetur.

§. II.

Quomodo pro felici anni novi auspicio habenda sit concio.

Thema.

Et vocatum est nomen ejus JESUS. Matth. 1.

Scopus.

Docendi Auditores, quomodo quisque secundùm suum statum vivere, & quid in eo maximè observare debeat.

Nota, hic Syllogismum principalem præmitti non posse, eò quòd multiplex valde doctrina, eáque prorsus disparata proponatur, nisi velis hunc generalem valde Syllogismum præmittere: Tunc SS. JESU nomen magni meritò faciendum est, quando salutares admodum per ejus literas doctrinæ omnibus statibus suggerentur; atqui verum est antecedens, ergo & consequens.

EXORDIUM.

Communis quidem apud nos Germanos consuetudo est, ut hoc die felicem quisque amico suo novum annum apprecetur; sed hæc apprecatio plerumque in nudis verbis consistit; pauci quippe sunt, qui medium offerant ad talem annum feliciter transigendum. Ego itaque meliùs observabo hunc morem; neque enim annum tantùm felicissimum, omníque bonorum genere refertissimum omnibus & singulis ex intimis præcordiis apprecor, sed talem etiam strenam offeram, quam si benevolè susceperint, &, ut ostendam, usurpaverint, certissimo hunc annum felicissimum sunt experturi. Est au-

tem hæc ſtrena non alia, quam SS. nomen JESU, quod hodierno die recens nato Infantulo ac Servatori noſtro impoſitum eſt; quod totum ſic omnibus offero, ut tamen ſingulis ſtatibus non niſi ſingulas literas ex eodem ſim oblaturus. Quid autem hæ literæ ſibi velint, & quàm ſalutares doctrinas contineant, jam nunc fuſiùs explicare aggredior, ſperans tantò majorem à vobis attentionem, quantò majorem ex hoc xenio & doctrinis fructum poteſtis exſpectare.

Narratio.

Dixerat quidem olim S. Paulus 2. Cor. 3. literam occidere, Spiritum verò vivificare, ſed utut hoc dictum in aliis materiis verum ſit, in SS. certè JESU nomine locum non habere videtur, utpote de quo cum veritate dici poteſt, quòd etiam literæ ſingulæ, quibus ſcribitur & depingitur, vivificem ſingulares doctrinas contineant. Scimus namque tribus ſi ordinariè literis majoribus, IHS, crucéque ſuper mediam literam ſtatuta depingi, quæ ſingulæ diverſis tribus hominum ſtatibus, qui in Republica reperiuntur, videlicet Clericis, Conjugatis, & Cælitibus perappoſitè conveniunt, & quid quiſque ſpecialiter obſervare debeat, pulcherrimè oſtendunt.

Confirmationis Pars Prima.

Et primò quidem I litera, quam Clericali Statui offerta percommodè oſtendit, tria capita ſeu documenta, quæ quivis Clericus diligenter notare & obſervare debet.

Nam 1. ſicut litera I eſt perfectiſſima ex omnibus (quia eſt ſimpliciſſima, rectiſſima, vocalis & conſonantis vicem obiens, & interdum integræ vocis ſignificationem continens, ut mox videbimus, habet item figuram columnæ, atque adeò Fortitudinis eſt Symbolum) ita Clericorum quoque Status eſt omnium perfectiſſimus, ut pulchrè indicavit Caſſiodorus, dum dixit: *Sacerdos DEI altiſſimi ſi Altitudinem cæli contempleris, altior es: Si Angelorum diſcretionem, diſcretior es: ſi omnium Dominorum ſublimitatem, ſublimior es: Solo Creatore tuo inferior es.* In ſpecie verò deſcendendo, & ſingulas illius perfectiones conſiderando, *rectiſſimus* inprimis eſt Status iſte, quia tantam vitæ rectitudinem requirit, ut quivis Cleri-

Clericus jure merito cum Chriſto dicere poſſit : *Quis arguet me de peccato?* ne,dum alios curare ſatagit, ipſemet audire cogatur tritum illud : Medice,cura teipſum. Præterea *ſimpliciſſimus* etiam hic ſtatus eſt , quia ut ipſum Clerici nomen,quod idem ac *Sors DEI* ſignificat,innuit , omnem ſuam ſpem deſiderium, ac voluptatem in Solo DEO collocare debet,diceréque proin cum S.Davide Pſ. 72 mihi autem adhærere DEO meo bonum eſt, & ponere in Domino DEO ſpem meam (& gaudium meum. Et tandem *firmiſſimus* eſt inſtar columnæ aut rupis in medio Mari hujus mundi poſitæ , ut quæ nec *fulmine* minarum, nec *flumine* voluptatum , nec *flumine* promiſſionum & blanditiarum ſe à rectitudine ſua moveri,& corrumpi ſinit.

2. Sicut I. litera eſt vocalis ſimul & conſonans, atque adeò non ſolùm ipſa per ſe Syllabam facit & pronuntiari poteſt; Sed etiam literas alias per ſuam conjunctionem ad Syllabam efficiendam juvat ; ita Clericus non ad ſuam duntaxat , ſed Proximi etiam ſalutem procurandam vocatus eſt; atque adeò,ut huic ſuo muneri probè ſatisfaciat, meritò JESUM, qui hodierna die nomen & officium Salvatoris ſuſcepit, pro Magiſtro & exemplari habere debet; ab hoc diſcere debet, quanti oves ſuas æſtimare debeat, nempe ut ſanguinem etiam pro eis fundere non dubitet : ab hoc diſcere debet, quantùm pro aliena ſalute laborare; quanta caritate, manſuetudine,& prudentia Oves ſibi commiſſas fovere, inſtruere, corrigere, & à periculis liberare debeat. Quod ut alacriùs faciat,meminerit, quòd, ſicut litera I quando Conſonantis vicem obit , paulò longiùs ſcribitur hoc modo (JESUS) ita ipſe quoque,dum aliorum ſalutem curat,non modò nihil de perfectione propria perdat (niſi ſponte damnum tale ſibi accerſat) ſed plurimùm potiùs lucrari , creſcereque in Sanctitate,merito,& ſolatio poſſet , cùm officium hoc, ſicut, teſte S.Dionyſio, *eſt omnium divinorum diviniſſimum*, ita majus quoque jure merito præmium, ſolatiúmque à DEO exſpectet.

3. Denique , ſicut litera I interdum integrum verbum eſt, idem ſignificans ac *Vade* ; ita Clerici per hoc monentur, quæ media adhibere debeant, ut officio ſuo bene fungantur ; quòd nempe inprimis exemplo præire , & in hoc Chriſtum

imitari debeant, qui suos in Galilæam, id est, morum conversionem ducturus dixit: Ego præcedam vos in Galilæam, ideóque & in vita cæpit *facere* & *docere*. Nimirum Clericus & Animarum Pastor Virgis à Jacobo Patriarcha in Canali positis similis est; hinc qualis ipse colores morèsque habuerit, tales etiam ipsius oves assument. Hinc meritò illa memorati Jacobi verba ad Esau Fratrem dicta erga Pastorem suum usurpant; *Præcedat Dominus meus ante servum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius, prout videro parvulos meos posse.* Gen. 33. Atque hæc videlicet causa est, cur tam pauci fructus nonnunquam ex Concionibus, aliisque functionibus Pastorum referatur, quia plerisque illud S. Hieronymi objici potest: *Delicatus Magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat: Accusare avaritiam etiam latro potest: Sacerdos Christi os, mens, manúsque concordent.* Promptitudo, quam in functionibus officij sui præseferre debet Sacerdos; quàm re meminisse juvabit, quod de S. Francisco Xaverio insigni illo Operario in vinea Domini scribitur, quòd scilicet tam promptus ad omnem Superiorum nutum fuerit, ut vel sola litera I à S. Ignatio literis inserta sufficiens futura fuisse credatur, ut ex remotissimis Indiis, abjectâ omni spe amplissimi fructus, Romam se collaturus fuisset. Pulcherrimum quoque hujus promptitudinis exemplum in ipso Christo habes, qui vocatus ad ægrum sine hæsitatione respondit: Veniam & curabo eum. Simili ergo modo Clericus Pastor ad ægrum vocatus, celeriter accurret, dicátque: veniam & providebo illum; ad captivum vocatus. veniam, & solabor illum; ad confessiones vocatus: veniam, & audiam illum, & sic de reliquis functionibus discurrendo. Hîc vel maximè observandum est Salomonis monitum Prov. 3. datum: *Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere, cras dabo tibi, cùm possis statim dare.* Hîc locum habet vulgare illud adagium: qui citò dat, bis dat. Hîc etiam, quod de Ducibus plerumque dicitur, quadrat, quòd scilicet omnis illorum ars & vigor seu *felicitas* in *velocitate* sit posita.

Confirmationis Pars Secunda.

2. Literam H Conjugibus offero, utpote quæ pari ratione pulchrè illis ostendit, quid in statu suo Matrimoniali ob-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſervare debeant nam 1. conjuugit duas lineas rectis per mediam, cui Chriſtus Crucifixus inſiſtit, ut diſcant Conjuges rectam in Matrimonio ineundo aut continuando intentionem habere, quod fiet, ſi bene priùs deliberent, num DEI voluntas ſit, ut hunc ſtatum ineant. Deinde bene deliberent, quem conſortem eligere debeant, ideòque dicent cum Apoſtolis Act. 1. *Tu, Domine, qui corda nôſti omnium, oſtende, quem, aut quam elegeris*; nam, teſte Salomone Prov. 19. *domus & divitiæ à Parentibus, à Domino autem uxor prudens.* Quia verò DEUS noſtram cooperationem requirit, ideo priùs conditiones boni viri vel mulieris indagandæ ſunt, illæ maximè, quas Chriſtus in ſponſa ſua conſideravit, dum, teſte S. Paulo Eph. 5. *elegit ſibi ſponſam non habentem maculam* (vitioſorum habituum) *neque rugam* (malæ famæ) *neque aliquid hujusmodi* (puta quod Matrimonium faſtidioſum facere poſſet) *ſed ut ſit Sancta & immaculata.* Qui talem conſiderationem omittunt, aut ad ſolam pulchritudinem aut divitias attendunt, ij quaſi in tenebris copulantur, atque adeò mirari non debent, ſi lippientem Liam pro amabili Rachele reperiant. Huc etiam pertinet, ut bonam intentionem præmittant ipſi copulationi, memores exempli à Tobia dati, qui c. 8. dixit: *Tu, Domine, ſcis, quia non luxuriæ causâ accipio Sororem meam conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula.* Hîc ergo maximè locum habere debet illud Apoſtoli 1. Cor. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid agitis, omnia in gloriam DEI facite.* Quòd pulchrè ſignificatur, quòd conjuges, quantùm fieri poteſt, pares eſſe debeant juxta illud Ovidij: *Si qua voles aptè nubere, nube pari*, hoc eſt: **Willſt/daß der Heyrath dir nicht fehl/ Mit deines gleichen dich vermähl.** Debet autem hæc paritas in quinque præcipuè capitibus conſiſtere. 1. in *Religione*: quia experientia oſtendit, plerumque Maritos ab alienigenis uxoribus ſeductos eſſe, ut in Samſone, Salomone, & aliis patet. 2. In *Ætate*: alioqui enim pronus in Zelotypiam eſt lapſus. 3. In *divitiis & opibus*: hinc ille quæſitus, cur uxorem ſine dote elegerit? reſpondit, ne dotis freno conſtrictus uxori nupſiſſe videar. 4. In *affectione & æſtimatione.* Hinc DEUS in prima creatione mulieris dixit: *Faciamus ei Adiutorium ſimile ſibi*, ut ſcilicet uxorem tanquam carnem ſuam diligat.

Hinc

Hinc & Apostolus Eph. 5. ait: *Qui suam uxorem diligit, ipsum diligit*, & S. Petrus 1. c. 3. Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem tanquam cohæredibus gratiæ & vitæ; quam causam Eva ex costa Adami creata est. 5. In *Supportatione* onerũ & mutuorũ defectuum juxta illud Apostoli Gal. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Hinc Conjuges deberent esse similes duobus illis Anserib... de quibus Simon Majolus in Canicularibus scribit, quòd ... gosita sibi connexi fuerint, ut, si unus ambulabat, alter pe... bus in altùm erectis ab eo portaretur.

3. Litera H est tantùm aspiratio, & si inversa lega... *ah* significat; per quod significatur Conjugibus; Statum Ma... trimonialem rem quidem plenam tribulationibus esse, jux... S. Pauli testimonium 1. Cor. 7. dicentis: *tribulationem ... men carnis habebunt huiusmodi*, hinc perpetuò similes lamentationes audiuntur: ah quàm malum Maritum aut uxorem habeo: ah quàm immorigeros Filios genui: ah quàm inf... dos Famulos sortitus sum! ah quàm durum Magistratum, quàm ingratos vicinos nactus sum &c. Sed tamen ne in ... desperent, Christum in medio consistentem effecturum; ... eo enim primum miraculum in nuptiis Canæ Galilææ fec... ut significaret, se esse, qui aquam tribulationis in vinum l... titiæ convertere possit, & velit. Si ergo sentiunt tribulation... nem ex mutuis defectibus & discordia, meminerint Christum ... inter ipsos stare & dicere: Pax vobis. *Tollite iugum meum ... super vos*, & mementote, vos quemadmodum duos boves ... jugo alligatos esse, qui, nisi quieti & communi labore jugum ... portent, frustra se defatigant, & difficultatem portandi onera ... graviorem faciunt. Si ex liberorum malis moribus tentationem & molestiam experimini, mementote, quantà cum ... Christus erga nos Homines Patris officium exercuerit, & ... etiamnum exerceat, & tamen quàm multos habeat ingratos ... ac immorigeros Filios, ita ut meritò illa Isaiæ verba c. 1. ... surpet: *Filios enutrivi, & ipsi spreverunt me*. Si ex Famulis ... gravitatem sentitis, imaginemini Christum quasi inter vos ... stantem & dicentem: *Discite à me quia mitis sum & humilis ... corde, & invenietis requiem animabus vestris*. Verbo: Christus semper in medio vestri sit, sicut olim fuit inter duos Discipulos

pulos in Emaus euntes, repetereque credatur verba illa: *nónne oportuit hæc pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*? cur ergo nos aliâ via intrare velimus? Sic experiemini aquam tribulationum in vinum gaudij & lætitiæ converti, & non annum duntaxat præsentem, sed totam etiam vitam vestram in felicitate transigetis.

Confirmationis Pars Tertia.

3. Denique Cælibibus & Juvenibus maximè literam S offero, quæ habet Serpentis figuram, ut significem difficultatem & periculum viæ hujus, de qua rectè dixit Salomon Prov. 30. *Tria mihi sunt difficilia, & quartam penitus ignoro, scilicet viam viri in Adolescentia sua.* Quantò ergo periculosior status est, tantò majorem curam adhibere debent, ut viam bonam eligant; quia sicut qui semel in principio itineris viam bonam non eligit, quò magis progreditur, magis errat; ita & ipsi, si statum, ad quem à DEO vocati sunt, non maturè arripiant, à via Justitiæ Christianæ & salutis propriæ magis semper declinabunt. Quæ autem melior via, quàm vita Christi, qui de seipso dixit Jo. 14. *Ego sum via, veritas & vita*? Ah hoc ergo discant 1. bona fundamenta in Juventute ponere; neque tempus inutiliter consumptum putent, etiamsi multos in iis ponendis annos impendere sit opus; habet enim hæc ætas se ut fundamentum, cui tota reliqua vita inniti debet; constat autem, quantùm momenti positum sit in ipso fundamento, ex cujus infirmitate totum reliquum ædificium, periculo ruinæ exponitur. Et sanè hoc ipsum experientia quotidiana confirmat; unde enim tam debiles & imperfecti Liberi? tam exiguæ opes? tam infaustæ in Republica expeditiones & administrationes? tam multa in statu Ecclesiastico Scandala exoriuntur? nisi quia liberi statum Conjugij, aut regiminis, aut curæ animarum suscipere coguntur aut permittuntur antè, quàm bona solidáque fundamenta posuerint? Discant ergo hunc errorem corrigere, & ad hoc ipsius Christi exemplum considerent, qui triginta annos voluit huic fundamento ponendo impendere, non quòd ipse tanto tempore egeret, sed ut nos pulcherrimo hoc exemplo ad imitationem provocaret, ac instrueret.

Discant 2. per literam hanc à Christo, in quibus maximè rebus

rebus proficere debeant, scilicet in Sapientia ac Sanctitate. Hæc, hæc sunt duo fundamenta, sine quibus nullus in reliquam ætatem fructus sperandus est. Hinc Christus nihil aliud de se ab anno duodecimo usque ad trigesimum scribi voluit, ut ostenderet, ad hæc duo omnia alia, quæ à Juvenibus addisci aut exerceri debent, revocari posse. Huc ergo omnis conatus & labor convertendus, certóque credendum est, non pulchrius aut accommodatius Juveni encomium aut testimonium dari posse, quàm si cum Christo profeciisse ætate, Sapientiâ, gratiâque coram DEO & Hominibus dicatur. Ut autem hunc profectum tantò faciliùs, certiúsque acquirant.

Discant 3. Quo potissimùm medio proficere debeant, scilicet *subiectione* pariter per literam S indicatâ. Hoc enim medio Christum usum fuisse S. Evangelista Lucas c. 2. testatur illis verbis: *Et erat subditus illis.* Et sanè necessitatem hujus medij jam olim Veteres ingeniosè ostendebant, dum Adolescentiam & Juventutem oculis velatis, dextrâ manu vinctâ, & sinistrâ extensâ pingebant, ut significarent, ejusmodi Personas habere semper difficultatem ad bene operandum, esse autem expeditas ad malè agendum, juxta illud Gen. 8. *Sensus & cogitatio hominis in mala prona sunt ab Adolescentia sua.* Sed & cœcum esse propter defectum experientiæ, atque adeò nisi aliorum consilio se dirigat, nihil effecturum. Certè quàm efficax medium ad proficiendum & crescendum sit Sapientia & Sanctitas Christus ipse quondam pulchrè Virgini, cuipam Religiosæ ostendit, dum eandem in specie parvi Pueruli visitavit, cúmque ipsa ad portam vocata (Janitricis enim munere fungebatur) mox relicto Christo ad eam properâsset, reversa eundem Christum in specie Juvenis reperit, quærènsque, quomodo tam grandis tempore tam brevi evasisset, audivit, per ipsius obedientiam tam grandem effectum esse.

Epilogus.

Atque hæc sunt, quæ pro felici novo anno obtinendo consilia occurrerunt, quibus hoc unicum dictum adijcio: Hoc fac, & vives, quia JESUS erit Salvator tuus, erit Magister tuus, & erit præmiator tuus, in hac quidem vita per benedi-

ctio-

ctionem copiosam, in altera verò per coronationem gloriosam, quam nobis is propter SS. nomen suum gratiosè concedere dignetur. Amen.

Alii Conceptus.

I. Ex occasione novi anni poterit Concionator alia ejusmodi Xenia aut Strenas Spirituales offerre. Et 1. Quidem JESULUM recens natum, vel ejus effigiem. Ein JESUS Kindlein. Dicat ergo pro exordio, Varia à variis Xenia offerri, sed quæ plerumque in angulo vel cista recondantur; Se verò daturum tale Xenium, quod semper cupiat ob oculos ipsorum versari, nempe JESULI effigiem, ita tamen ut diversis diversam sit daturus.

Et 1. Quidem *Clericis* dicat auream se offerre, ut meminerint, se dignitate Laicos excedere, sicut aurum alia metalla superat, adeóque in vita quoque Sanctitate ac perfectione eosdem superâre studeant. 2. Sicut aurum valde potens est ad humana corda attrahenda splendore suo, ita & illos debere splendore doctrinæ, & bono exemplo vitæ suæ homines ad meliorem viam reducere. 3. Sicut aurum mirè confortat cor, ita ipsos quoque afflicta & perturbata pectora roborare, & consolari debere.

II. *Coniugatis* dicat se argenteum JESULUM donare. 1. Ut meminerint, sicut argentum longè vilius est auro, ita se quoque Clericis longè inferiores esse, atque adeò debitam reverentiam ipsis exhibere, & per unionem cum illis ornamenta varia accipere debere. 2. Ut studeant valdè puri esse & læves ac nitidi, sicut argentum; quia debent bono exemplo præire domesticis, & quodammodo dicere posse: Quis arguet me de peccato? 3. Ut, sicut per argentum necessaria ordinariè comparantur, ita ipsi sint loco argenti Domesticis suis, & omnia necessaria illis quoad corpus & animam sollicitè & amanter provideant, ita ut aliquando dicere illis possint: Quando vobiscum eramus, numquid aliquid defuit vobis? alioqui verendum erit, illud Apostoli 1. Tim. 5. *Si quis autem Suorum, & maximè Domesticorum curam non habuerit, fidem negavit, & est infideli deterior.*

III. *Iuvenibus & Virginibus* dicat se JESULUM ex Cera Virginea offerre, ut inde discant 1. potissimum suum studi-

um

um esse debere in candore & puritate mentis & corporis procuranda & conservanda. 2. Ut meminerint, etiam colorem præcipuè rubrum verecundiæ & modestiæ exterioris jungere juxta illud monitum Apostoli Philip. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete; modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Quod maximè curandum est, si Christum Amicum habere velint ac protectorem, nam *ubi Christus ibi modestia est*, teste S. Gregorio Nazianzeno. Hinc S. Edmundo apparens dixit, se lateri ejus in Schola adhærere. 3. Ut meminerint, sicut imago cerea fragilis est, ita suam quoque ætatem ac statum infirmam, & ruinæ expositam esse, ideoque diligenter se custodiant, & non multùm vagentur foris, maximè inter pericula, ne pulverem & Sordes animi contrahant & JESULUM quoque suum deperdant.

IV. *Famulis & Ancillis* ligneum JESULUM se offerre deceat, ut meminerint 1. se in infimo gradu esse, atque adeò libenter se cum Christo qui propter ipsos formam servi assumpsit, subijciant, & perfectæ obedientiæ studeant. 2. Ut bene ponderent pro sua consolatione, sicut, etiamsi JESULUS effigies lignea, cedat aureæ & argenteæ quoad materiam, non tamen est minori honore digna, quàm aurea, imò miraculosa Christi imagines plerumque ligneæ sunt; ita nec se apud DEUM & Sanctos minoris meriti & æstimationis fore, si JESULUM per veram obedientiam & humilitatem repræsentent. Itaque sint contenti suo statu, & sibi applicent illud Siracidis consilium c. 11. *Confide in DEO, & mane in loco tuo; facile est enim in oculis Domini, subitò honestare pauperem.* Talis sanè & tantis quisque est, qualis & quantus est apud DEUM, dixit humilis S. Franciscus.

V. In Epilogo hortetur, ut boni consulant hoc donum, & in memoria vivaciter teneant, &, sicut olim Judæi in tristitia vel tribulatione constituti dicebant ad se invicem: Eamus ad JESUM Filium MARIÆ, ut hilares fiamus; ita & ipsi in omnibus suis necessitatibus ad suum JESULUM confugiant, tantò copiosiùs experturi auxilium, quantò magis se eorum in ipsum fiducia se extenderit.

Conceptus Secundus.

Ex eadem occasione poterit dicere, se pro Xenio oblato

rum *literas censuales*, quas si habuerint,& retinuerint, nihil ipsis sit defuturum toto anno imò per totam vitam. In propositione dicat, has literas non esse alias; quàm sententiam illam: *Quærite primùm regnum DEI,& iustitiam eius,& hæc omnia adijcientur vobis*; hanc quippe sententiam habere omnes conditiones, quæ in literis censualibus optari possunt.

Nam 1. *Pauca exigunt, & multa promittunt*; nam pollicentur omnia,quæ ad sustentationem corporis & animæ sunt necessaria: exigunt autem solam scilicet Mandatorum divinorum observationem; atqui mandata ejus gravia non sunt,teste S Joanne 1. Jo. 5. & ipsemet dixit,*Iugum suum suave esse,& onus suum leve.* Matth. 11.

2. *Septem firmissimis sigillis sunt munitæ & confirmatæ*, septem scilicet titulis,quos DEUS in justo reperitur exigere, ut ei necessaria non neget; nempe quòd sit Creatura, Homo, Christianus, Servus, Amicus,Filius,Sponsa; si ergo lilia & aves sic pascit, quantò magis Hominem, Amicum, Filium &c.

3. *Qui eas dedit*,potens est dare,quod promisit, quia omnipotens est; & vult stare promissis,quia fidelissimus est, & fallere non potest. Et verò etiam experientia id satis confirmavit in Israëlitis per conturnices,manna, aquam ex Silice, Eliæ panes à Corvo allatos: In Apostolis item & Eremitis novi Testamenti,ita ut meritò dixerit S. David Ps. 36. *Iunior fui,etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem,*

4. In Epilogo animentur omnes ad literas has censuales diligenter asservandas, & liberis etiam commendandas; caveant verò ne vel eas lacerent per peccatum veniale, vel omnino eas per mortale peccatum amittant & destruant, sed potiùs de illis sibi dictum putent, quod Salomon Prov 4. suasit: *Omni custodia serva cor tuum*(& literas has tuas) *quoniam ex ipso vita procedit*, id est, felicitas tua oritur,nam & hîc tibi temporalia,& ibi æterna bona adijcientur.

Conceptus Tertius.

Non incommodè poterit etiam pro Xenio Spirituali Horologium offerri; sicut enim sine Horologio materiali tota

Reſpublica difficulter bene adminiſtratur (unde Carolus Quintus ex ejus bona vel mala directione bonum vel malum ſtatum alicujus Civitatis collegit) ita multò magis ex horologio Spirituali animæ omnis bona adminiſtratio & felicitas animæ dependet.

Dicat ergo Concionator hoc horologium nihil aliud eſſe, quàm ipſam vitam cujusque rectè & ordinatè inſtituam. Sicut enim Horologium tribus præcipuè partibus conſtat, Indice & hora diſtincta, æquilibrio & rotis mobilibus (die Bnruhe) & ponderibus, ita pariter hæc tria ad vitam rectè ordinandam requiruntur.

Nam 1. Sicut Index, ut horas ritè indicet, debet non voluntatem Directoris, ſed ſolis curſum & motum ſequi; ita vita quoque noſtra, ut ordinatè & rectè inſtituatur, non ſecundùm propriam cujusque hominis voluntatem, ſed juxta DEI ſeu Solis Juſtitiæ beneplacitum actiones quotidianas velut *horas* per bonam intentionem velut *Indicem* deſignare & imperare debet. In his enim quotidianis actionibus rectè obeundis tota cujusque hominis perfectio conſiſtit, ut communiter docent Aſcetæ. Hinc S. Auguſtinus in Pſ. 150, ait: *Vis ſemper laudare* (& amare) *DEVM? benè fac omnia, quæ facis, & laudâſti ſemper* (ac amâſti) *DEVM.* Et hæc perfectio omnibus communis eſt, ad quem Chriſtus Matth. 12. invitavit dicens: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*; id eſt, ſicut ille omnia, quæ fecit, fecit valde bona, ita & vos omnia, quæ agitis, perfectè facere ſtudete; neque enim ad hoc requiritur rigor pœnitentiæ, cùm vita quotidiana ſit optima pœnitentia, ut rectè quondam Joannes Berchmannus è Societate JESU dicebat: Sed nec ſpatia producta orandi exiguntur, quia, *qui conſervat legem, multiplicat orationem*, teſte Siracide Eccl. 35: nec abſtinentia à rebus mundanis, ſed tantùm ut ſuam quisque Perſonam, ſuásque actiones quotidianas rectè obeat.

2. Per rotulas & æquilibrium potentiæ animæ tam internæ (videlicet memoria, Intellectus, & voluntas) quàm externæ quinque ſenſuum & potentiæ loco motivæ intelliguntur; hæ enim omnes niſi conſpirent, omnia confiſtent horásque confusè & perversè Index indicabit. Hinc DEUS præcepit: *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, ex tota anima*

anima, viribus, & fortitudine &c. Et Ecclesiasticus hortatur c. 33. *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Bene notandum tamen, quòd plurimùm in libramento (der Wuruhe) per quod discretio intelligitur, sit positum, uti bene S. Bernardus advertit, dum dixit: *Tolle discretionem, & virtus iam non virtus, sed vitium erit; hæc enim omni Virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem & perpetuitatem confert, éstque non tam virtus, quàm quædam Moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, & doctrix morum.*

3. Et potissimùm pondus in horologio requiritur, per quòd amor DEI intelligitur juxta S. Augustini testimonium dicentis: *Amor meus, pondus meum; hoc feror, quocunque feror.* Quasi dicere voluerit, bene quidem fieri, si actiones nostræ propter præmium peragantur, sed incomparabiliter meliùs, si propter amorem DEI suscipiantur; sicut enim plumbum ab auro, ita actio ob præmium ab actione propter amorem DEI peractâ superatur. Hinc tantopere DEUS semper amorem commendavit, præcipuè Cant. 8. *Pone me ut signaculum super brachium tuum*, ut tam desideria, quam opera ad mei amorem ac beneplacitum dirigantur.

4. In Epilogo hortetur, ut non modò hoc horologium benevolè suscipiant, sed etiam benè dirigere studeant, eúmque in finem illam S. Petri Damiani sententiam sibi dictam putent: *Noverit significator horarum, quia nulla magis in Monasterio* (& homine) *quovis est oblivio fugienda; si enim articulum suum cuiusvis Synaxis hora vel præventa, vel dilata non teneat, omnem procul dubie subsequentium horarum ordinem turbat.* Quia verò ut rotulæ bene officium suum obeant, sæpius ungendæ sunt, ideo unctionem istam per frequentem orationis & Sacramentorum usum, quibus gratia divina impetratur, perficiant, sic enim futurum est, ut & in hac vita bonus Reipublicæ status sit futurus, & melior olim in altera secuturus.

Conceptus Quartus.

Aliàs poterit dicere, se quidem hoc anno nullum Xenium oblaturum, sed tamen artem docturum, quâ Xenium sibi gratissimum & utilissimum conficere queant, nempe aurum verissimum, & præstantissimum & copiosissimum.

In prima ergo parte probet opera bona esse optimum & ve-
rissimum aurum juxta illud S. Bernardi in S. de Sexag. *Fra-
tres si divites esse cupitis, veras divitias amate. Sola vera di-
vitia sunt, quæ nos virtutibus divites faciunt.* In specie ver-
id ipsum probet ex tribus virtutibus seu effectibus aur-
1. Quia sicut aurum valdè conducit ad DEUM Sanctos-
honorandos (si ad eorum honorem aurea vasa & similia fie-
pro templis jubeantur) & amicos conciliandos; ita mult-
magis eundem finem per opera bona obtinemus, cùm jux-
communem seusum Doctorum, pulcherrimus & gratissim-
DEI & Sanctorum cultus sit vita. 2. Quia sicut auro obe-
diunt omnia, ideóque ad omnia emenda est utile; ita bon-
opera, & pietas, quæ per ea exercetur, ad omnia utilis est, ita-
S. Paulo 1. Tim. 4 Et S. Joanne dicente 1. Jo. 3. *Si cor no-
strum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEVM, &
quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* 3. Quia miram ha-
bet virtutem ad cor confortandum; ita multò magis co-
roborant opera bona, ante mortem (quia *secura mens quasi
iuge convivium* Prov. 15.) in morte (quia gaudebis semper
vespere, si diem insumas fructuosè) post mortem, quia *opera
illorum sequuntur eos.* Apoc. 14. sicut S. Barlaam pulchrè per
parabolam trium Amicorum declaravit, quorum primus tan-
tùm vestem obtulit, alter ad fores & domum Judicis comita-
tus est, tertius in ipso judicio defendit, uti fusiùs in Spec. Ex-
tit. Amicus ex 1. videre est.

In 2. parte ostendat, quid requiratur ad hoc aurum facien-
dum, nempe 1. *Fornax*, (id est, cor juxta illud Matth. 19. *De
corde exeunt cogitationes &c.*) & *ignis* caritatis, cujus necessi-
tatem S. Paulus 1. Cor. 13. indicavit, dum dixit: *Si distri-
buero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero
corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, ni-
hil mihi prodest.* Hinc ante quodvis opus principale cla-
mandum: *Veni S. Spiritus, reple tuorum corda Fidelium, &
in nobis amoris ignem accende.* 2. *Materia apta*: qualis sun-
actiones bonæ aut saltem indifferentes, non autem actiones
prohibitæ, alioqui audiretur illud 1. Reg. 15. *Numquid vult
Dominus holocausta & victimas, & non potiùs, ut obediatur vo-
ci Domini? melior est enim obedientia, quàm victimæ.* 3. *La-
pis Philosophicus*, Elixir ab aliis dictus ab aliis alia nomina
acci-

accipiens, per quem Chriſtus intelligitur, tum ut ad illum tanquam cauſam exemplarem reſpiciamus, & imitemur; tum ut ad illum tanquam cauſam efficientem & cooperantem confugiamus, cùm dixerit Jo. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*; tum denique ut ad illum tanquam cauſam finalem actiones noſtras per bonam intentionem dirigamus.

In Epilogo hortetur ad artem hanc exercendam illis Chriſti verbis Matth. 6. *Nolite vobis theſaurizare theſauros in terrâ &c. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi Fures non effodiunt, nec furantur.* Sed & Liberos ſuos doceant uſurpantes illa Tobiæ Senioris verba Tob. 4. *Nolite timere, Filii mei, pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus DEVM, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene*, nam & hîc luſtentationem neceſſariam, & ibi æternam beatitudinem habebimus.

Conceptus Quintus.

Simili modo poterit pro Xenio caput Jani offerre, diceréque in Exordio, ideo à Januario annum novum inchoari, ut indicetur eos, qui annum talem felicem habere cupiunt, caput Jani duas facies habentis aſſumere, & uno quidem ad præterita reſpicere, altero futura providere, & ex illis vitam ſuam Sapienter ordinare debere, quemadmodum Rex Janus fecit, qui ob eam cauſam cum duobus capitibus pingitur.

1. Ergo dicat illius faciei, quâ præterita reſpicere debemus, oculo dextro beneficia à DEO anno Superiore accepta nos intueri debere, nam, teſte Caſſiodoro, *iugiter ſibi ſubvenire facit, cui collatum beneficium ſemper ob oculos aſſiſtit*; è contrario verò, ut benè S. Bernardus advertit, *gratiarum ceſſat Diſcurſus, ubi recurſus non fuerit*; *nec modo nihil augetur ingrato, ſed etiam in perniciem vertitur*; nam, quantò majora ſunt hominibus beneficia conſtituta, tantò peccantibus gravíora judicia ſunt præparata. Imitari ergo debemus flumina ad locum, unde exeunt, revertentia, ut iterum fluant, diceréque cum Davide Pſ. 102. *Benedic anima mea Domino, & noli obliviſci omnes retributiones eius &c.* Siniſter verò oculus ad præterita peccata conijciendus, atque in memoriam

illa S. Pauli sententia revocanda Rom. 6 *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Imitandus proin Filius prodigus, dicendúmq; cũ eo: *Pater, peccavi in cœlũ, & coram te &c.* qúia peccavi in conspectu tuo post fidẽ toties datã, post veniã toties obtentã, hodie, ô Christe, primò sanguinẽ fudisti, ergo per hunc ampliùs lava me, & à peccato meo munda me. Hodie nomen JESU & titulum Salvatoris nactus es, ergo propter nomen Sanctum tuum esto mihi JESUS, & Salva me. Hodie primum vulnus accepisti; per illud ergo rogo te, ut cures vulnera animæ meæ, & facias me sincerè servire tibi. Hodie legem sponte impleviſti; ah offer æternò Patri hanc observationem pro transgressionibus meis, & doce me facere voluntatem tuam. Nunc tandem agnosco, quàm verè sit dictum? Vanitas, præter amare te, & tibi soli servire. Serò te amavi, ô pulchritudo tam antiqua & nova; serò te amavi. Dixi, nunc cœpi. Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Confirma, quod operatus es in me.

2. Alterius faciei, quâ futura respicenda sunt, oculus dexter ad futuras actiones ut bene ordinentur, convertendus est. Hoc ut efficacius præstemus, tria observanda sunt. 1. Ut tempus magni æstimemus, imaginemúrque nobis illud esse thesaurum quasi apertum, ex quo, quamdiu vivimus, exportare possumus, quantùm volumus meritorum cœlestium, atque adeò illud Ecclesiastici c. 14. dictum nobis de eo credamus; *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* 2. Ut bene observemus conditiones ad opus meritorium requisitas; neque difficile hoc credamus, si ad præmium propositum oculos reflectamus; quis enim Operarius hæc omnia & plura non libenter & facilè præstaret, si pro quovis motu aureus nummus illi promitteretur? quantò faciliùs ergo erit hæc præstare, si gradum gratiæ & gloriæ omni thesauro terreno pretiosiorem pro quovis opere promissum credamus. 3. Est, ut easdem nostras actiones bene etiam applicare studeamus, & exemplo SS. Joachim & Annæ in tres partes dividamus, & primam quidem, id est, fructum honoris & laudis DEO tribuamus, alteram, nempe fructum meritorium nobis servemus; tertiam denique, videlicet fructum Satisfactorium & impetratorium pauperibus, tam viventibus quàm defunctis transcribamus. Sinister oculus

ad

adea,quæ patienda sunt,convertendus, ubi iterum tria præstanda. 1. Ut certò nobis persuadeamus, debere omnes nos per multas tribulationes introire in regnum DEI. 2. Ut bene artem patiendi discamus,quæ in hoc consistit,ut patienter, libenter ,& alacriter patiamur. 3. Ut semper myrothecium paratum in memoria habeamus,quo vel per considerationem Christi vel memoriam infernalium pœnarum,vel cælestium gaudiorum spem nos roboremus, & ad patientiam excitemus.

In Epilogo dicat: *Quis est homo,qui vult vitam, & diligit dies videre bonos.* Ps. 33. *declina à Malo, & fac bonum &c.* Eum in finem audiamus consilium Salomonis Prov. 3. dicentis: *Honora Dominum de tua substantia,& de primitiis frugum tuarum*; offeramus ergo hodie has primitias, & 1. gratias cum S.David agamus dicentes: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi &c.* Ps. 115. 2. Cum servo Evangelico Matth. 18. dicamus: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* 3. Cum eodem S. Davide Ps. 76. dicamus: *Dixi,nunc cœpi.* Sic novum annum feliciter inchoabimus,feliciter continuabimus, & feliciter finiemus, & post plures annos simili modo absolutos annum felicissimum æternitatis inchoare merebimur,quem nobis concedat &c.

Conceptus Sextus.

Ad eundem finem poterit ei Cultellus Lapideus,quo Christus circumcisus est,servire, quem poterit variis Personis offerre.

In Exordio itaque dicat, varias à variis causas afferri, cur Christus circumcidi voluerit,optimam tamen videri, quòd, sicut legem veterem abrogavit, novámque perfectiorem substituit; ita & circumcisionem materialem seu carnalem in Spiritualem longè præstantiorem & utiliorem mutaret. Ut ergo & Auditores hanc ritè & cum magno fructu peragere queant,se cultellum,quo Christus circumcisus est, pro Xenio oblaturum,&,quomodo variæ Personæ eo uti debeant,ostensurum.

1. Ergo dicat se eum Clericis offerre, ut eodem partim domi abscindant, quidquid ipsorum altissimum statum minùs decere potest,sícque impleant S. Augustini saluberrimum

monitum dicentis: *In omnibus moribus vestris nihil reperiatur, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat Sanctitatem.* Partim ut publicè resecent in Concionibus in utilia germina vitiorum, quæ suis subditis speciatim nocere possunt; ipsis enim hujus *vineæ* cura commissa est, quam tantò diligentiùs colere debent, quantò majorem debebunt reddere rationem, si negligant: & quantò præstantius vinum solidæ consolationis sperare poterunt, si accuratè eam excolant.

2. Dicat, eundem cultellum se Magistratui offerre, ut eo respectu Reipublicæ sibi commissæ utatur velut *Medicus respectu corporis*, præcipuè autem, ut resecet putrida membra, quæ totum corpus inficere possunt, qualia sunt Hæretici, Judæi, Fures, Latrones, Usuratij, Meretrices &c. Deinde ut eodem ulcera Sanorum membrorum, id est, graviora scelera subditorum incidant, ne magis crescendo gravia damna Reipublicæ creent. Item ut eodem dividant, quæ juxta Justitiam distributivam dividere oportet. Quæ omnia tantò accuratiùs servare debent, quantò majus & præstantius Reipublicæ corpus est, quantóque adeò majorem vel honorem & præmium, vel dedecus & pœnam sperare vel timere possunt, si bene vel malè Medici officio fungantur, si enim Siracides de quovis Medico dixit: *Honora Medicum propter necessitatem* c. 38. quantò magis illum, qui tam ampli & pretiosi corporis sedulam curam gerit, honorare ac præmiare oportebit?

3. Dicat, se eundem Patribus familias offerre, ut *Domesticos* suos velut *arbores* intueantur, & ab iis inutiles ramos præcidant, eorum maximè vitiorum, quæ domesticæ disciplinæ, pacique obesse possunt, qualia sunt tepor in orationis studio, inobedientia, discordia, scurrilitas, otium, impudicitia, Fidelitatis neglectus &c. quæ omnia tantò diligentius præscindere oportet, quantò uberior ab his arboribus fructus non in ipsos duntaxat Patres familias, eorúmque subditos, sed totam etiam Rempublicam, & tam militantem, quàm triumphantem Ecclesiam redundaturus sperari potest. Hinc Christus tam gravibus verbis ad hanc Curam excitat, dum 1. Tim. 5. dicit: *Si quis suorum, & domesticorum maximè curam non habet fidem negavit, & est infideli deterior.*

4. Dicat, ſe eundem cuivis privatæ Perſonæ offerre, ut ſeipſam *velut hortum* conſideret, cujus areolæ ſunt porentiæ, flores verò actiones virtuoſæ, quæ à potentiis oriuntur, & à DEO, Cælitibúsque cum voluptate decerpuntur. Quia verò plerumque Spuria vitulamina ſe immiſcent, qualia ſunt vana gloria, ſocordia, amor proprius, ſenſualitas, tepiditas, immanſuetudo, impatientia, inconſtantia, ideò perpetuo cultro opus eſt, quo ejusmodi germina præcidantur, ne humorem bonum gratiæ divinæ, & fervoris exugant, & hujus defectu flores exareſcere faciant. Ad hoc nos hortatur S. Paulus 2 Cor. 4. dicens: *Semper mortificationem IESV in corpore noſtro circumferentes &c.* quia, ut Sapienter S. Bernardus S. 58. ſuper Cant. advertit, *parùm eſt, ſemel putâſſe, ſæpe putandum eſt; imò, ſi fieri poteſt, ſemper; ſemper enim, quod putari poteſt, ſi non diſſimulas, invenies.*

Pro Epilogo hortetur, ut non modò benevolè hunc cultum accipiant, ſed etiam ſtudioſè utantur, eúmque in finem illa DEI verba Jer. 4. ſibi dicta putent: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum viri Iuda, & habitatores Ieruſalem, ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit, qui extinguat.* Sed & quivis circumciſionem circa ſe faciendam æquo & alacri animo admittat, credens de ſe quoque dictum illud Act. 15. *Quia, niſi circumcidamini, non poteſtis ſalvari*; nam ſicut Chriſtus nomen ſuum per circumciſionem obtinere debuit, ita & nos ſalutem per idem medium ſpiritualiter applicatum obtinere debemus, quod nobis concedat &c.

Conceptus Septimus.

Poterit etiam utiliter duos annulos, & cum iis æternitatis tam miſeræ, quàm felicis memoria pro Xenio offerri.

In Exordio itaque dicat, olim Apud Romanos nemini conceſſum fuiſſe alium annulum, quàm ferreum portare; poſtea verò etiam aurei uſum conceptum fuiſſe, ſed ſolis nobilibus (unde poſtmodum magnitudo victoriæ ab Hannibale apud Canas reportatæ ex eo conijciebatur, quod aliquot modij aureorum annulorum collecti ſint ex funeribus nobilium Romanorum,) ſe tamen optare, ut ſui Auditores omnes utrumque talem annulum portent, & per ferreum quidem æternita-

tis miseræ Damnatorum; per aureum verò æternitatis felicissimæ Beatorum memoriam refricent; vix enim explicari posse, quantopere conducat hæc memoria ad vitam Sanctè instituendam; cujus rei clarum exemplum in S. Davide habemus, qui, cùm Ps. 26. dixisset, *cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui*? mox effectum subjungit: *Exercitabam, & Scopebam Spiritum meum.* Sed & Miles ille expertus est, cui Alexander Magnus annulum dederat eâ lege portandum, ut æternitatis meminisset; vix enim eum portare inceperat, & totus mutatus est. Ut ergo & ipsi Auditores similem fructum referant, dicat, se ostensurum, quàm efficaces sint suprà descripti annuli ad hunc finem obtinendum, & quomodo iisdem uti debeant.

In propositione ergo dicat, varias olim fuisse Philosophorum sententias circa quæstionem, quâ quærebatur, in quo sapientia & perfectio Hominis consisteret? Sed in hac controversia optimè & brevissimè sensum suum explicâsse Epictetum, dum sapientiam in duobus vocibus istis: *abstine, & sustine*: consistere dixit; nam, ut S. Augustinus etiam advertit, nihil æquè nos impedit à profectu, & quàm malè ardens cupiditas, aut malè jacens timiditas. *Omnia peccata*, ait in Ps. 79. *duæ res faciunt in homine, cupiditas & timor. Cogitate, discutite, interrogate corda vestra, perscrutamini conscientias, videte, utrum possint esse peccata, nisi aut cupiendo, aut timendo.* Contra hæc autem duo impedimenta vel maximè hi duo annuli defendunt.

In primo ergo annulo dicat scripta esse hæc verba: *Momentaneum, quod delectat; æternum, quod cruciat.* **Was wohl thut / währt ein kleine Zeit: Was weh thut / währt in Ewigkeit.** Hanc ergo sententiam aspicere & legere debemus, quoties ad illicitas voluptates allicimur. Quem enim non absterreat hæc cogitatio? quis ignea in crate vel fornace per medium duntaxat quadrantem torreri vellet, ut quantacunque hujus Mundi voluptate frueretur? quantò minùs ergo eam appetet, ut æternis ignibus uratur? Ita sanè extinxit libidinis flammas Monachus ille, qui ad luxuriam provocatus digitum candelæ applicuit dicens: Videamus priùs, quàm consentiamus; an æternós ignes possimus sustinere? Sed & Falço famosus Peccator hâc considerationè con-

versus est, dum noctu dormire non potens hanc cogitationem concepit: Ecce in molli lecto jacens tantam molestiam ex insomnia pateris, quid acciperes, ut per totam æternitatem tali modo jaceres? Sanè non omnes mundi voluptates. Quantò minùs eas accipere deberes, ut etiam cruciarêris, & quidem tam horrendè in æternis ignibus? Et sanè si cruciatus non forent, sola privatio gloriæ etiam sufficeret ad hanc abstinentiam obtinendam; si enim Famelicus ad convivium magni Domini vocatus libenter & facilè per breve tempus famem patitur, & mucido pane abstinet; an homini ad æterna gaudia invitato difficile esse poterit, per modicum vitæ tempus voluptatibus abstinere? Ita sanè S. Silvanus se animabat, quando ad aliquid delectabile aspiciendum incitabatur; sic enim oculos alloquebatur: Claudamini oculi mei, claudamini, & ad meliora vos gaudia reservate. Simili ergo modo se quivis in simili tentatione aut alia constitutus alloqui deberet. Nec dicas posse te nihilominus æternam felicitatem obtinere, si scilicet in vitæ fine pœnitentiam agas; nam, ut omnia alia argumenta taceam, quibus plerumque hæc stulta & noxia præsumptio refutatur, hoc unum dico, nimis incertum esse, an pœnitentiam hanc acturus sis; nulla autem satis magna securitas est, ubi æternitas periclitatur.

In altero annulo dicat hæc verba esse scripta: *Momentaneum, quod cruciat: æternum, quod delectat.* **Was wehe thut/ wehrt ein kleine Zeit: Was wohl thut/ wird in Ewigkeit.** Húncque annulum aspiciendum esse, quoties in gravem aliquam adversitatem incidimus. Ita sanè Mater Machabæorum Filium suum animabat dicens 2. Mach. 7. *Peto, Nate, ut aspicias ad cœlum & ad terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, ita fiet, ut non timeas Carnificem istum. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, teste S. Paulo Rom. 8. *Et*, ut S. Hieronymus dixit: *Nullus labor durus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria æternitatis emitur.* Si enim Jacobo Patriarchæ tot anni in durissimis laboribus exacti visi fuerunt breves præ amoris in Rachelem magnitudine; quidni breviores nobis accident quanticunque anni, ut fruamur pulchritudine infinita DEI? si Diabolus ipse olim confessus dicitur, se libenter omnia Damnatorum tormenta toleraturum usque ad judicii diem, si unico

unico momento DEUM aſpicere permitteretur, quid nos non libenter tolerabimus, ut æternùm aſpicere eum poſſimus? O quàm bene S. Bernardus dixit: *Vtinam ſaperent & intelligerent, & noviſſima providerent, ut æternitatis imago reformatur in nobis, videlicet ut præſentia moderemur, præterita per intelligentiam iudicemus, & noviſſima prouideamus per cautelam.*

Pro Epilogo hortetur, ut duos hos annulos tanquam ſingulare donum non tam à ſe, quàm à DEO accipiant, ut qui jam olim P. Chriſtophorum Carum Societatis JESU Presbyterum juſſerit hæc pauca verba aſſiduò voluere: *O æternum! O momentaneum! O longum! O breve!* Hæc ergo & ipſi voluant, & ſecundùm illa vitam ordinent. Eum in finem audiant S. Bernardum ſ. 15. ad Clerum dicentem: *Non transeunt opera noſtra, ut videntur, ſed temporalia quaque velut æternitatis ſemina iaciuntur. Quale ſemen ſparſeris, tale & metes.* Claudat denique concionem ſalutaribus illis verſibus:

O Ewigkeit / O Ewigkeit /
Wie biſt ſo lang vnd breit!
Betracht O Menſch die Ewigkeit/
Freud ewig / ewig leyd.
Wilſt ewig vermeyden /
Das ewige leyden /
Wilſt ewig nicht ſcheyden /
Von ewigen Freuden /
Betracht die Ewigkeit.

Conceptus Octavus.

Non ingratum quoque Auditoribus Xenium futurum eſt, ſi Calendarium ſpirituale illis offerat. Itaque pro exordio dicat, varia quidem hoc tempore Calendaria pro Xenio ab Aſtrologis & Typographis offerri, ſed quæ ob fallaciam & falſitatem ſuam plerumque plus indignationis & detrimenti, quàm utilitatis & ſolatii afferant; ſe proinde gratius Calendarium illis oblaturum, utpote in quo non niſi certiſſima quæque, & optima prædicantur, quódque non ab Homine confectum, ſed ab ipſo DEO dictatum fuerit.

In propoſitione poſtea narret, quod aliquando S. Catharinæ Senenſi evenit, dum Chriſtum rogavit, ut viam oſtenderet di-

redignaretur, quâ ad veram animæ pacem pervenire posset, audivitque ab eo, pacem hanc non aliter, quàm per voluntatis suæ cum divina perfectam conformationem obtineri; ut autem hanc conformationem tantò faciliùs obtineat, Potentiam, Sapientiam, & Bonitatem DEI infinitam ab eo assiduò ponderari, & firmiter credi debere.

Hâc narratione præmissâ dicat, totum Calendarium duabus propositionibus constare, quarum prima est: *Nihil accidere cuiquam potest sine DEI permissione*: si enim Diaboli olim in porcos introire non poterant, priusquam à Christo id permitteretur, quantò minùs homines vexare quisquam poterit sine voluntate DEI? Hinc meritò idem Christus Pilato dixit Joan. 19. *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Et iterum Matth. 10. *Nónne duo passeres asse veneunt? & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. Vestri autem capilli omnes numerati sunt.* Altera est: *Omne, quod accidit, optimum est cuique. quia*, teste S. Paulo Rom. 8. *diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum.* Hinc meritò Josephus Patriarcha Fratribus suis dixit Gen. 50. *Nolite timere; num DEI possumus resistere voluntati? vos cogitâstis de me malum; sed DEVS vertit illud in bonum.* Et S. Chrysostomus: *Quid timet homo in sinu DEI positus? Tu de ipsius sinu noli evadere; & quidquid tibi ibi evenerit, in bonum cedet.*

Pro praxi hujus Calendarii hortetur, ut, quoties sollicitudo aliqua aut timor illis subortus fuerit, ad hoc Calendarium confugiant exemplo Christi, qui in agonia positus, ubi Calendarium hoc inspexit, vidítque suum calicem ex voluntate Patris oblatum, & ipsius paterna manu præparatum esse, mox adeò roboratus est, ut ultrò ad illum ebibendum hostibus obviam processerit. Simili ergo modo, ut illi se gerant, suadeat, atque ut cum Heli assiduò dicant: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Et cum Davide: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Et cum Job: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* Sic enim verificatum iri in illis, quod Salomon c. 12. Prov. dixit: *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.*

Conceptus Nonus.

Denique dicere poterit Concionator, varias hoc tempore stre-

re ſtrenas & xenia offerri, ſe cor novum optare, eò quòd hoc ad novum & felicem annum præ cæteris conducat. Hoc itaque ſe cum felici anno ſic precari, ut tamen ſimul etiam ad illud procurandum juvare paratus ſit. Eum in finem offerre ſe imaginem, in qua Chriſtus juxta fornacem Fabri Ferrarii conſiſtens, & cor quodpiam in igne calefaciens depictus ſit cum hoc Lemmate: *Ecce nova facio omnia.* Juxta illum verò anima cor ſuum offerens, & dicens: *Paratum cor meum, ô DEVS, paratum cor meum.* Pro hac imagine explicanda dicat, ſe tria dicturum. 1. Quid ſit cor novum. 2. Quantopere hoc conducat ad felicem annum obtinendum. 3. Quomodò tale cor obtinere poſſimus.

Pro prima ergo parte dicat, Cor ſemper à DEO ſummi æſtimatum fuiſſe; hinc præ reliquis illud petivit Prov. 23. *Præbe, Fili mi, cor tuum mihi.* & Prov. 4. *Omni cuſtodiâ ſerva cor tuum.* Cur autem tanti faciat, cauſam mox ſubdit: *quia ex ipſo vita procedit*, non corporalis tantùm, ſed ſpiritualis etiam, id eſt, amor, qui ibi Sedem fixit. Hinc etiam teſte Davide Pſ. 32. *finxit ſingillatim corda eorum*, nempe *triangulare* faciendo, ut oſtenderet, non per rotundum mundum, ſed ſolam Trinitatem id repleri poſſe: inferiùs acuminando, & ſuperiùs dilatando, ut innueret illud per amorem non plùs terram & terreſtria appetere debere, quàm quantùm ad neceſſitatem ſuſtentationis requiritur, erga cælum verò & cæleſtia latiſſimè patere debere: ſed & duos motus *attractionis & expulſionis* ei conſtituendo, ut per illos intelligat, ſibi per amorem omnes creaturas expellendas, ſolum verò DEUM tanquam vitalem auram attrahendum eſſe. Ex quibus facilè colligitur, quid ſit cor novum, ſcilicet cor novo DEI amore accenſum, ſeu efficaci propoſito inſtructum, DEUM ex corde diligendi, & omnia quidem peccata ſtudioſè devitandi, opera verò bona cum ſimili ſtudio exercendi. Quale S. David habebat, de quo ipſe DEUS teſtatus eſt Pſ. 88. *Inveni David ſervum meum; virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meos.* Act. 13.

Pro ſecunda parte dicat, hoc cor eſſe optimum medium ad felicem annum obtinendum; quid enim eſt bonus annus, niſi in quo jucundè vivimus, & omnia juxta voluntatem habemus; atqui talem annum habebit cor novum, & cum corde

DEI

DEI conformatum. Habet enim inprimis ſpem omnis proviſionis & benedictionis in rebus neceſſarijs corporis & animæ; ſi enim timentibus DEUM non eſt inopia, quantò minùs amantibus illum deeſſe quidquam patietur? Deinde nihil ex adverſis eum contriſtatur, uti Salomon Prov. 12. teſtatur, id quod David Pſ. 36. egregiè confirmat dicens: *Accedet homo ad cor altum* (id eſt, cordi DEI confirmatum) *& exaltabitur DEVS. Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum.* Nimirum in tali verificatur id, quod Pſ. 88. DEUS ipſe dixit: *Oleo ſancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.*

Pro tertia parte, quomodo ſciliçet cor novum obtineri poſſit, dicat, meliùs id fieri non poſſe, quàm ſi illud Artifici, qui illud fecit, reſtituatur, nempe Chriſto, qui fecit ſingillatim corda eorum, qui, uti Salomon Prov. 21. ait, quocunque voluerit, inclinabit illud? Ad hunc ergo properet, qui cor novum habere cupit. Hunc audiat dicentem Prov. 23. *Præbe, Fili mi, cor tuum mihi. Ecce nova facio omnia.* Eſt proinde, qui cor peccatis & voluptatibus affixum habet, is audiat Ezechielem c. 18. monentem: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris. Proiicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Eſt, qui durum cor ſe habere advertit, audiat & iſte Chriſtum per eundem Prophetam c. 36. promittentem: *Et dabo vobis cor novum & ſpiritum novum in medio veſtri, & auferam cor lapideum.* Eſt, qui cor frigidum habet, accedat ad Chriſtum, & cor ardens, ſicut Diſcipuli in Emaus recipiet. Eſt, qui obſcuratum cor habet, accedat cum recto corde, & illuminabitur, experietúrque, quod Pſ. 96. dixit: *Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia.*

Pro Epilogo dicat, ſe renovare votum ſuum illis verbis 2. Mach. 1. *Benefaciat vobis DEVS, & det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti.* Quia verò etiam noſtra cooperatio requiritur, ſuadeat omnibus, ut accedant ad præſepe, & dicant cum vernaculo Poëta:

Gegrüßt ſeyſt du / O JEſulein /
Schöns Kindelein.

Nimm

Nimm hin mein Hertz / gib mir das dein /
Laß beyde Hertzen ein Hertz seyn.
Was dir mißfallt / mißfall auch mir /
Auch mir gefall / was gfallet dir.
Der Will ist gut / gib du das Werck.
Vnd mich mit deiner Allmacht stärck.

Tunc verè dicent cum Davide Ps. 72. *Defecit caro mea & cor meum: DEVS cordis mei, & pars mea in æternum.* Tunc dicent cum S. Paulo Gal. 2. *Vivo autem iam non ego; vivit verò in me Christus.* Tunc quoque dicent cum S. Bernardo in jubilo: *Iam, quod quæsivi, video: quod concupivi, teneo: amore IESV langueo, & corde totus ardeo.* Ite ergo, lætamini, & exultate, & dicite: Nunc cœpi. Hæc est mutatio dextræ excelsi, cui sit honor & gloria in sæcula. Amen.

Caput IX.

DE PRAXI CONCIONES PASCHALES HABENDI.

Sicut hoc tempus Paschale ob mysterij, quod recolitur, festivitatem meritò ab Ecclesia magna cum lætitia, jubiloque peragitur; ita solemniores quoque & magis festivæ, atque ad lætitiam ac hilaritatem excitantes conciones exspectantur. Eum in finem aliqui Concionatores tempori ac cæremoniis tunc adhiberi solitis, maximè ovorum benedictioni se accommodantes, ova paschalia spiritualia suis Auditoribus offerunt, & cum his varias doctrinas ad vitam perfectiùs deinceps instituendam conducente suggerunt. Alij morem multorum, nescio ubi aut quomodo introductum secuti Tabellam Paschalem (ein Ostermährlein) narrant, & ex eo occasionem sumunt, doctrinas aliquas spirituales suggerendi. Quam geminam consuetudinem, cùm à Zelosis etiam & prudentibus Concionatoribus usurpatam fuisse sciam, improbare non audeo; id unum tamen diligenter observandum censeo, ac cavendum, ne ejusmodi Tabellæ magnam partem concionis occupent, aut tam ridiculæ sint, ut ad effusiorem risum Auditores concitare queant, sícque & gravitatem & fructum concionis destruant. Ut etiam in hac materia Novitius Concionator Ideam habeat, placuit utriusque hujus consue-

consuetudinis unum exemplar, materiámque pro plurimis ejusmodi Concionibus habendis suggerere.

§ I.

Exemplar Primum.

Quomodo Ova Paschalia spiritualia à Concionatore distribui queant.

Thema.

Surrexit, non est hîc. Marc. 16.

Scopus.

Frequens sui inspectio & renovatio suadenda.

Syllogismus principalis.

Tunc frequens Inspectio & Renovatio sui meritò suscipitur, quando est potissimum & efficacissimum medium ad veram sui reformationem & emendationem procurandam; Atqui verum est antecedens, ergo & consequens.

EXORDIUM.

Etsi Mater nostra Ecclesia in multis aliis occasionibus teneram erga Filios suos charitatem ostendat, eam tamen vel maximè hoc tempore Paschali demonstrat, dum cibos pro quadragesimali tempore prohibitos iterum permittens, sacrâ priùs benedictione à Sacerdotibus consecrari jubet, ut tantò magis non corporibus duntaxat, sed ipsis etiam Animabus prosit eorum sumptio. Et hinc scilicet mos ille profluxit, ut ova benedicenda variis coloribus imbuantur, & ab Amicis in signum mutuæ benevolentiæ & amicitiæ invicem donentur; quem proin & ego servare statui, & quidem tantè perfectiùs, quantò salubrior, atque ad spiritualia æquè ac temporalia bona augenda aptior erit doctrina, quam vobis pro ovo spirituali offerre decrevi. Confido itaque, vos ovum hoc non minori benevolentia & attentione à me accepturos, quàm singulari fervore ac Zelo salutis vestræ assecurandæ concepturos, atque in substantiam, id est, utilitatem vestram conversuros.

Propositio.

Narrant, civem quendam olim vixisse, qui, etsi copiosam à Majoribus hæreditatem acceperit, eam tamen tam male administrârit, ut totam propè tempore brevissimo amiserit. Quare Vicinus quidam illius misertus, eundem visitâsse, & sic allocutus fertur: Nôsti, Vicine charissime, in quo statu res tua familiaris sit constituta, & quàm propè ab extrema egestate absis, nisi prudentiori consilio tibi ipsi provideas téque ab interitu liberes; quale quidem ego consilium jam nunc tibi offerre paratus sum, si illud acceptare non renuas. Cúmque is paratum se ad sequendum consilium, modò ne nimium difficilis sit illius executio, fore diceret, sic loqui Vicinus perrexit: En pyxidem tibi hanc offero eâ conditione, ut quotidie eam per singulas domûs tuæ partes, puta cellam, stabulum, horreum, culinam, aliáque similia loca circumferas; priùs tamen illam non aperias, quàm tibi à me permittatur. Id si constanter & diligenter feceris, ne dubites, quin alium brevi rerum tuarum statum sis visurus. Sic instructum relinquens abijt ille in domum suam, Civis verò consilium secutus, cùm diligenter quotidie pyxidem petito more circumtulisset, & ubique magnæ negligentiæ à Domesticis admissæ indicia deprehendisset, majori vigilantia Familiam regere incepit, claréque advertit, ipsam etiam rem Familiarem non modica incrementa capere; unde occultam hujus prosperi successûs causam in pyxide latere arbitratus, continere se diutiùs non potuit, quin eam aperiret, & inspiceret. Verùm ubi eam aperuit, nihil aliud, quam schedam hæc verba continentem reperit: **Wilst/daß dir dein Sach wohl gelingt/ schau all Tag fleissig zu deim Ding.** Ex quibus verbis facilè causam prioris ruinæ, & posterioris felicitatis collegit, idéoque hoc medium diligentiùs adhibuit, sícque brevi ad antiquam fortunam & opulentiam redijt. Quod consilium hic Vicinus suo Concivi dedit pyxidi inclusum, hoc ego ovo Pyschali pariter inclusum vobis offero, ut ex istius consilii usu sedulo non tam rem familiarem, quàm vitam statúmque vestrum rectè ordinare discatis.

Confir-

Confirmatio.

Nam si causam & radicem inquiramus, cur, proh dolor! tam malè hactenus internus animæ nostræ status constitutus fuerit, deprehendemus profectò, non aliam magis fuisse, quàm quòd nosmetipsos & defectus nostros tam rarò & oscitanter inspexerimus, ac discusserimus. Ita sanè inprimis testatur Sponsus Cant. 1. dum Sponsam suam sic allocutus est: *Si ignoras te, O pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum* (id est, passionum) *tuorum.* Quod ipsum more suo eleganter confirmans S. Bernardus in Persona DEI sic loquitur: *O homo, si te videres, tibi displiceres, & mihi placeres: sed quia te non vides, tibi places, & mihi displices: veniet tempus, cùm nec mihi, nec tibi placebis: non mihi, quia peccâsti: non tibi, quia ardebis.* Atque hæc videlicet causa est, cur S. Franciscus assiduò clamârit ad DEUM: *Domine, quis es tu, & quis sum ego?* Hæc causa est, cur S. Augustinus semper in pectore & ore habuerit verba illa: *Domine, noverim te, noverim me.* Imò per hanc viam antiqui Patres ad tantam perfectionem & charitatem pervenerunt, uti B. Margarithæ Moniali in libro aureis literis exarato per hæc verba ostensum fuit: Perfectio antiquorum Patrum fuit hæc, amare DEUM & nôsse seipsum. Nec mirum; quis enim si domum suam lustraret, & tectum undequaque lacerum, horreum & frumentum vermibus corrosum, thesaurum non occlusum, penum apertum, domum sordibus & araneis plenam, Cellam vinariam vacuam, aut certè non nisi acetoso vino instructam, doliáque non bene occlusa, pecora in stabulo soluta cerneret, quis, inquam, non gravem indignationem conciperet, & omnia contraria ordinaret? atqui idem nos quoque, si rectè nos inspiceremus, reperturi essemus; quid enim per tectum, nisi charitas patiens, quæ omnia forti animo tolerat, &, ne animo noceant, avertit, designatur? quis autem nescit, quàm lacerum sit hoc tectum? quàm transeant injuriæ, tribulationes impatienter toleratæ? quid aliud est horreum frumentarium, quàm voluntatis divinæ impletio, seu bona opera, per quæ æternùm vivere debemus? quis autem non hæc vermibus malæ intentionis & negligentiæ corrosa inveniet? quid aliud est thesaurus noster, nisi cor nostrum, &

conscientia nostra? quis autem hoc non reperiet negligentem custoditum contra id, quod Salomon Prov. 4. suasit: Omni *custodia serva cor tuum &c.*? quid aliud domus, nisi anima nostra? quis autem non inveniet sordibus peccatorum plenam, & periculis damnationis æternæ obnoxiam? quid aliud est cella vinaria, nisi occasio faciendi bona? quis autem non inveniet, se negligentem admodum fuisse in hoc vino custodiendo, sed potiùs illud sine fructu elabi permisisse, & in vilibus creaturis velut aceto solatium suum quæsiviisse? quid aliud sunt pecora, nisi affectus nostri sensuales? & tamen quanti ea non bene ligata, sed pro libitu excurrentia deprehendent? an non hæc omnia aliter disponerent, si statum animæ suæ frequentiùs inspicerent? si ergo hæc omnia negligantur, quam aliam causam assignabimus, nisi considerationis defectum?

Vultis autem scire, quando & quomodo ejusmodi considerationes instituere debeatis? respondeo, tribus præcipuè temporibus id faciendum.

Et 1. quidem quotidie exigendam ajo rationem per conscientiæ examen noctu peractum. Hîc maximè portanda pyxis in omnia loca, in quibus fuimus, in templum, forum, mensam, cubiculum, lectum &c. & videndum, quomodo ibi nos gesserimus; hoc enim Electorum proprium esse, S. Gregorius l. 10. mor. c. 22. his verbis testatur: *Electi intra sinum cordis adversum se, quidquid impugnat, enumerant: ibi ante oculos suos omne, quod defleant, coacervant: ibi, quidquid per iram districti Iudicis discerni possit, intuentur: ibi hoc iudicis mente concepto omne ministerium, quod punire reos plenius debeat, exercent; nam conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat.* O si hoc judicium exactè peragerimus, quàm brevi tempore optimæ vitæ statum procuraremus! Ita sanè S. Ignatius Loiola per hoc exercitium assiduè usurpatum, & se, & alios ad singularem vitæ sanctitatem promovit. Ita olim Pythagoræi per hanc sui notitiam & inspectionem ad summam sapientiam pervenerunt. Ita Sapientes Indici defacto faciunt non admittentes quemquam ad mensam, nisi priùs rationem factorum reddidisset, & aliquid bene à se factum narrâsset. Hunc fructum etiam ante alios Mulier illa Sapiens tulit, de qua Salomon Prov. 31. dixit: *Confidit*

sideravit semitas domûs suæ, & panem ociosa non comedit. Sed quo fructu? *Surrexerunt filii eius, & beatissimam prædicaverunt: vir eius, & laudavit eam dicens: Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas,* ut adeò meritò Joannes Nierenbergius in lib. de adorat. dixerit, hanc discussionem esse officinam virtutum, in qua timor DEI, humilitas, cognitio sui, compunctio, fervor, perseverantia, prudentia auditur; imò esse clavem totius fervoris, ex cujus defectu omnis ferè Christianorum tepiditas oriatur, ita ut locum habeat illud Sapientis: *Per agrum pigri hominis transivi, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerunt superficiem eius spina.* E contrario verò quid pulchriùs hâc consuetudine excutiendi totum diem, inquit Seneca l. 3. c. 36. ? *qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quàm tranquillus, quàm altus ac liber? nimirum tunc implebitur illud* Ps. 29. *ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.*

2. Altera occasio est, cùm Confessionem Sacramentalem facere volumus; hîc enim vel maximè iterum pyxis circumferenda. Hîc consilium Isaiæ c. 43. sequendum: *Reduc me in memoriam, ut iudicemur simul: narra, si quid habes, ut iustificêris.* Neque tamen solùm in memoriam revocanda, sed etiam serio cum dolore sunt detestanda, uti Jeremias c. 31. monet dicens: *Statue tibi speculum, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulâsti.* Atque hæc videlicet causa est, cur tam pauci ex confessione facta sanentur, quia non considerant turpitudinem factorum & relapsûs. Dicite namque, Auditores, quid sentiretis de eo, qui ea, quæ paulò antè evomuerat, resorberet? aut de eo, qui post veniam furti acceptam aliquoties idem delictum repeteret? aut de illo, qui acceptis à Rege pecuniis exercitum, quo illum oppugnet, conscriberet? an non ergo graviter vobis ipsis indignaremini, si similia à vobis ipsis facta cognosceretis? Dicite ergo cum Isaia Proph. c. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*; nam verè, ut Cassiodorus loquitur, *illis non Iudex, sed Patronus erit Christus, qui se propriâ confessione damnârunt.*

3. Tertia occasio est per annuam recollectionem, si non per integram hebdomadam, saltem unum vel alterum diem; aut horas saltem aliquot, si aliter fieri non potest. Ad hanc

recollectionem nos inprimis invitavit ipse DEVS per Jeremiam c. 6. dum ait: *State super vias vestras, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris.* Ita Christus Marci 6. Discipulos etiam suos ad eam invitavit dicens: *Venite seorsum in desertum locum.* Cujus collectionis necessitatem eleganter S. Bernardus l. 1. de consid. indicavit dicens: *Colligat & se intra sinus, qui omnes recipit; alioqui quid prodest tibi iuxta Verbum Domini, si omnes lucreris, teipsum perdens? quamobrem cùm omnes te habeant, esto & tu ex habentibus omnes, quid solus fraudaris munere tui? usque quo spiritus vadit & non rediens? sapientibus & insipientibus debitor es, & sic negas te tibi?* O quàm magnum fructum sperare possemus ex tali recessu! illum nempe, de quo DEUS Oseæ 4. locutus est dicens: *Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Tunc diceremus cum Discipulis in Emaus; *nónne cor nostrum ardens erat, quando nobis loquebatur?* Possem sanè huius fructus plura exempla referre, sed unum alterúmve sufficiet. Messanæ Filius quidam Baronis, quem nec Triremes, nec Parentum verbera immutare poterant, paucorum dierum secessu agnus effectus est, uti in hist. Soc. p. 1. l. 7. n. 21. refertur. Alius Juvenis Duaci post secessum hunc Parentibus singularem morum mutationem admirantibus dixit: quid admiramini? Dœmon ipse, si similem secessum institueret, converteretur. ita annuæ lit. Soc. 1609. fol. 296. Sed memorabile præ cæteris est, quod in libello parvo *Sacra Tempe* dicto legitur, quòd scilicet, cùm in civitate quadam Milites sat multi per unius diei secessum ad pugnam se præparâssent, Eques quidam insignibus nataliti dotibus ornatus irriserit ab initio hanc veluti nugatoriam pietatem, sed ubi postea amicorum precibus fatigatus, curiositatis magis gratiâ, quàm devotionis ipse etiam probavit, usque adeò mutatus est, ut speculum modestiæ & pietatis evaserit. Et ne Religiosis duntaxat aut Clericis hoc Exercitium convenire quis dicat, audiat, quod in memorata historia Societatis p. 1. l. 2. n. 76. referatur, nempe Parmæ subinde centum & ampliùs simul fuisse exercitatos, tam feminas quàm viros, sic ut Parochi, Sacerdotésque & alij alijs traderent, & plebem ad Exercitiorum normam informarent, retámque

támque urbem aliam redderent. Et quo, quæſo, inſtrumento hæc omnia ſunt effecta? non alio ſanè, quàm conſideratione & inſpectione ſui; *hæc enim*, ut S. Bernardus l. de conſid. ait, *primùm ipſum fontem, id eſt, mentem purificat, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat & ordinat, poſtremò divinarum pariter & humanarum rerum ſcientiam confert.*

Epilogus.

Nihil ergo ſupereſt, niſi, ut hoc ovum ſpirituale promptè & benevolè arripiatis, &, quemadmodum modò vobis oſtenſum eſt, diligenter uſurpetis; ſic enim futurum ſpero, ut & præteritos errores, ſi qui in adminiſtranda interna animæ Oeconomia admiſſi ſunt, ſeriò corrigatis, & talem deinceps ejuſdem animæ curam ſuſcipiatis, ut nunc quidem verè cum Chriſto ſpiritualiter reſurrexiſſe dici poſſitis, & quondam etiam quoad carnem cum ipſo gloriosè reſurgere mereamini. Amen.

Alii Conceptus.

Poteſt etiam Concionator, ſi voluerit, varia ova variis ſtatibus diſtribuere. Dicat ergo 1. Se Clericis deauratum ovum offerre, in quo Chriſtus ſub ſpecie Hortulani B. Mariæ Magdalenæ apparens depictus ſit. Et per aurum quidem excellentiam Status Sacerdotalis ſupra alios Status ſignificari, utpote de quo S. Ambroſius l. de Sac. c. 2. dixit: *Si Regum fulgori eam* (Sacerdotalem dignitatem) *compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cùm videas Regum colla & Principum ſubmitti genibus Sacerdotum, & exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum ſe commendare.* Per Chriſtum in Hortulani ſpecie indicatur, quod ſit ejus officium, ut ſcilicet cum Jeremia c. 1. evellat & deſtruat, ædificet & plantet, eúmque in finem per ligonem ad radices vitiorum pertingere ſtudeat. Per Magdalenam autem innuitur, quàm cautè cum Mulieribus agere debeat; ſi enim Chriſtus etiam glorificatus dixit S. Mariæ Magdalenæ: Noli, me tangere; quantò magis hoc fragilis & mortalis Sacerdos dicere deberet?

2. Dicat, ſe Magiſtratui offerre ovum ruſſo, ſeu incar-

nato, ut alij vocant (Leibfarb) colore imbutum, in quo vigiles ad sepulchrum Christi vigilantes sunt depicti. Ut per colorem quidem, & Christi sepulchrum intelligant totam Rempublicam esse quasi Corpus Christi, utpote de qua S. Paulus Rom. 12. dixit: *Multi unum corpus sumus in Christo.* Per Vigiles verò discant, sibi hoc corpus custodiendum datum esse, uti S. Paulus Hebr. 13. sat clarè indicavit, dum dixit: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Præterea verò etiam discant, quibus armis instructi esse debeant, ut hoc corpus, quemadmodum oportet, custodire queant, nimirum *galea spei & bonæ intentionis* contra respectus humanos ad exemplum S. Pauli Gal. 1. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*: *Lorica fortitudinis* contra querelas & murmura Subditorum, juxta illud Christi monitum Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*: *Chirotheca ferreâ contemptûs munerum* juxta DEI præceptum Deut. 16. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum*; credant proinde sibi quoque dictum à Christo Matth. 19. *Omnis, qui reliquerit domum* (aut munera) *propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*: *Gladio iustitiæ* ad dividendum se suum cuique tribuendum per justitiam commutativam & distributivam; & *hastâ iustitiæ vindicativæ* ad arcendos eos, qui huic corpori nocere volunt. Denique discant ab his Vigilibus vigilare, id est, oculos ad prudenter dispicienda pericula, aures ad audiendas causas & querelas, manus & reliqua membra ad defensionem parata habere; sic enim verificabitur de illis, quod Christus Luc. 12. *Beati servi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.*

3. Conjugatis Pattibusfamilias dicat se cæruleum ovum offerre, in quo Christus in monte Galileæ Discipulis apparens depictus est. Ut per hoc intelligant, se juxta Christi exemplum debere Domesticis dicere: Præcedam vos in Galilæam, ita ut cum illo Adolescente, qui ex peregrinis Regionibus quoad mores penitus mutatus adveniens, & amaritudinem quam priùs deperierat, occurrens, dixerat: Ego non sum ego

idem

idem dicere cum veritate possint. Quæ omnia facilè per particulares casus fusiùs monstrari possunt.

4. Mulieribus dicat se violaceum dare ovum, in quo tres mulieres cum Aromatis ad sepulchrum properantes depictæ sunt. ut per eas discant inprimis humilem subjectionem colore violaceo indicatam, uti jam pridem Apostolus Eph. 5. monuerat dicens: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino.* Deinde aromata præparare, id est, virtutes Statui suo convenientes, quales sunt amor Mariti & Liberorum, concordia cum vicinis, vera devotio, sollicitudo pro Domesticis & re Oeconomica, misericordia erga pauperes &c. Capiant præterea solatium ex Christi dignatione & sollicitudine, quâ & illis primò post Matrem suam manifestare Resurrectionem suam voluit, & lapidem de monumento removeri sine ipsarum operâ fecit &c.

5. Dicat Juvenibus se ovum partim rubrum, partim album donare, in quo Angelus ad sepulchrum sedens, & Mulieribus Resurrectionem Christi nuntians depictus cernitur. Ut inprimis per colorem discant candido colori innocentiæ rubrum colorem verecundiæ miscere, ut de ijs perinde ac Sponso dicere Parentes possint: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Item studeant ut Angeli esse sine ruga, sed juvenes vivaces per fervorem & desiderium proficiendi in sapientia & gratia coram DEO & hominibus. Ut cum illo ad dextram sedeant, id est, ijs studijs & exercitijs vacent, quæ ad dextram ducunt, id est, ad felicitatem temporalem & æternam obtinendam juvant. Sint etiam Taciturni, non nisi pauca & necessaria loquentes juxta Sapientis monitum Eccl. 32. *Audi tacens, & pro reverentiâ accedet tibi bona gratia. Adolescens loquere in tua causa vix.* Denique non nisi breviter & cautè agant cum Mulieribus, ut Angelus exemplo suo docuit, & jam olim Siracides suasit c. 9. dicens: *Non des Mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris.*

Pro Epilogo hortetur, ut ova hæc boni consulant, & doctrinas per ea datas sedulò observare conentur; sic enim ipsos & beneficium per hæc ova sibi præstitum copiosè remuneraturos, & dignos futuros, qui olim cum Christo gloriosè resurgant, & feliciter ad cælos ascendant.

Conceptus Secundus.

Pari modo poterit Auditoribus omnibus simul sumptis ovum aliquod variis figuris & emblematibus exornatũ offerre; Ad quem finem variæ Christi apparitiones servire possunt. 1. Ergo dicat per Apparitionem Matri factam discere eos debere, quomodo se Matri Ecclesiæ totos immutatos & renovatos per confessionem & serium emendationis propositum sistere debeant. 2. Quomodo per apparitionem Beatæ Magdalenæ in specie Hortulani factam sistere se pariter debeant Subditis suis per modum Hortulani, Conando zizania vitiorum evellere, & flores virtutum in illorum animis plantare. 3. Quomodo debeant Amicis, Vicinis, aliisque notis apparere cum Christo ut pacem apprecantes, & studiosè eam colentes. 4. Quomodo afflictis & solatio indigentibus debeant favum mellis, id est, consolationis porrigere. 5. Quomodo ignorantibus debeant cum Christo in Emaus euntes se sociare, & in rebus ad salutem pertinentibus instruere. 6. Quomodo debeant in Purgatorio constitutis cum Christo ut Redemptores apparere; sícque tandem post tot apparitiones virtuosas meritò glorioſam etiam cum Christo ad cœlos ascensionem sperare possint.

Conceptus Tertius.

Potest etiam omnibus unicum ovum unâ tantùm figura seu emblemate insignitum offerre in hunc modum, ut dicat ovum rubro colore imbutum, ex una parte Christum gloriosè resurgentem repræsentare cum hac inscriptione: *Surrexit verè*; ex altera verò parte pulchram coronam hæc verba continentem: *Aspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est*: Ut ergo optatum ex hoc ovo fructum referant, ostendat 1. Quomodo Christus resurrexit, nempe virtute propriâ, reuniendo animam cum corpore, & quatuor corporis glorioſi dotes, scilicet impossibilitatem, subtilitatem, agilitatem & claritatem per varios actus demonstrando. 2. Ostendat, quomodo in hac Resurrectione spiritualiter quique imitari eum debeat, nempe virtute propria, id est, cum libera voluntate, animam iterum per charitatis divinæ unionem DEO jungendo, & uniendo, & impossibilitatem in ad-

verſis cum lætitia, & quaſi ſine ſenſu toleratis: agilitatem per promptam obedientiam ad omnem DEI & Superiorum nutum? Subtilitatem per impedimentorum, quæ à perfectione abſtrahunt, qualia ſunt conſuetudo peccandi, Societas mala, horror difficultatis, generoſam remotionem: claritatem per bonorum exemplorum abundantiam demonſtrando; quæ omnia facilè fuſiùs amplificari poſſunt.

Pro Epilogo incitentur Auditores ad hanc reſurrectionem Spiritualem illis Apoſtoli Eph 5. verbis: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis.* Jubeantur proin reſpondere cum S. Davide: *Exurgam diluculo.* Sic enim fiet, ut verè reſurgant, & de illis perinde ut Chriſto dici poſſit: *Chriſtus ſemel mortuus iam non moritur, mors illi non dominabitur, ſed vitâ vivet beatâ, & hic,* & in æternum.

Conceptus Quartus.

Poterit etiam eundem Chriſtum cum rubro vexillo in manu depictum in una parte ovi, in altera verò hæc verba: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*: deſcripta offerre, diceréque, cùm nunc tandem à Chriſto gloriosè victus ſit Dœmon, cælúmque reſeratum, Diabolum omnes vires ſuas intenſurum, ut quamplurimos ab ejus ingreſſu impediat, atque adeò novum bellum illis indicturum; Chriſtum verò, ne ipſe prævaleat, & ſanguis ſuus fruſtrà fit profuſus, aliud vexillum erigere, atque, ut ſub auſpiciis ſuis militent, homines omnes invitare; Adeóque verum eſſe, quod S. Job c. 7. dixit, Militiam eſſe vitam hominis ſuper terram, cur autem potiùs ſub Chriſto, quàm ſub Diabolo & quibus armis militare debeant, hâc ſe concione demonſtraturum.

In prima ergo parte oſtendat, quanta ſit diverſitas horum Ducum, & quòd Chriſtus quidem ſit Nobiliſſimus (quia DEI Filius) fortiſſimus (quia vicit, quem nemo vincere potuit) feliciſſimus (quia ſemper de hoſte triumphavit, ut patet maximè ex triplici tentatione) amantiſſimus ſuorum militum, (utpote quos proprio corpore paſcit, & vitâ ac ſanguine redemit) liberaliſſimus, ut qui æternum, ſummúmque Militibus ſuis præmium promittit, ſi fortiter dimicent, & feliciter vincant; omnia verò contraria in Lucifero reperiantur, ut qui ſimula-

simulato animo falsas & apparentes Voluptates & felicitatem promittit, ut æternùm suos milites perdat, & crudelissimis tormentis cruciet; ut adeò stultissimus meritò sit futurus, qui post cognitas has fraudes ac odium adhuc eidem magis, quàm Christo adhærere malit.

In Secunda parte ostendat, quemadmodum Diabolus potissimùm ad oppugnandos homines sibi adversantes utitur gladio concupiscentiæ juxta illud S. Jacobi c. 4 *Vnde bella & lites in vobis? nónne hinc? ex concupiscentiis, quæ militant in membris vestris*; Ita Christum suos Milites armare gladio S. Michaëlis, *quis ut DEVS?* Si enim hoc, ut oportet, usi fuerint, facilè concupiscentiam superabunt, utpote scientes, quod omne id, quod Concupiscentia offert, in DEO velut fonte pleniùs puriùs, & constantiùs possideant.

Pro Epilogo hortetur, ut imaginentur sibi Christum illa Moysis verba Exod. 32. dicere: *Si quis est Domini, jungatur mihi.* Sed & gladium dictum illis Jeremiæ 2. Mach. 15. verbis offerre: *Accipe Sanctum gladium, munus à DEO, in quo deiicies Adversarios Populi mei Israël.* Credant subinde Classicum sibi cantari à S. Chrysostomo his verbis: *Exerte vires, fortiter dimica, atrociter in prælio concerta. Considera pactum, attende conditionem, militiam nosce, Pactum, quod spopondisti: conditionem, quâ accessisti: Militiam, cui nomen dedisti.* Alloquantur proinde, & excitent se mutuò illis pij Ascetæ verbis l. 3. de imit. Christi c. 56. *Eia Fratres, pergamus simul. IESVS erit nobiscum. Erit Adiutor noster, qui est Dux noster & Præcessor. En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores; simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, ut fugiamus à Cruce.*

Conceptus Quintus.

Non minori etiam Auditorum fructu & solatio posset dicere Concionator, omnes quidem apparitiones Christi fuisse valdè consolatorias, sed nullam magis quàm illam, quâ stans in medio dixit illis: Pax vobis: quid enim pace jucundius & utilius excogitari potest? Ut ergo hoc solatio etiam Auditores frui queant, dicat Concionator, se ovum Paschale oblaturum, in quo Christus in ultimo convivio sedens, & Discipulis

pulis corpus ſuum præbens ex una parte, ex altera verò parte hæc verba: *Pax vobis*: per coronam Oleaceam inclusa repræſententur; oſtenſurum proinde, cur hoc tempore pacem optare & ſervare debeant. Deinde, quomodo eam conſervare poſſint.

Pro prima ergo parte narret inprimis, quod de Romanis Ethnicis Valerius Magnus l. 2. c. 1. ſcribit in hæc verba: *Convivium Solemne Maiores inſtituerunt, idque Chariſtia appellaverunt, cui præter Cognatos & Affines nemo interponebatur; ut ſi qua inter neceſſarias Perſonas querela eſſet orta, apud ſacra menſa & inter hilaritatem animorum, ſautoribus Concordiæ adhibitis, tollerentur.* Inferat ſubinde hoc multò magis fieri oportere in hoc convivio; & cùm nulli ſint magis nobis cognati & affines, quàm DEUS, Proximus, & nos ipſi, ideo meritò nunc cum his pacem renovari, illúdque Barnagoſſij, Regis Abyſſinorum Ducis dictum repeti: *Quam pacem IESVS Chriſtus generis humani Redemptor Diſcipulis reliquit, eadem eſto inter nos, qui eiusdem profitemur cultum & fidem.* Hinc primorum Chriſtianorum erat cor unum & anima una, quia quotidie hoc convivio reficiebantur Act. 6.

Pro ſecunda parte ad conſervandam hanc pacem dicat, Chriſtum illis quaſi S. Pauli verbis Philipp. 2. nos alloqui, mediúmque ſimul ad ſervandam pacem offerre: *Si qua Conſolatio, ſi quod ſolatium caritatis, ſi qua Societas Spiritûs, ſi quæ viſcera miſerationis, implete gaudium meum, ut idem Sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, ſed in humilitate Superiores ſibi invicem arbitrantes: non quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed aquæ aliorum.* Verè enim *meum* ac *tuum* innumera gignit bella, teſte S. Chryſoſtomo, hæc ergo radix tollatur per concupiſcentiæ in ordinatæ expugnationem, & firma inter omnes pax perſiſtet.

Pro Epilogo hortetur illos ad hanc pacem illis S. Davidis verbis Pſ. 33. *Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? declina à malo, & fac bonum. Inquire pacem, & perſequere eam.* Eam ſanè ſe ex corde optare, atque adeò dicere cum S. Paulo 2. Cor. 13. *De cætero, Fratres, gaudete; perfecti eſtote, exhortamini, idem Sapite, pacem habete, & DEVS pacis & dilectionis erit vobiſcum.* *Pax* (ergo) *DEI, quæ exuperat omnem*

mnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo IESV.

Conceptus Sextus.

Poterit non incommodè etiam ipse Christus ovo rubro comparari, & Auditoribus offerri, tum ut ipsum Christum magis æstimare; tum ut eidem similes esse studeant in vita, si similes esse in gloria cupiunt.

Primò itaque ostendat, quàm convenienter per ovum omnes Christi potiores partes repræsententur, nam per testam fragilem simul & candidam mortale & purissimum, Virgineúmque Christi corpus indicatur; per albamen itidem candissimum purissima Christi anima: per rotundum & aureum vitellum Divinitas undequaque perfectissima: per rubrum denique colorem ovi Sanctissima Passio Christi (de qua Isaias c. 63. locutus est, dum dixit: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torcular?*) repræsentatur. Quemadmodum autem ut ex ovo pullus prodeat, illud vel à calore Matris, vel (ut in Ægypto fieri consuevit) Fornacis foveri & excoqui debet, & tum demum testâ confractâ pullus egreditur; ita, ut Anima Christi glorificata exire, cœlósque ascendere posset, priùs eandem à calore vivificæ charitatis excoqui opportebat, id quod per passionem abunde præstitum est; quæ omnia paulò fusius explicari possunt.

Pro secunda parte ostendat, quomodo quivis Christianus animam suam velut vitellum in corpore suo velut fragili testa circumferat, eâ intentione, ut pullus aliquando Christo similis prodeat; huc enim tanta eorum, quorum curæ commissi sumus, sollicitudo tendit: hinc de nobis illa S. Pauli Gal. 4. verba usurpant: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Itaque non solùm nos eorum efformationi directioníque subijcere, sed ultro etiam ex nostra parte cooperari debemus, ut Christo quàm simillimi in vita moribusque efficiamur; sed & patienter ad illius exemplum testam hanc mortalis corporis per morbos mortémque confringi patiamur, ut tandem cum illo feliciter exire, & ad cælestem patriam evolare possimus. In quibus autem potissimùm ei similes effici debeamus, S. Paulus ad Philipp. 2. indi-

indicavit dicens: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & DEVS exaltavit illum &c.*

§. II.

Quomodo Fabella Paschalis narrari possit.

Thema.

Surrexit, non est hîc. Marc. 16.

Scopus.

Demonstranda vanitas omnium rerum extra DEUM.

Syllogismus principalis.

Omne id, quod invito homini eripi potest, vanum est; Sed omnia, qua extra DEVM sunt, invito homini eripi possunt; Ergo omnia extra DEVM vana sunt.

EXORDIUM.

Non dubito, quin Paschalem hodie pro more fabellam à me exspectetis; quare ne desiderium Vestrum diutiùs suspendam, jam nunc incipiam fabellam vobis narrare tantò amœniorem & gratiorem, quantò aptior est ad doctrinam saluberrimam, Festísque præsentibus perquam accommodatam inculcandam.

Narratio.

Euclionem ajunt fuisse, qui, cùm sonacitate sua ingentes opum thesauros coacervâsset, miris angebatur sollicitudinibus, ubi tandem has opes securè asservare posset, sciebat nempe malè parta malè plerumque dilabi: Sciebat infidam esse Domesticorum custodiam, maximè ubi de proprio commodo agitur, Sciebat, nullam seram adeò firmam esse, quæ cleptorum insidiantium astu ingenióque frangi & reserari non queat. Quare cùm omnia fraudibus & direptioni obnoxia videret, tandem consilium concepit, ejusmodi locum eligendi, qui vel minimam etiam latentis thesauri suspicionem movere non posset. Habebat in sua domo sacellum

parvum

parvum quidem, sed amabile, & devotioni fovendæ non parùm opportunum. In eo, ut suo tempore pios aliquos affectus in se aliísque concitaret, sepulchrum fieri jusserat ad Bellius normam, in qua Servator noster per triduum defunctus jacuerat. Hunc ergo securissimum thesauro suo custodiendo locum ratus, cistam prægrandem sub eo abscondit, & ne ulla latentis thesauri suspicio cuiquam moveretur, huncce tulum sepulchro inscribi jubet: *Hîc iacet Christus sepultus.* Et sanè videbatur thesaurus extra suspicionem positus, cùm nemo sepulchrum illud utpote immobili loco affixum ad scrutaturus, aut intraturus crederetur. Verùm cùm Famulorum quispiam sæpius Dominum, quàm aliàs consueverat Sacellum intrare, & semel etiam iterúmque admotis auribus pecunias numerare advertisset, id, quod res erat, suspicatus Sacellum eo absente scrutari cœpit, nec difficulter latentem cistam invenit; inito ergo cum Sociis consilio, cùm Dominus quondam longiori morbo affixus lecto teneretur, pecuniam reseratâ cistâ exemit, titulóque sepulchri ablato, hunc substituit: *Surrexit, non est hîc*: fugáque cum Sociis arreptâ saluti suæ consuluit. Quantum verò postea Dominus ad Sacellum rediens ex lecto titulo, thesauróque amisso dolorem conceperit, faciliùs est conijcere, quàm verbis explicare.

Applicatio.

Atque ita quidem finxerunt nonnulli; verùm ego, dum vanas hominum occupationes, tristésque eorum exitus accuratiùs perpendo, non jam figmentum, sed veram historiam esse censeo. Quis enim non quotidiè ferè quàmplurimos sub mili astu à Dœmone, Mundo, & carne, pessimis utique socijs decipi, bonísque suis spoliari advertit? Unum duntaxat alterúmque oculis subijcio. Quis unquam majores thesauros quàm ditissimus Salomon collegit? quis unquam divitiis affluxit ut ille? *coacervavi mihi*, inquit ipse Eccles. 2. *argentum & aurum, & substantias Regum & Provinciarum, & pergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem. Sapientia quoque perseveravit mecum, & cum illa omnia bona pariter venerunt, & innumerabilis honestas per manus eius. Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis.*

nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in hîs, quæ præparaveram. An non huic cordi inscribi poterat: Hîc est felicitas sepulta? sic certè plerique; sic Regina Saba 3. Reg. 10 exclamans: *Beati viri tui, & beati servi tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt Sapientiam tuam*: sic ipse Salomon crediderat dicens: *Vadam, & assumam deliciis, & fruar bonis.* Sed audite, quàm splendidè deceptus sit: *Cúmque me convertissem*, inquit, *ad universa opera, quæ fecerunt manus meæ, & ad labores, in quibus frustrà sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem*, cordique adeò inscriptum est: Surrexit, non est hîc. Aliud & recentius exemplum à Cantipratano in lib. apum narrat his verbis: Propè nostra tempora fuit Mulier nobilissima Maria Campaniæ Comitissa: hæc nupta nobilissimo Henrico Campaniæ Comiti, Filia fuit Ludovici Pij, & Soror Philippi Regum Francorum, quatuor Reges Fratres in Anglia habuit. Hæc multis annis mortuo Marito cum pomposissima ambitione circuiens & moriens talem finem sortita est. Laboravit enim in extremis, & Abbatem Persaniæ Sanctissimum & eloquentissimum virum migratura venire mandavit. Qui, ut venit, intromissus non est; & præ foribus exspectavit; jam enim Comitissa decesserat, & distrahebantur à Militibus & Ministris suis utensilia, vasa aurea, & argenteæ vestes pretiosæ, culcitræque purpureæ, & tanem linteamina ipsa cum peplis. Extremo unus ex Garsionibus, morâ nimiâ retardatus, lectum per cornua comprehendit, & resupinatum corpus emortuum, eminus, in stramenta devoluit. Moras autem Abbate cum tædio sustinente, quidam Nobilis ex circumstantibus indignatus, ostium infregit violenter, & virum Venerabilem intromisit. Qui, cùm introisset, & nobile illud corpus nobilissimæ Comitissæ nudum in stramento reperisset, volente quodam ex Familia illud straminibus operire. Abbas exempli providus non sinebat, sed libera voce clamabat: O vos omnes cernite pompam nobilissimæ Comitissæ Mariæ; videte, illud delicatissimum corpus quanto dedecore pudoris obvoluitur: videte, quid ei pro multiplici honore & gloria mundus exolvit. Ecce quàm stulta illi Mundus commutatione concluſit. Huc usque Cantipratanus. An non hic iterum jure inscribi poterat: Surrexit felicitas, non

est hîc. Et si hi, qui tam copiosas divitias, honores, & voluptates possederant, non nisi vanitatem & afflictionem Spiritus in illis repererunt, quomodo vos in minoribus longè cupibus, dignitatibus & voluptatibus aliud sperare potestis? *Vt quid ergo, ô Filii hominum, diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* &, ut S. Anselmus loquitur, *quid vagaris, ô anima, per multa, quærens bona corporis & animæ? quære unum bonum, in quo est omne bonum, & sufficit.* O utinam vel nunc exclamaretis cum S. Davide Ps. 54, *Quis mihi dabit pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* illius scilicet columbæ, quæ Gen. 8. *cùm non invenisset, ubi pes eius requiesceret, reversa est ad Noë*, qui idem ac requies significat, atque adeò DEUM convenienter repræsentat? Ita sanè exemplo suo nos docuit Magister Rolandus Cremonensis, uti in Vitis Prædic. p. 4. c. 8. legitur, qui, cùm in Festo quodam de Scarleto panno haberet novas & pretiosas vestes, & solemnibus epulis cum Sociis interfuisset, & totam illam diem in lusibus, vanitatibus, & hujusmodi vana gloria transegisset, nocte ad se reversus tacitè intra se dixit: ubi est festum, quod fecimus, & tota lætitia illa, quò abijt? Videns ergo, quòd omnis mundi lætitia citò transit, & ad dolorem convertitur, sequenti die Ordinem est ingressus, in quo multis annis deservivit Domino, Sanctitate, famâ, scientiâ & doctrinâ præclarus. Meritò ergo exclamat & conqueritur de plerisque hominibus DEUS Deut. 32. *Gens absque consilio est, & sine prudentia. Vtinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent.* Ne ergo de vobis quoque id aliquando queri possit, vos sapientiores estote, & novissimam omnium terrenarum rerum vanitatem frequenter & accuratè perpendite. Mementote, quæso, S. Augustinus S. 30. de Sanctis dixit: *Scimus, Fratres, quia omnis homo gaudere desiderat, sed non omnes ibi quærunt gaudium, ubi oportet; nam cùm ea diliguntur, quæ possumus contra voluntatem amittere, necesse est, ut pro iis miserrimè laboremus.* Hinc meritò alibi hortatur: *Qui vult gaudere de se, tristis est. Qui autem de DEO gaudere vult, semper gaudebit, quia DEUS sempiternus est.* Talis namque experietur id, quod olim Deicola olim confessus est, qui, cùm inter media etiam tormenta lætissimum semper se ostenderet, causam lætitiæ rogatus dixit: DEUM meum nemo mihi eripere potest. Vale.

tis autem scire, quomodo DEUM retinere, & in eo gaudere possitis? audite iterum S. Augustinum in Epist. ad Macedon. dicentem: *Ad DEVM, qui ubique præsens est, non pedibus licet ire, sed moribus; mores autem nostri non ex eo, quod quisque novit, sed quod diligit, diiudicari solent, nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores*; opera ergo bona, seu actus virtutum, puta charitatis divinæ, religionis, obedientiæ, justitiæ, patientiæ, perseverantiæ, & similium, hæ sunt veræ divitiæ, quæ ad omnia, præsertim autem ad æternam felicitatem comparandam sunt utiles: has solas nunquam contra voluntatem nostram amittere possumus: hinc tam sollicitè monet Servator Matth. 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Verè enim, ut Apoc. 14. DEUS scribi jussit, *beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis*; *opera enim illorum sequuntur illos.*

Epilogus.

Ut ergo finem tandem faciam concioni, omnes vos cum Ecclesia illis S. Pauli Coloss. c. 3. verbis adhortor: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextra DEI sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Si ergo hactenus felicitatem vestram in divitiis perituris posuistis, mementote semper, olim de illis dictum iri: Surrexerunt, non sunt hîc; ideóque veras & immortales divitias bonorum operum & virtutum, quæ invitis eripi non possunt, quærite, & congregate. Si hactenus felicitatem vestram in voluptatibus vanis posuistis, cogitate, de his quoque olim dictum iri: Surrexerunt, non sunt hîc, ideóque tales voluptates quærite & gustate, quas semper & ubique habere possitis, quales sunt quæ ex DEO & bonis operibus, ex pura Conscientia hauriuntur. Si denique felicitatem vestram in honoribus posuistis, cogitate, & hos vanos esse, brevique duraturos, atque adeò de illis quoque dictum iri: Surrexerunt, non sunt hic: Tales ergo honores quærite & affectate, qui ex vera Stabilique radice, videlicet ex virtute oriuntur. Verbo: id unum semper tenete, id unum sentite, id unum ore, opereque profitemini: *Vanitas vanitatum, & omnia*

omnia vanitas, præter amare DEVM & illi soli servi
Amen.

Alii Conceptus Primus.

Ad hunc finem potest etiam servire fabula de Lupo, q
à Rustico in ovili deprehensus, jámque fuste mactand
summis precibus vitæ gratiam exoravit, firmissimè promi
tens, se nunquam deinceps ultra quantitatem septem obol
emendam vocaturum. Hâc ergo conditione dimissus pa
lò post, dum ad Silvam revertitur, vaccam præpinguem cu
vitulo pariter bene impinguato in prato pascentem reper
Quid ageret? ex una parte tam bona occasio pinguiss
epuli nunquam tam facilè reditura ad devorandam vacca
vitulúmque invitabat: ex altera verò parte memoria pr
missi paulò antè Rustico facti à meditato facinore abster
bat. Ut ergo & occasionem tam optatam non negligeret, a
simul etiam fidem Rustico datam inviolatam servaret, h
modo secum rationabatur: Promisi Rustico, me voca
quantitatem septem obolorum nunquam excessurum; hanc
conditionem autem in devoranda hâc vaccâ, vitulóque se
vare possum; nam vacca cùm non adeò magna sit, vix ma
xi, quàm quatuor obolorum pretio stabit; vitulus verò a
pote minor vaccâ, etsi bene impinguatus sit, vix tamen tr
obolorum pretium excedit. Quare utrumque aggressus ma
ctavit, & devoravit.

Ex hujus fabulæ occasione explicari possunt causæ, c
post tot confessiones Paschales tam parva emendatio sequ
tur; dici namque potest, idem permultis, quod huic Lup
evenit accidere. Deprehenduntur namque & ipsi à Confe
sario & DEO in gravibus criminibus, ob quæ mortem æte
nam promeriti fuissent, & quia emendationem pollicentur
absolvuntur, & liberi dimittuntur; Sed vix templo egres
untur, & mox occasione oblata iterum in pericula se con
ciunt, dicentes, Confessarium non occasiones, sed ipsa peccat
prohibuisse; sícque dum pericula amant, pereunt in illis. Sed
quæ horum causa? quia cum Lupo radicem, id est, concupi
scentiam inordinatam nunquam deponere student, quo
quamdiu non agunt, frustra seria emendatio speratur, nam, u
Sapienter pius Asceta l. 3. c. 27. dixit, *invat non qualibet*
adqu

adepta vel multiplicata exterius, ſed potius contempta & deciſa ex corde radicitus. Munit parùm locus, ſi deeſt Spiritus fervorus, nec diu ſtabit pax illa quæſita forinſecus, ſi vacat à fundamento ſtatus cordis, hoc eſt, niſi ſteteris in me, permutare te potes, ſed non meliorare. Nam occaſione orta & accepta invenies, quod fugiſti & ampliùs. Tene ergo, inquit idem c. 32. *tene breve & conſummatum verbum, dimitte omnia, & invenies omnia. Relinque cupidinem, & invenies requiem; Quantò celeriùs hoc agis, tantò melius habebis: & quantò plenius & ſinceriùs, tantò plùs DEO placebis, & ampliùs lucraberis.* Quæ omnia facilè poſſunt per particulares caſus ampliùs diduci & amplificari.

Conceptus Secundus.

Perquam utilis etiam doctrinæ occaſionem ſequens fabella offert. Hinnulus vivebat in ſilva, qui, cùm frequenter ſibi inſidias à beſtiis, canibus, Venatoribus paratas eſſe adverteret, ex quibus difficulter ſe per fugam eripuiſſet, per tædium tandem tam inquietam, curísque repletam vitam ſtatuit extra ſilvam aſylum quærere. Egreſſus itaque è ſilva in gregem ovium in campo pabulantium incidit, quas cùm quietè admodum pacificèque vivere, & inſuper Paſtoris canísque præſidio ſecuras degere adverteret, ad Paſtorem acceſſit, atque, ut ſe quoque ovibus ſuis accenſere vellet, etiam atque etiam rogavit, velle ſe quoad omnia moribus & Genio ovium ſe accommodare. Cùm ergo conceſſiſſet id Paſtor, egreſſus cum ovibus ad Paſcua, iterúmque regreſſus ad ovile Hinnulus, magna ſibi videbatur quiete felicitatèque frui. Sed cùm poſt aliquot hebdomadas Sacrificuli quidam ovile ingreſſi oves quasdam abduxiſſent, quærénsque Hinnulus ex aliis ovibus, quo illæ ducerentur? intellexiſſet, eas ad Sacrificium, quo Diis immolentur, abduci, ingemuit enimverò, dixitque: Siccine & ovibus moriendum eſt? tamen præſtat manere cum ovibus, &, quamdiu vivere conceſſum eſt, cum tanta concordia ac quiete ſub cura & tutela & Paſtoris vivere, ac, ubi moriendum eſt, Diis Sacrificari, atque adeò tam honeſtâ & laudabili morte vitam concludere, quàm inter perpetuas rixas & inſidias cum beſtiis in Silva degere, eorúmque vel canum dentibus lacerari, mortéque tam ignobili obire. Sic

dixit, ac tamdiu inter oves cum ingenti solatio vivere perre-
xit, donec & ipse Diis immolatus parem, sicut in vita, ita & in
morte sortem cum ovibus obijt.

Applicatio.

Ex occasione hujus fabellæ excitari Auditores ad patien-
tiam Christianam possunt, dicíque, per Hinnulum ist[illegible]
quemvis hominem Christianum intelligi, qui aliquamdiu in
mundo maligno velut silva deserta & infructifera inter bes-
tias, id est, peccatores degens, advertit, in perpetuo vitæ æ-
ternæ simul & præsentis amittendæ periculose stare, multis-
que aliis tribulationibus obnoxium esse, uti pulchrè p[illegible]
Asceta indicavit, dum l. 3. de Christi imit. c. 12. dixit: *A[illegible]
putas, quòd homines sæculi huius nihil vel parùm patiantur?
nec hoc invenies, etiamsi delicatissimos quæsieris. Sed habent
inquis, multas delectationes, & proprias sequuntur voluntates,
ideóque parùm ponderant suas tribulationes. Esto ita sit, ut ha-
beant, quidquid voluerint, sed quamdiu putas durabit? Ecce
quemadmodum fumus deficient abundantes in sæculo, & nulla
erit recordatio gaudiorum. Sed & cùm adhuc vivunt, non si-
ne amaritudine & tædio ac timore in eis quiescunt. Ex eadem
namque re, unde sibi delectationem concipiunt, inde doloris pœ-
nam frequenter recipiunt. Iustè illis fit, ut quia inordinatæ de-
lectationes quærunt, & sequuntur, non sine confusione & amari-
tudine eas expleant. O quàm breves, quàm falsæ, quàm inor-
dinatæ & turpes omnes sunt!* Hæc ergo considerans Christia-
nus si mundum (mente saltem, implendo illud S. Pauli 1.
Cor. 7. *reliquum est, ut, qui utuntur hoc mundo, tanquam non
utantur*) deserere, ovibúsque, id est, justis & electis homi-
nibus se associare statuat, videbit & hos absque tribulatione
non vivere, cùm scriptum sit act. 14. *Quoniam per multas tri-
bulationes oportet nos introire in regnum DEI*; ideóque Chri-
stus ipse velut caput Electorum de se Luc. 24. dixerit; *nonne
hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Un-
de denique resolvit se ad vitam Justorum vivendam, tribula-
tionésque, quibus carere non possumus, æquo & alacri ani-
mo, amore DEI magis, & æternæ felicitatis consequendæ
pœnæque temporalis expiandæ tolerare, quàm cum Peccato-
ribus easdem adversitates ex necessitate duntaxat, sine sola-

tio, sine fructu, sine spe præmij sustinere, & insuper æternas aliquando pœnas tolerare. Quæ omnia paulò fusiùs explicata non modicum Auditoribus solatium, robúrque ad adversa, quibus plerique abundant, æquiori animo toleranda conciliabunt.

Conceptus Tertius.

Utilem etiam ad mores reformandos fabellam Æsopus, & ex eo Hermannus Hugo in piis desideriis lib. 2. de duobus Musculis, urbico & Silvestri seu Rustico narrat; quòd scilicet cùm Musculus Urbicus Rusticum visitâsset, & non nisi panem caseúmque mucidum, veluti ruris delicias, oppositum cum fastidio gustâsset, citò inde se propipiens Rusticum Musculum vicissim ad urbem invitârit, meliòri longè epulo deliciisque excipiendum. Cessit igitur invitationi Musculus Rusticus, &, ubi Civitatem cum Socio attigit, in penum omni ciborum genere instructissimam ductus, in medio Paradiso se habitare, felicitatémque ipsam obtinuisse credebat; verùm cùm paulò post felen insidiantem conspexisset, &, vix in cavernulam cum Socio dilapsus vitam servâsset, valedicens urbico musculo, tuas, inquit, tibi deinceps delicias tu habeto, non invideo; malo equidem ego mucido meo pane caseóque cum securitate gaudióque victitare, quàm tuis deliciis cum tanto vitæ amittendæ periculo abundare.

Applicatio.

Hujus fabellæ occasione poterunt Conscientiæ malæ & & bonæ fructus explicari, & per Urbicum quidem Murem Divites, Ambitiosi, Luxuriosi, aliique similes Peccatores intelligi, qui, licet sibi deliciis abundare videantur, perpetuis tamen conscientiæ stimulis fodiuntur, atque in vitæ beatitudinisque amittendæ certo periculo versantur, quæ omnia non possunt non insuavem & miseram eorum vitam efficere, id quod Dionysius Rex Syracusanus puchrè olim Damocli servo suo, practico exemplo ostendit; cùm enim hic assiduò felicitatem Regis sui deprædicaret, Rex mensam omni ciborum genere, potúque suavissimo instructam apparari eique Damoclem in Regia sella assidere, jussit, sed ita ut pendentem ex setâ equi nudum gladium, capitíque imminentem

aſpicere cogeretur; quem ubi Damocles conſpexit, omnem ei ad regias epulas appetitum extinxit. Quare à Rege ad felicitatem regiam guſtandam animatus reſpondit: & quomodo felicem me reputare poſſum, qui in tantò vitæ periculo me conſtitutum, gladiúmque vertici meo imminentem conſpicio? atqui eandem inquit Rex, ſcito meæ felicitatis eſſe ſortem. Abundo quidem & ego opibus, honoribus, Voluptatibus ac deliciis, ſed dum imminentem vertici meo gladium Hoſtinm, Æmulorum, & ipſius vindictæ divinæ conſpicio, omnis & mihi deliciarum iſtarum appetitus & voluptas extinguitur. Ut adeò verè dixerit Thomas Kempenſis l. 2. c. 4. & 6. *Mala conſcientia ſemper timida eſt & inquieta. Et: Mali nunquam veram habent lætitiam, nec internam ſentiunt pacem, quia non eſt pax impiis, dicit Dominus. Et ſi dixerint: In pace ſumus, non venient mala ſuper nos, & qui nobis nocere audebit? ne credas eis, quoniam repente exurget ira DEI, & in nihilum redigentur actus eorum, & cogitationes eorum peribunt.* Verbo: *ſi eſt alicubi tribulatio, & anguſtia, hoc meliùs novit mala conſcientia.*

Per Ruſticum murem intelligitur bonæ conſcientiæ homo, qui mundum & mundanas delicias, animo ſaltem contemnens, modicóque victu & amictu contentus id unum agit, ut per Mandatorum divinorum obſervationem, vitam Chriſtiano homine dignam vivens, æternas verásque ſibi delicias præparet. Quamquam etiam in hac vita ejusmodi homo ſuâ delectatione non careat; *non enim eſt oblectamentum ſuper cordis* (non ullius peccatoris nos arguentis) *gaudium.* Et ut clariùs dixit Thomas Kemp. l. 2. c. 4. *Si eſt gaudium in mundo, hoc utique poſſidet puri cordis homo.* Unde Salomon Prov. 15. dixit: *Secura mens quaſi iuge convivium.* Rectè ergo talis homo concludit cum Ruſtico Muſculo, illámque Salomonis ſententiam Prov. 17. uſurpari: *Melior eſt buccella ſiccæ cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.*

Conceptus Quartus.

Poterit etiam non inutiliter narrari Fabella ſeu Apologus olim Joſaphato Regi à Barlamo narratus, uti in vita ipſius

c. 10.

c.19. habetur ; ubi ait, comprehensam aliquando ab Aucupe Philomelam fuisse, quam cùm ille mox jugulare vellet, rogâsse ipsam, ut hâc vice liberam ipsam dimitteret, velle enim sc illi ejusmodi præcepta tradere, quæ, si servaret, summam haud dubiè felicitatem esset consecuturus. Acceptâ ergo conditione, tria, inquit Philomela, servato in omni vita tua. Rem, quæ apprehendi nequit, apprehendere ne quærito: rem, quæ non est verosimilis, ne credito : rem perditam, quæ recuperari nequit, ne plangito. Dimissa igitur post has doctrinas datas avicula arbori insedit, Aucupémque sic affata est: Væ tibi, quantum bonum perdidisti ! etenim gemmam in ventre fero Ovo Struthionis magnitudine non imparem, quam si me occisâ exemisses, totâ vitâ tuâ beatus fores. Quo audito cùm ille lamentari, aviculámque ad se iterum allicere inciperet, subridens illa, hem, inquit, quàm parùm doctrinas à me traditas observes, dum & credidisti, talem gemmam me in utero ferre, quod est incredibile; & demissam me denuò capere voluisti, quod facere nequis: & rem perditam, quam recuperare non potes, inutiliter planxisti.

Applicatio.

Ex hac fabella utilissimæ tres doctrinæ erui, ipsáque præcepta à Philomela data in hunc moralem sensum explicari possunt.

1. *Rem, quæ credibilis non est, ne credito*: atque adeò, cùm credibile non sit ullam rem creatam satiare posse appetitum cordis & animæ tuæ (*hæc enim*, teste S. Bernardo, *ad imaginem DEI facta, cæteris rebus occupari potest, repleri non potest; capacem enim DEI, quidquid* DEO *minùs est, replere non potest*) noli id credere, sed, ut monet pius Asceta l. 2. c. 5. *nil magnum, nil altum, nil gratum, nil acceptum tibi sit, nisi purè DEVS aut de DEO sit. Totum vanum existima, quidquid consolationis occurrit de creatura solus* DEVS *æternus & immensus, implens omnia, solatium animæ, & vera cordis lætitia.* Dic ergo cum S. David Ps. 36. animæ tuæ: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.*

2. *Rem, quæ apprehendi nequit, noli velle apprehendere* : atque adeò cùm in hac vita nemo unquam immunitatem à tribulationibus habuerit, nec habere possit (cùm omnes oportet

teat per multas tribulationes introire in regnum DEI) noli eam velle acquirere, sed potiùs illa tibi Authoris pij verba l. 2. c. 12. applica: *Credis tu evadere, quod nullus mortalium potuit præterire? quis Sanctorum in mundo sine tribulatione fuit? nec enim IESVS Christus Dominus noster unâ horâ sine dolore passionis fuit, quamdiu vixit. Oportebat, ait, pati Christum, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam. Et quomodo tu aliam viam quæris, quàm hanc regiam viam, quæ est via crucis? Erras, erras, si aliud quæris, quàm pati tribulationes; quia tota vita ista mortalis plena est miseriis, & circumsignata crucibus. Pone te ergo sicut bonus & fidelis servus Christi ad portandam viriliter Crucem Domini tui, pro te ex amore crucifixi. Calicem Domini affectanter bibe, si amicum eius esse & partem cum eo habere desideras.*

3. *Rem, quæ recuperari nequit, ne plangito*: hinc qui tempus præteritum reparari non potest (volat enim irrevocabile tempus; &, ut quidam cecinit:

Damna fleo rerum, sed non fleo damna dierum,
Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.)

imprudenter facit, qui illius amissionem immodicè plangit, sed potiùs exemplum Apostoli sequi debet Philip. 3. *quæ quidem retrò sunt obliviscentis, ad ea verò, quæ sunt priora, se extendentis seipsum.* Aut certè ejusdem consilium servare docentis Eph 5. *Videte, Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Redimet autem præteritum etiam tempus quisquis ex ejus amissione occasionem sumpserit, posterum tempus accuratiùs observandi, & singulari fervore, quem alioqui fortè non suscepisset, sua opera facere studuerit.

Conceptus Quinus.

Poterit etiam narrari cum fructu fabella seu Apologus, quem Jacobus Bidermannus in suis Acroamatib. acr. 2 narrat, quòd scilicet cùm Draco quidam Speluncam subijsset, & Rusticus saxum eidem objecisset, ille summis precibus Rusticum, ut saxum removeret, institerit, & verò etiam perfudcrit, postquam mercedem, quam Mundus benefactoribus dare consuevit, se quoque daturum promisit. Dimissus ergo cùm Rusticum occidere vellet, hanc esse Mundi mercedem pro-

promissam asserens, ut benefacta malefactis rependantur; Rusticus autem hoc esse contra fidem datam contenderet, tandem unanimiter statuunt Mundum perambulare, & quæ merces ab eo dari consueverit, apertiùs indagare. Dum ergo progrediuntur, in strigosum equum incidunt, quem, dum interrogant, quid isthîc agat? respondit is, se post diuturnam & fidelem operam Domino præstitam tandem domo expulsum, nunc Excoriatorem & mortem exspectare. Ab hoc digressi paulò pòst canem aspiciunt fune ex arbore suspensum, & seminecatum, quem quærentes, ob quam causam hîc suspensus esset, respondentem audiverunt, hanc esse mercedem, quam Dominus ingratus ob fidelissimum servitium annis sat multis præstitum tandem obtulisset. Jam altero ergo teste convictus Rusticus cùm ad tertium appellaret, tandem in vulpeculam incidit, quæ intellectâ lite arbitrum agere, sententiámque pronunciare jussa, seducit Rusticum, & liberationem occultè spondet, si dimidium gallinarum, quas domi in corte aleret, in grati animi argumentum promitteret. Annuente illo, ad Draconem conversa ait, se justum judicium ferre non posse, nisi locum, in quo Draco latuisset, inspiceret. Ingressus ergo iterum in cavernam Draco, monente Rusticum vulpecula, subitò iterum per saxum advolutum includitur, frustráque liberationis beneficium exposcit. Dum verò postea & ipsa vulpes cum Rustico ad domum illius properat, & promissas gallinas exspectat, suasu uxoris, fuste ab eo occiditur, suáque morte confirmat, quæ merces à Mundi hujus Amatoribus aut Cultoribus offeratur. Quæ omnia fusiùs adud Bidermannum narrata videri possunt.

Applicatio.

Ex hac Fabula, pulchra desumi potest occasio, simul & beneficium Redemptionis, & hominum ingratos animos explicandi.

1. Ergo ostendatur, quâ ratione etiam humanum genus in antro seu Limbi, seu Purgatorij fuerit inclusum, grandi saxo peccati originalis obvoluto firmatum. Et quomodo Christus ad preces tam ardentes, quibus assiduò clamabatur: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem:* per SS. Passionem suam hoc saxum amove-

moverit, genúsque humanum liberârit, beneficio tantò majori, quantò majorem laborem & dolores in eodem peccato removendo fuerat perpessus.

2. Demonstret, quas gratias ipsi referat humanum genus; quòd iterum eundem crucifigat, & morte gravissima & turpissima, nempe peccati actualis mortalis ipsum occidere non vereatur; id quod quotidianâ experientiâ tot Hominum accepti beneficii immemorum, iterúmque post Confessionem statim peccantium probari potest.

3. Ostendat, quam gravis sit hæc accepti beneficii oblivio, quámque meritò vereri ejusmodi homines possint, ne ad morem hujus Draconis in eodem iterum antro, ex quo liberati fuerunt, recludantur, & æternis suppliciis ingrati animi crimen luant.

Conceptus Sextus.

Narrari item potest, quod Gottschalcus Ordinis Erem. S. Augustini s. 100. & ex eo Jo. Major in Spec. Exempl. tit. Jodic. temer. ex. 1. narrat in hæc verba: Paterfamilias quidam Asino insidens foras cum Filio ibat, Filius verò pedester ambulabat. Occurrit eis una caterva hominum peregriuantium, murmurantium, & dicentium: Quomodo ille inveteratus malorum dierum equitat in asino, & permittit illum Juvenem fatigari? Quod audiens Pater (sicut vir erat, qui hominum vana dicteria semper vitare cupiebat) Filio suo dixit: Fili, hominibus non placet, quòd Asino insideam, tu ergo eum ascendere debes. Quod jussu Patris Filius fecit. At eis occurrit alia caterva hominum etiam murmurantium & dicentium: Ecce qualiter Juvenis iste Asino supersedit, & permittit illum senem pedestrem ire. Quod etiam Filius (Patri in eo similis) intelligens Patri suo dixit: Pater, neque eis placet, quòd ego Asino insideam. Præstare igitur videtur, ut uterque insideat; quo facto, ut priùs, occurrit multitudo hominum dicentium, eos asinum obruere, eósque meritò pudere debere. At ubi hoc rursum animadvertissent, decernunt, ut uterque ex asino descendat; quo facto nihilominus occurrit turba alia, eósque graviter imprudentiæ & stultitiæ arguit, quòd nimirum asinum vacuum ire sinerent, cùm tamen ipsi itineris laboribus non parùm defatigarentur, &

tur, à quibus facilè per asinum liberari possent. Pater autem tam varias hominum sententias expertus, ultimum tentare satius esse duxit, ut scilicet ligatis pedibus anterioribus & posterioribus asini, & pertica per eos ducta, asinum ipsimet portarent, quod etiam fecerunt; quibus etiam obviam facta est cachinnantium hominum multitudo inquientium: Quàm hi delirant, cùm namque ab asino portari deberent, ipsimet eum portant. Tunc gnato Parens dixit: Omnibus placere haud possumus: faciamus, quod placet nobis, & non curemus. Hucusque Gottschalcus.

Applicatio.

Ex hac fabula occasionem sumat indicandi potiorem radicem, cur tam multi tam parùm in perfectione Christiana proficiant, nimirum quia respectus humanos nimiùm attendunt, illúdque: Quid dicent homines? nimis invalescere sinunt, id quod inductione variorum exemplorum facilè ostendi potest. Quapropter ostendenda illis inprimis est, impossibilitas placendi omnibus hominibus, cùm etiam Christus & S. Paulus omnibus omnia facti, hominum de se siniſtra judicia evitare non potuerit. 2. Pariter ostendenda erunt damna, quæ ille incurrit, qui omnibus placere cupit, nimirum ut, dum tam varias Ideas sibi proponit, & imitari conatur, deforme monstrum producat; id quod ingeniosè Polycletes Sculptor quondam ostendit, dum imaginem à se pulcherrimam ad regulas artis depictam à variis reprehendi advertens, aliam huic penitus similem pinxit, & ante domum velut exiccandam exposuit. In qua cùm iterum nunc longitudinem, nunc brevitatem nimiam, nunc aliud carpi audiret, digressis illis, qui carpebant, membrum quodvis, prout illi depingendum censebant, emendavit & efformavit, cùm autem ob summam membrorum omnium difformissima imago & turpissima prodijsset, imaginem suam priorem juxta hanc statuit, dixítque accurrentibus: En cives, quale opus efficiatur, si vestra in pingendo iudicia attendam: quàm autem perfectum & elegans sit opus, quod à me secundùm artis meæ regulas est elaboratum. 3. Hortetur, ut deinceps soli DEO placere satagant, utpote cui placere facillimum (ut qui non opus, sed animum attendit) utilissimum (cùm majus ille præ-

præmium offerat, quàm ab ullo hominum sperari possit) & honestissimum est (cùm solum ipsius judicium omnium hominum collectivè sumptorum judicio longissimè sit anteponendum.

Conceptus Septimus.

Denique potest etiam narrari Fabella de Sartore illo, qui quondam summo mane, cum maxima formidine, & omnium membrorum insolito tremore ad Confessarium accurrit, atque, ut Confessionem suam excipere vellet, rogavit. Quam cùm absolvisset, quæsivit Confessarius, quæ causa tanti timoris, & acceleratæ Confessionis foret, cui Sartor respondit, visum sibi in somno atrocissimum & nigerrimum Dæmonem fuisse, qui assiduò vexillum aliquod super caput suum veluti triumphans rotârat. Quo audito, ulteriùs quæsivit Confessarius, an non advertisset, quâ ex materia vexillum illud fuisset confectum? adverti utique, inquit Sartor, ex meris fragmentis, quæ variis furtis subduxeram, fuisse consarcinatum. Cui Confessarius: facilè ergo nunc apparet causa hujus triumphi hostilis, & tui tremoris. Voluit nempe ostendere, per hæc furta te ab eo devictum. Rectè ergo egisti, hæc peccata tua confitendo, téque iterum Hostis potestati eripiendo. Deinceps tamen sedulò caveto, ne furta hæc repetas, atque ut hoc tantò faciliùs, certiùsque observes, Puero tuo præcipe, ut, quoties deinceps materiam pro vestibus scindis & præparas, aures tuas vellicet, clamétque: *Magister, memento vexilli.* Promisit hoc se facturum Sartor, & verò etiam aliquoties hoc medium sibi valde profuisse expertus est ad manus ab ejusmodi furtis continendas. Verùm cùm aliquando materiam quandam auream & valde pretiosam scinderet, & puer periculum advertens, semel iterúmque altiori voce clamaret Magister, memento vexilli: respondit tandem cum indignatione Sartor: Cessa nunc clamare; neque enim aurea in illo vexillo fragmenta à me conspecta sunt. Sícque manus suas iterum fragmentorum hujusmodi subtractione commaculavit.

Applicatio.

Ex hac fabella occasionem sumere potest Concionator duplí-

duplicem doctrinam proponendi Auditoribus. 1. Quantum triumphum de Peccatore, jubilúmque celebret Dœmon, si fortè eum per assensum in peccatum in suam redegerit potestatem. Quódque hujus triumphi, & vexilli, quod supra Peccatorem rotat, materia ab ipsomet Peccatore offeratur. Cùm ergo jam nunc iterum per Confessionem ab hoc vexillo se subduxerint, quàm æquum sit, ut ipsi etiam sibi verba illa: *Memento vexilli*: in omni occasione peccandi occinant, atque hoc freno à relapsu in peccatum contineant. Quem in finem proderit, accuratè aliquando ponderare, quàm durum & turpe sit sub hoc vexillo Diaboli militare, ubi pro honore summa infamia, pro solatio summi dolores, pro spoliis summa paupertas, pro præmio summi cruciatus acquiruntur.

2. Ostendat, quantò satius sit sub Christi vexillo militare, ut qui & dignitate, & sanctitate, & felicitate, & liberalitate, quâ suos Milites fovet ac recreat, infinities Luciferum excedit: qui integrum, idque felicissimum regnum suis Militibus in præmium pollicetur: qui ipse exemplo præit, & ad prælia Domini pugnanda quà verbis, quà factis roborat: qui ad jugum suum suave & onus leve tam amicè invitat. Excitentur proinde Auditores, ut, quandoquidem hoc tempore post factam confessionem deserto Luciferi vexillo ad ipsius Christi vexillum iterum confugerunt, deinceps, quoties occasio peccandi se offert, semper hujus vexilli memoriam refricent, sibíque dicant: *Memento vexilli Christi.* nam, ut S. Cyprianus de duplici Martyrio ait, *huius militiam professus es ad salutare lavacrum, huic dedisti nomen, huius Sacramentis initiatus es, accepisti donativum & pignus Spiritus, ne quid dubitares de promisso stipendio, simúlque Diabolo denuntiâsti perpetuas inimicitias, renuntiâsti omnibus illius pompis ac voluptatibus, exsufflâsti, exsibilâsti, iurâsti in verba Redemptoris. Et nunc tam vili mercedula sollicitatus, sponte deficis ad eum, à cuius tyrannide te Christus suo sanguine redemit, cuius iam totus es factus?*

CAPUT IX.

DE PRAXI CONCIONES DE PASSIONE DOMINI HABENDI.

§. I. Quid

§. I.

Quid in his Concionibus in genere sit observandum.

I. QUantam hæ Conciones vim & efficaciam habeant ad mentes Auditorum in Christi Servatoris sui amorem vehementissimum inflammandas, vel ex unico S. Bernardi testimonio colligi potest, dum in sermone quodam ait: *Super omnia te mihi amabilem reddit, O bone IESV, calix, quem bibisti, opus nostræ Redemptionis; hoc enim omnino amorem nostrum sibi vendicat; hoc, inquam, devotionem nostram blandiùs allicit, iustiùs exigit, arctiùs stringit, & vehementiùs afficit.* Et verò vel ideo fortè etiam petras Passionis ac mortis suæ tempore rumpi atque discindi voluit Christus, ut ostenderet, quantas olim vires ac efficaciam eadem sua Passio habitura esset ad durissima Peccatorum corda emollienda. Meritò ergo omnem dabit operam Concionator, ut ita ejusmodi Conciones instituant, ut nemo facilè ex Auditoribus discedat, qui non tanti beneficii commemoratione commotum se atque in ardentiorem Christi Servatoris sui amorem inflammatum sentiat. Ut autem hunc scopum facilius obtineat, sequentes doctrinas proderit observâsse.

II. Et primò quidem ante omnia ipse studeat beneficij hujus magnitudinem clarè agnoscere, dignéque ponderare; quem in finem sex aut septem capita bene ponderanda sunt. 1. *Persona, quæ patitur*: in qua dignitatem, innocentiam, sanctitatem, omnipotentiam, liberalitatem, charitatemque cõsiderare oportet; ex his enim omnibus nõ modicè augetur & crescit Redemptionis beneficiũ. 2. *Cruciatuum, quos Christus perpessus est, multitudo & atrocitas*: quam breviter ipse illis Jeremiæ Thren. cap. 1. expressit: *O vos omnes, qui transitis per viam: attendite, & videte, si est dolor similis dolori meo.* Dividuntur autem in externos, per baptismum à Christo, quando dixit: *Baptismo habeo baptizari.* Matt. 10. indicatos & *internos*, per calicem, quando Joan. 18. dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* significatos hic enim, quia ingreditur, & penetrat interiora, meritò in-

ternos

ternos dolores significat, uti & baptismus externos, quia per hunc corpus exterius tantùm abluitur. Ad externos pertinent ea, quæ Christus in facultatibus & rebus necessariis, in honore, fama, corpore, Amicis, quinque sensibus, & reliquis membris ac partibus corporis passus est, ita ut meritò de eo diceretur à Propheta Isaia c. 1. *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens.* Ad internos pertinent Divinitatis desertio, sensibilium consolationum suspensio, tristitia propter injuriam DEO illatam, & tot Hominum condemnationem, timores, tædia, & agonia horrenda, quam sanguineus sudor testabantur, qui, sicut partem Hominis nobiliorem scilicet animam afficiebant, ita longè quoque externos dolores in corpore exantlatos acerbitate sua superabant. 3. *Persecutorum multitudo & crudelitas:* nam persecuti eum sunt Rex Herodes irridens, Pilatus condemnans, summi Sacerdotes Annas & Caiphas eum reprobantes, Scribæ & Pharisæi accusantes, milites comprehendentes & subsannantes, Carnifices flagellantes, spinis coronantes, & crucifigentes, Plebs ad mortem eum postulans, & Barrabæ illum postponens, & ipsi Discipuli eundem vel deserentes vel tradentes, vel negantes, de quibus meritò illa Psalmi 21. verba usurpabat: *Circumdederunt me Vituli multi, tauri pingues obsederunt me, circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me.* Fuítque dolor ex hac persecutione ortus tantò acerbior, gravíorque, quantò clariùs non tantùm opera & signa externa Inimicorum, sed etiam interiorem animi rabiem, odiúmque cognoverat. 4. *Eorum, pro quibus patiebatur, ingratus animus, & perditio:* de quibus meritò querebatur per Isaiam c. 1. dicens: *Filios enutrivi, & exaltavi, & ipsi spreverunt me:* Et iterum c. 4. *Quid est, quod debui facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod exspectavi, ut faceret uvas* (grato animo agnoscendo beneficium Redemptionis, síbique applicando) *& fecit labruscas,* illud ipsum beneficium spernendo, sanguinémque meum pro illis profusum in perniciem suam vertendo. 5. *Amor & affectus,* quo totam suam passionem & tormenta desiderabat ardentissimè, amplectabatur fortissimè, & tolerabat constantissimè, ita ut verè nemo possit comprehendere, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas, & profundum hujus internæ affectionis, nec

scire supereminentem scientiæ charitatem Christi JESU, teste Apostolo Eph. 3. 6. *Virtutes præstantissimæ*, quas in heroico & supremo gradu tunc maximè exercuit, tum ut exemplo suo illas in cruce velut cathedra doceret: tum ut easdem nobis sua passione promereretur: tum ut morte sua confirmaret ultimam suam voluntatem, quâ easdem virtutes nobis velut præclaram hæreditatem relinqueret. 7. *Septem Stationes, in quibus patiebatur*: quarum prima fuit in horto Gethsemani, secunda in domo Annæ, tertia in domo Caiphæ, quarta in domo Pilati, quinta in aula Herodis, sexta in Prætorio Pilati, septima in monte Calvariæ, in quibus omnibus copiosa illi patiendi occasio, materiáque subministrabatur. Hæc ergo septem capita si frequenter & accuratè per privatam considerationem ponderârit, non modò ipse beneficii per Passionem suam à Christo collati magnitudinem & excellentiam clarissimè intelliget, sed abundantem etiam materiam inveniet, similem æstimationem per solidas Concionum instituendi.

III. Det operam, ut scopum, qui ejusmodi Concionibus præfixus esse debet, ob oculos semper habeat, nempe ut eum affectus & actus virtutum in Auditoribus excitare studeat, quos tantum beneficium jure meritissimo ab ijsdem expostulat, quales sunt. 1. *Sincera & affectuosa condolentia & commiseratio*, quæ in voces similes cum David Rege 2. Reg. c. 18. erumpere eum cogat: *IESV Servator mi, mi IESV Servator quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? Intentus dolor & contritio de peccatis concepta*: juxta S. Bernardi in S. 3. de Nativ. monitum: *Agnosce, ô Homo, quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse est, Dominum Christum vulnerari.* 2. *Amoris mutui demonstratio*: Cùm enim ex una parte, ipso Christo teste Joan. 15. *maiorem dilectionem nemo habeat, quam ut animam quis ponat pro Amicis suis*; atque adeò, teste Sancto Apostolo Rom. 5. vel maximè commendaverit charitatem suam Christus pro nobis, quòd, cùm adhuc Peccatores essemus, pro nobis mortuus est; ex altera verò parte amor juxta Ethnicos non nisi mutuò amore compensari possit, facilè apparet, quantum amorem à quovis exigat hoc Passionis beneficium, quámque adeò meritò S. Bernardus, ut suprà jam dictum est, exclamârit: *Super omnia te mihi amabilem reddit, ô bone IESV,*

eam,

calix, quem bibisti, opus nostræ Redemptionis. Sed & S. Augustinus id ipsum confirmans dixerit: *Domine, qui tibi non servit (amando) quia creatus est, infernum meruit, qui verò tibi non servit, quia redemptus est, meretur, ut novus pro eo infernus fiat.* 4. *Gratitudinis*: de qua præclarè S. Bernardus in s. de dilig. DEO sic locutus est: *Si totum debeo pro me facto, quid addam iam pro me refecto, & refecto hoc modo? nec enim tam facilè refectus quàm factus; nam qui me semel, & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se, &, ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo, quid DEO retribuam pro se? nam etiamsi millies me rependere possem, quid sum ego ad DEVM?* 5. *Spei & fiduciæ*: ad quam efficaciter iterum exhortans S Bernardus s. 22. super Cant. ait: *Passio tua, Domine IESV, ultimum est refugium, singulare remedium; deficiente sapientia, Iustitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis illa succurrit. Cùm enim defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido. Scio, quid faciam: Calicem salutaris accipiam: scio, quòd merita mea non sufficiant, ego verò fideliter, quando ex me mihi deest, usurpo ex Visceribus Domini, quoniam misericordiâ affluunt; nec desunt foramina, per quæ effluant.* Hinc & S. Augustinus confessus est, se in omnibus adversitatibus non inveniisse tam efficax medium, quàm vulnera & passionem Christi. 6. *Imitationis Christi*: nam, ut eleganter S. Augustinus tr. 119. in Joann. dixit, *Crux Christi non tantùm est lectulus morientis, sed etiam Cathedra docentis*; hinc S. Petrus 1. c. 2. monuit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* ut adeò meritò quivis exclamet cum S. Bonaventura: *Nolo, Domine, vivere sine vulnere, quando te video tantopere vulneratum.*

IV. Etsi ad enumeratos affectus concitandos omnem operam ac eloquentiam adhibere debeat, cavere tamen simul etiam oportet, ne ad hunc finem ludicra & exotica spectacula in templo aut in cathedra exhibere velit; hæc enim curiositatem potiùs pascunt, quàm Auditores ædificent; sed & ipsos affectus, quos excitare cupit Concionator, impediunt potiùs, quàm promovent, uti multiplici experientia compertum est.

Potiùs ergo Eloquentiam suam in auxilium advocet, & cruciatuum Christi magnitudinem ac multitudinem patheticè ob oculos ponat, nec dubitet, quin majorem ex tali concione fructum, quàm ex quibuscunque aliis spectaculis sit reportaturus.

V. Quò faciliùs materiam pro ejusmodi Concionibus inveniat, studeat nôsse Authores, qui copiosiùs ejusmodi materiam suppeditant, quales præ reliquis esse possunt Card. Bellarminus de septem Verbis Christi in cruce pendentis. Alphonsus Rodriquez p. 2. de perfect. Christ. tr. 7. toto. Casparus Tausch in Matre Dolorosa. Lepoldus Mancinus de Passione Domini. Hieremias Drexelius de Christo patiente. Ludovicus de Ponte p. medit. 4. fusè. Laurentius Forer in part. 3. Vit. Christi. Matthias Faber in opere trip. in Feria Parasceves, & plures alij.

§. II.

Exemplar

Concionis de Passione Dominica instituendæ.

Thema.

Christo igitur passo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini. 1. Petri 4.

Scopus.

Demonstrandum, quomodo per memoriam devotam passionis & cruciatuum Christi omnia adversa sibi levia facere possint Auditores.

Syllogismus principalis.

Non leve solatium est miseris, si socios nanciscantur eadem, aut graviora passos; Atqui omnes Fideles in tribulationibus suis Socium nacti sunt Christum, graviora longè tormenta ac cruciatus perpessum; Ergo meritò ex illius considerata passione non leve solatium sperare possunt.

EXORDIUM.

Solent non rarò ij, qui majorem sanitatis, vitæque suæ conservandæ curam ac sollicitudinem gerunt, myrothecia

(Bal-

(Balsam. Büchslein) secum circumferre, ut si fortè subito & inopinato casu in deliquium cadere eos contingeret, balsami in myrothecio suo inclusi unctione confortare sese, reficeréque possent. Similem industriam optarem ego ab omnibus meis Auditoribus tantò ardentiùs adhiberi, quantò pluribus, gravioribúsque spiritualium deliquiorum, pusillanimitatis, inquam, & impatientiæ periculis sunt subjecti; cùm enim jam olim pius Asceta l. 2. de imit. Christi c. 12. verissimè dixerit: *Converte te suprà, converte te infrà: converte te extra, converte te intra, & ubique crucem invenies*: facilè apparet, quantopere myrothecio aliquo spirituali indigeamus, quo animum nostrum in ejusmodi adversis casibus à deliquio spirituali defendamus, aut certè, si in illud ceciderit, iterum erigamus, & roboremus. Quod autem ad hunc finem aptius, efficaciúsque myrothecion reperire poterimus, quàm devotam Passionis & Cruciatuum Christi memoriam? ita sanè jam olim testatus est S. Augustinus, dum s. 3. ad Fratres in Eremo dixit: *In omnibus adversitatibus meis non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Servatoris; in illis dormio securus, & requiesco intrepidus.* Hoc sanè myrothecion omnibus convenit & prodest, pauperibus æquè ac Divitibus, humilibus æquè ac sublimibus; simplicibus æquè ac sapientibus, uti rectè notavit paulò antè citatus Asceta l. 2 c. 1. de imit. sequentibus verbis: *Si nescis speculari alta & sublimia, requiesce in passione Christi, & in vulneribus eius libenter habita; si enim ad vulnera & pretiosa stigmata IESV devotè confugis, magnam in tribulatione confortationem senties.* Ut ergo & vos deinceps optatum solatium & robur ex hoc myrothecio, seu sanctissima Christi passione referatis, inprimis variis argumentis & testimoniis, quàm pretiosum & salutare sit hoc balsamum demonstrabo; deinde verò unam hujus myrothecii cistulam post alteram aperiam, & quale ibi balsamum lateat, ac quomodo usurpandum sit, ostendam. Quemadmodum verò non dubito, vos insignem fructum & solatium ex hac concione reportaturos, ita magna quoque aviditate, benevolentiáque dicentem vos audituros confido.

Pars prior.

Inter alias celebriores Medicinas, quibus Medici ad con-

servandam, & reparandam Hominum salutem utuntur, nu
postrema meritò Theriaca æstimatur, utpote quæ præter ad
mirandos, quos producere solet, effectus, etiam ex eo cap
commendationem & æstimationẽ singularem meretur, qu
ex trecentis diversis herbis, & aliis similibus medicinis co
ponatur; sed quid hæc omnia ad illas partes, ex quibus bals
mum nostrum spirituale conficitur? Nam 1. ad hoc a
omnia adhibita fuit ipsa Divinitas, utpote quæ adeò neces
ria erat ad hoc balsamum conficiendum, ut sine ea nullu
omnino efficaciam habuisset; siquidem concors est SS. Pa
trum sententia, nullum purum hominem pro peccatis ab
mano genere commissis satisfacere potuisse, nisi miseric
DEUS hoc medium invenisset, & infinitam dignitatem
Divinitatis cum vilitate humanæ Naturæ conjunxisset.
Ipsa etiam Christi Domini Humanitas ad hoc balsamum a
hibita est; cùm enim ex una parte DEUS decrevisset, huma
num genus per varios, gravissimósque cruciatus, mortis
que acerbissimam & ignominiosissimam redimere; ex alte
verò parte ipsa Divinitas nec pati, nec mori posset, utique ne
cessarium pariter fuerat, ut humanam Naturam assumeret,
& ita conceptum in divino consilio decretum exequeretur.

Atque ex his præcipuis duabus partibus facilè nunc co
ligi potest, quæ aliæ fuerint adhibitæ, nempe universa imp
mis attributa, quæ summæ Deitati conveniunt: omnes d
inde supernaturales gratiæ & virtutes, quibus sanctissim
Christi Humanitas in summo gradu ornata erat: omnia pr
clara opera, quæ toto vitæ suæ tempore exercuit: omn
merita, quæ per actiones suas Theandricas in infinitum pr
pemodum excrescentia obtinuit; omnes dolores, quos in v
ta & morte supra vires naturæ sustinuit: omnes injuri
ignominiæ, quas à variis Personis cum summa patientiæ
mansuetudine toleravit: omnia vulnera tam majora, qua
minora, quæ, uti ex variis revelationibus habetur, supra
mille sexcenta sexaginta sex accepit: omnes sanguinis gut
quas innumerabiles ineffabili charitate ac liberalitate pro
dit: & ipsa denique ignominiosissima, & crudelissima mor
quam inaudita fortitudine & constantia obivit. Cùm ergo
juxta certam & unanimem SS. Patrum sententiam, vel min
Sanguinis guttula, aut minimum opus à Christo patratum
pro-

tantum in se valorem ac dignitatem contineat, ut etiam ad infinitos Mundos redimendos suffecisset, facilè profectò colligi potest, quàm pretiosum hoc balsamum nostrum esse oporteat, quod ex tot operibus ac guttis Christi, aliisque suprà enumeratis partibus confectum est, ut adeò meritò S. Leo s. 10. de Pass. Domini dixerit, ex omnibus DEI operibus nullum magis admirandum ac pretiosum esse, quàm sanctissimam Christi passionem.

Quòd porro singularem habeat vim & efficaciam ad Homines in omni spirituali deliquio confortandos, testatus inprimis est ipse DEUS tum per serpentem æneum in deserto suspensum, quem, qui aspiciebant, à morsibus letiferis serpentum sanabantur, uti Num. 21. legitur; tum per farinam, quæ pulmento ab Elisæo Propheta infusa omnem illius amaritudinem sustulit, uti 4. Reg. 4. narratur; tum per lignum in aquas amaras missum, quod pariter omnem ijs aquis amaritiem eripuit, uti Exod. 15. videre est; quid enim per has figuras aliud significare voluit DEUS, quàm quòd sicut serpens æneus morsus corporis, ita Christus in cruce suspensus morsus animi sanet; & sicut lignum illud & farina amaritudinem à pulmento & aquis, ita Christi passio cogitata tristitiæ amaritudinem à mentibus Hominum auferre soleat? 2. Testatus idipsum est ipse Christus, dum Discipulos suos Jo. 15. ad tribulationes & Mundi persecutiones fortiter sustinendas animaturus, non aliud, quam exempli ac passionis suæ balsamum obtulit dicens: *Si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Atque ut magis hoc balsamum commendaret, addidit: *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Sed & post mortem idipsum suasit Religioso cuipiam, dum ob graves tentationes ad sæculum redire volenti, dixit: *Omne asperum intinge in latus meum, & erit tibi dulce*; nimirum tribulatio, ut S. Catharina Senensis à Christo instructa dicere solebat, similis est duro pani, qui, secundùm se quidem asper est, & difficulter sumi potest; si verò dulcissimo liquori sanguinis Christi immergatur, mox emoliri incipit, & cum delectatione singulari assumitur. 3. Testatus quoque eandem doctrinam est S. Michaël Archangelus, qui jussu DEI S. Mariæ Magdalenæ in spelunca degenti

Crucem affabrè factam in ipso speluncæ aditu sic defixit, ut quocunque oculos converteret, semper eam aspiceret, ut hac ratione doceret, quo potissimùm medio asperitatem pœnitentia emollire, séque in omnibus tentationibus atque adversitatibus roborare deberet. Uti fusiùs Silvester in vita aur. ser. de S. Magdalena refert. 4. Testati sunt hoc ipsum gemini Principes Ecclesiæ, primariisque Apostoli Petrus & Paulus; quorum prior 1. Petr. 2. primos suos Christianos adversus imminentes persecutiones confortaturus, hoc ipso nostro balsamo eos inunxit scribens: *Christo in carne passo, & vos eâdem cogitatione armamini.* Posterior verò eodem ad Hebræos roborandos medio usus est, dum c. 12. scripsit: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à Peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* Nec dubium esse potest, quin reliqui quoque Apostoli & se, & Christianos suos eodem quoque balsamo inunxerint, & contra varias tribulationes roborârint. Testati sunt id ipsum copiosè plerique SS. Patres, quorum tamen unum tantùm alterúmve testimonium afferam. Et S. Gregorius Magnus quidem in Epist. quâdam scripsit: *Nihil adeò grave est, quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam revocetur.* S. Isidorus verò l. de summo bono ait: *Si Passio Redemptoris ad memoriam reducitur, nihil est, quod non æquo animo toleretur, parva enim toleramus, si recordemur, quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad cœlum.* Testatur hæc idem & ipsa ratio nostra; an non enim hæc dictat, servum non debere esse majorem Domino suo? nec Discipulum seu Magistro? non decere, ut sub spinoso capite membrum extat delicatum? an non dictat, eum, qui præmij socius esse desiderat, etiam laboris & passionis socium esse debere? an non dictat, summum fore dedecus, si Christo calicem amarissimum in nostram sanitatem ebibente, nos neque guttam dulcius amore gustare de simili calice velimus? Testantur denique 7. idipsum Filij hujus sæculi; nam si Urias 2. Reg. 11. & lecti & mensæ delicias tam constanter recusavit, dum Joabum Ducem suum sub Papilionibus & super faciem terræ manere recordatus est: si Seneca ad lectionem Sextij omnes cursus adversos provocare non dubitavit: si juxta communem proverbium solatium est miseris socios habere; quid non effi-

ficiet

ciet in animo Christiani, si Christi Ducis sui tot tantósque cruciatus passi exemplum intueatur? quantum solatium capiet, si meminerit, se in tribulationibus suis non purum hominem, sed ipsum DEUM Socium habere, atque tum exemplo suo, tum auxiliis cælitibus collatis confortantem? Satis liquet ergo, ut arbitror, quàm veraciter SS. Christi passio pretiosissimo & saluberrimo myrothecio comparetur; atque adeò nihil supereſt, quàm ut ad alteram concionis partem transeamus, & unam cistulam post alteram aperientes, quale in eo balsamum lateat, & quâ ratione adhibendum sit, ostendamus.

Posterior Pars.

Primò ergo loco bullæ Moschi (deß Bisam-Knopffs) reperitur in hoc Myrothecio nostro Mysterium lotionis pedum, in quo utique præstantissimum & fragrantissimum Moschum continetur, illud videlicet exemplum, de quo ipse Christus dixit Jo. 13. *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Hoc ergo Moscho utuntur inprimis Sacerdotes & Magistratus, quando impelli se sentiunt, ut nobilioribus quidem Personis libenter operam suam exhibeant, justitiámque administrent, viliores verò & humiles negligant, & velut indignos sua ope contemnant; hîc considerent, quàm nullum inter Apostolos discrimen Christus faciat, quanta cum charitate & humilitate scelerato Judæ perinde ac S. Petro, S. Joanni & aliis Apostolis pedes abluet, & extergat; discant proinde & ipsi nullum inter Personas discrimen facere; meminerint, omnes ad æqualem finem à DEO creatos, omnes æquali charitate ac pretio à Christo redemptos, omnes in Filios ac Hæredes summi DEI electos esse. Audiant proinde, & observent saluberrimam S. Jacobi monitionem c. 2. dicentis: *Fratres mei, nolite in Personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESV Christi gloriæ. Etenim si introierit in Conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nónne iudicatis apud vosmetipsos & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Audite,*

dite, Fratres mei dilectissimi, nónne DEVS elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit DEVS diligentibus se?

Hoc eodem Moscho seu exemplo Christi pariter etiam se confortent omnes ij, quibus difficile accidit, vel humilia officia suscipere, vel certè aliis juxta conditionem sui status subijcere sese, ac servire. Hi, inquam, omnes bene considerent, quis sit ille, qui ad pedes suorum Discipulorum se prosternit; & qui sint illi, quorum pedes abluere dignatus est: imaginentur proinde, illa sibi pij Ascetæ verba l. 3. c. 13. ab illo repeti & inculcari: *Quid magnum si tu, qui pulvis, & propter nihil, DEVM te Homini subdis, quando ego omnipotens & altissimus, qui cuncta ex nihilo creavi, me Homini propter te humiliter subieci? Factus sum omnium humillimus & infimus, ut tuam Superbiam meâ humilitate vincerem. Disce obtemperare pulvis. Disce humiliare te terra & limus & sub omnium pedibus incurvare. Disce voluntates tuas frangere, & ad omnem subiectionem te dare.* Sic profectò non parùm confortabuntur, & exemplo tanti Magistri sui excitati in humilibus obsequiis ac subjectione libenter ad finem usque vitæ perseverabunt.

Sed ad ipsas nunc Myrothecij nostri cistulas aperiendas progrediamur, quarum quidem quàmplurimæ in eodem continentur, totidem scilicet, quot genera diversorum cruciatuum & injuriarum tempore Passionis suæ Christus sustinuit: sed ego quinque duntaxat præcipua aperiam, ea ipsa videlicet, quæ in Rosario doloroso plerumque solemus commemorare, & ad quæ velut suprema genera, reliqui ferè omnes Cruciatus & injuriæ revocantur. In prima igitur cistula, cui hæc verba, inscripta sunt: *Factus in agonia prolixius orabat*, *Luc.* 22. balsamum reperitur pro iis, qui gravibus mœroribus & timoribus futurorum malorum cruciantur. Hoc balsamo utantur inprimis illi, qui de futuris eventibus nimium solliciti sunt, & anguntur. Hi proinde discant à Christo, quomodo se in simili occasione gerere debeant. Ipse certè licet ab ipso Conceptionis suæ primordio clarissimè cognoverit omnia, quæ sibi eventura erant, nunquam tamen ab ea cogitatione se ad tristitiam commoveri est passus, usque dum ipsum, quo ea tolerare debebat, tempus appropinquabat, ut

vel

vel hoc suo exemplo nos doceret, omnem de futuris eventibus inordinatam sollicitudinem abijcere, totósque nos Sapientissimæ Patris æterni providentiæ gubernandos committere. Aspiciant proinde,& faciant secundùm hoc exemplar. audiant Thomam Kempensem l. 3. c. 30. salubriter monentem: *Quid importat sollicitudo de futuris contingentibus,nisi ut tristitiam super tristitiam habens? sufficit diei malitiâ sua. Vanum est & inutile de futuris conturbari, quæ fortè nunquam evenient.* Faciant perinde sequentem in ejusmodi occasionibus discursum: Aut evenient,quæ tantopere timeo mala,aut non evenient: si non eventura sunt,frustra & stultè ob ea conturbor & angor: si autem eventura sunt, satis erit, si tunc toleranda fuerint, quando evenient. Nolo ergo ante tempus miser esse, & malũ immatura ac sollicita illius exspectatione grandius efficere,sed potiùs tempus, quo accidet, exspectabo, & tunc exemplo Servatoris mei ad montem Oliveti,id est,Misericordiæ divinæ me conferam, & loco trium Apostolorum,quos Christus secum accepit,ego tres Theologicas virtutes assumam,*Fidem* videlicet, quâ firmiter credam,mihiúc persuadeam, nihil sine ordinatione ac permissione divina accidere; & quidquid hoc modo accidit,ad majorem DEI gloriam,meámque salutem fuisse ordinatum, aut permissum: *Spem*,quâ certò confidam, DEUM non permissurum,ut ultra vires affligar,sed cum tribulatione etiam gratiam copiosam ad sufferentiam largiturum: *Charitatem* denique, quâ in his omnibus superem propter eum, qui dilexit me: quáque meam voluntatem cum ipsius voluntate penitus conformem,& ex corde cum ipso dicam: *Pater, si possibile est, transeat calix iste à me; verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Ita profectò & ipsi cum Christo confortabuntur, ultróque tribulationibus imminentibus occurrent dicentes: *Surgite,eamus.* Post hos verò etiam ij hoc, balsamo utantur, qui pusillamines sunt, & quæruntur; si preces suas,quibus aut varia mala deprecabantur, aut certa beneficia,gratiásque petebant, à DEO non exauditas, sed penitus neglectas fuisse advertant. Et hi ergo ad exemplum Christi in horto tam ferventer & humiliter orantis,nec tamen exauditi attendant,secúmque sic discurrant: Si is, qui unicus & dilectissimus Patris æterni Filius fuit, qui nullum unquam

peç-

peccatum admisit,qui toties,& tam ardenter oravit, tamen à Patre non est auditus,cur ego vilissimum ac postremum illius mancipium,qui toties & tam graviter ipsum offendi,qui tam tepidas & imperfectas preces obtuli,cur,inquam,conquerar, ab eo non secundùm voluntatem meam exaudiar? Hic ergo discant à Christo,quòd DEUS,ut Sapienter S. Isidorus advertit,frequenter non audiat ad voluntatem,ut exaudiat ad salutem,id est,ea beneficia donáque conferat, quæ ad profectum ac salutem animę nostræ magis proficua esse cognovit;quemadmodum & cum Christo egit, dum ab ipso Calicem quidem, quem transferri à se petierat,non abstulit, sed tamen robur copiosum,quo eum exhaurire posset,communicavit, quod & ipsi Christo, & toti generi humano longè conducibilius fuerat, sæpe igitur ejusmodi Personæ quærulæ hoc exemplo Christi se solentur, simúlque saluberrimam, solatijque plenissimam S. Bernardi serm. 5. de quadr. sententiam pectori suo,memoriæque firmiter inscribant: *Nemo parvipendat orationem suam; dico enim vobis,quòd ipse,ad quem oramus, non parvipendit eam. Postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo, & unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit, quod petimus; aut quod nobis utilius.*

In Secunda cistula, quæ mysterium flagellationis continet,atque adeò hæc verba inscripta habet: *A planta pedis usque ad verticem non est sanitas in eo. Isaiæ 1.cap.* balsamum pro ægris,aliisque dolores corporales patientibus invenitur.Hic ergo utantur inprimis omnes infirmi, séque exemplo Christi in similem modum ad infirmitates suas æquo animo ferendas excitent, & confortent: Ecce Dominus meus & Servator meus gravissimos toto corpore dolores patitur, & ego modicum dolorem pro ipso non patienter & libenter sustineam? ipse pro lecto durissimam columnam & crucem habet,& ego de duritie lecti mei conquerar? ipse felle amarissimo potatus est,& ego amaritudinem Medicarum potionum horrebo? ipse flagellorum & clavorum punctiones innumeras tulit, & ego pauculas, levesque morbi punctiuras non feram? ipse omni hominum auxilio,solatióque destitutus fuit, & ego Hominum solatia immodicè expetam,& conquiram? Absit hoc à me, non decet sub Spinoso capite membrum esse delica-

tum

tum: Nolo vivere sine dolore & vulnere, quando Dominum meum tot doloribus & vulneribus video insignitum. Sic profectò hoc oleo S. Clara, & S Lydvvina se inunxerunt, & consolatæ sunt, ex quibus hæc continuis triginta octo annis per gravissimos morbos sic lecto fuerat affixa, ut neque surgere, nec pede terram attingere posset; S. Clara verò per annos viginti & octo cum acerbissimis doloribus morbisque est luctata, utraque tamen nec minimum unquam impatientis animi signum ostendit, sed continua gratiarum actio ex utriusque ore fuit audita, quia scilicet, ut ipsæ fatebantur, balsamo nostro inunctæ exiguos esse dolores suos adverterant, si cum Christi amantissimi Sponsi sui doloribus comparentur. Simili autem modo, hoc etiam balsamo utantur, quotquot vel à DEO, vel à Superioribus suis ob sua delicta per varias correptiones & castigationes flagellantur. Discant, inquam, hæc flagella non ut crudelia supplicia, sed ut paternas correptiones intueri, atque adeò æquissimo animo excipere ac sustinere studeant. Audiant proinde S. Apostolum Hebr. 12. salubriter iterum monentem: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris, cùm ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem Filium, quem recipit.* Audiant & S. Augustinum super Ps. 99. dicentem: *Fili mi, si ploras, piè plora: noli cum indignatione, noli cum typo superbiæ. Vnde plangis? quòd pateris, medicina est, non pœna: castigatio non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate. Noli attendere, quam pœnam habeas in flagello, sed quem locum in hæreditate.* Dicant proinde cum S. Davide Ps. 37. *Ego in flagella paratus sum.* Dicant cum pio Asceta l. 3. c. 50. *Gratias tibi ago, ô Pater, quia non pepercisti malis meis, sed attrivisti me verberibus amaris, infligens dolores, & immittens angustias foris & intus. Ecce Pater dilecte, in manibus tuis sum ego, sub virga correctionis tuæ me inclino. Percute dorsum meum, & collum meum, ut incurvem ad voluntatem tuam tortuositatem meam.* Dicant denique semper & assiduò cum pio Latrone: *Nos quidem iustè* (flagellamur) *nam digna factis recipimus; hic verò* (Christus) *nihil mali gessit.*

In tertia cistula mysterium coronationis continente, cui hæc verba inscripta sunt: *Plectentes coronam de spinis impo-*

sue-

fuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum; balsamum continetur pro iis, qui varios contemptus & injurias patiuntur. Hoc itaque balsamo utantur inprimis, qui falsò se accusatos & injustè damnatos dolent, séque ipsos exemplo & Societate Christi solentur, ac dicant; Si is accusatus est, qui fuit ipsa innocentia; qui solus cùm veritate dicere potuit: quis arguet me de peccato? quid mirum, si ego accuser, qui cum ipsa malitia? si is pro Latrone, Seductore, Pontore, Mago habitus est, qui omnium Salutem tam ardenter quæsivit, qui tam præclara virtutum exempla præbuit, qui omnibus veram viam ad perfectionem & cœlum ostendit, quid mirum, si ego falsò accuser, qui tot vitiis & imperfectionibus totus ejusmodi accusationi occasionem dedi? si is in judicio se non defendit, ubi justè poterat, ubi de vita & fama agebatur, quantò minùs ego me in causa multò leviori defendam? Sentiant ergo, & dicant de me Homines, quidquid voluerint sola me in oculis DEI conscientia non accuset. Mihi autem pro minimo erit cum D. Apostolo, ut ab Hominibus judicer, aut ab humano die. Sic balsamo isto ab ipso Christo inunctus est & confortatus Joannes Pechæn Minorita, D. Bonaventuræ Discipulus, qui, cùm in publico Capitulo falsò accusatus, graviter hanc injuriam sensisset, ideóque ante Christi crucifixi imaginem prostratus, ac de eâdem conquestus fuisset, à Christo post longiorem totius suæ passionis enarrationem, tandem pro coronide hæc verba audivit: Tu ergo vermis non turberis; si statim non consequeris, quidquid à Patre quæris. Deinde verò eodem etiam balsamo specialiter utantur, qui sese aliis postponi, vel tanquam simplices aut stultos irrideri, aut gravibus contumeliis, illusionibusque conscindi dolent; & hi, inquam, hoc balsamo seu exemplo Christi se solentur, ac dicant: Si is, qui omni honore dignus erat, tantopere contemtus, & Barrabæ Latroni flagitiosissimo postpositus est, cur ego, qui minor sum omnibus, aliis postponi refugiam? si is, quem Cælestes, Terrestres, & Inferi reverentur, & adorant, sputis consputus, & illusus est, cur ego unum, alterúmve Verbum contumeliosum non patienter audiam? si is, qui est ipsa sapientia, pro stulto habitus est, cur ego, qui veras tot stultitias admisi, & DEUM creaturæ, gratiam peccato, summam felicitatem vilissimæ voluptati postposui,

posui, pro simplici aut minùs sapiente haberi recusem? Quin imò Elegi abjectus esse in domo DEI mei magis, quàm habitare in tabernaculis Peccatorum-Ludam, & vilior fiam, plùs, quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. Hoc sanè balsamo Apostoli inuncti sunt, hinc Ibant gaudentes in conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Hoc S. Elzearius adeò roboratus est, ut dicere ausus sit, se non tristaturum, aut turbatum iri, etiamsi proprii sui Famuli ipsum invaderent, barbamque evellerent. Hoc ergo & omnes, qui similes contemptus aut injurias patiuntur, uti assuescant, Christúmque illis pij Ascetæ verbis l. 3. c. 41. ipsos alloquentem imaginentur: *Fili, noli tibi attrahere, si videas alios honorari & elevari, te autem despici & humiliari: erige cor tuum ad me in cœlum.* (aut potiùs in crucem) *& non contristabit te contemptus Hominum in terris.*

In quarta cistula, quæ Mysterium Bajulationis crucis continet, & sequentia verba inscripta habet: *Baiulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur, Calvariæ locum*: balsamum pro iis, qui sub gravi onere peccatorum vel laborum corporalium gemunt atque suspirant, continetur. Hi proinde omnes credant à Christo crucem bajulante illa sibi jam olim ad Discipulos prolata verba repeti. Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Veniant proinde ad ipsum inprimis omnes, qui laboribus corporalibus, quos propria cujusque vocatio à quolibet requirit, gravatos & oneratos se queruntur; veniant, inquam, & hoc balsamo id est, exemplo Christi se inungant, & solentur. Alloquantur seipsos, & dicant si Christus pro aliena salute tam patienter tulit crucem, cur ego pro mea salute eam non pari patientia supportem? si ille, cui jure regnum cælorum debebatur, tot tamen támque graves pro illo obtinendo labores suscipere voluit, quidni ego, cui gratis id promissum est, similes pro illo consequendo labores libenter ac promptè suscipiam? si ille, qui est requies omnium Sanctorum, in laboribus fuit à juventute sua, cur ego servus ad laborem natus in otio vitam consumere non erubescam? Sic sanè jam olim Christus Juvenem quendam Religiosum inunxit, ac roboravit, dum eidem ob difficultates in Religione occurrentes propositum mutare volenti cruce grandi onustus apparuit, &,

cùm

cùm Religiosus ipsum in cruce portanda juvare veller, eidem dixit: Quomodo tu crucem meam portare præsumis, qui togam tuam levissimam ferre non potes? quo dicto confusus ipse erubuit, & resipuit. Eodem ergo hoc unguento se inungant, qui laboribus gravantur. Imaginentur sibi, se denuo ad crucem portandam illis Luc. 9. verbis invitari: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Respondeant proinde illis piissimi libelli verbis l. 3. c. 56. de imit. *Domine IESU, sicut dixisti, & promisisti, sic utique fiat, & mihi promereri contingat. Suscepi, suscepi de manu tua crucem portabo, & portabo eam usque ad crucem. Verè bona vita Monachi* (& Christiani) *crux est, & dux paradisi. Inceptum est, retrò abire non licet, nec relinquere oportet. Eia Fratres, pergamus simul, IESUS erit nobiscum. Propter IESUM suscepimus crucem, propter IESUM perseveremus in cruce. Erit adiutor noster, qui est Dux noster & præcessor. En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores: simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, ut fugiamus à cruce.* Verùm non hi duntaxat, sed illi etiam, qui peccatorum suorum onere premuntur, veniant, & tanto ardentiùs hoc balsamo se inungant, quantò gravius est onus, quo premuntur. Hi ergo vel maximè sibi applicare debent verba illa: *Venite ad me omnes, qui laboratis,* (sub jugo & servitute Diaboli) *& onerati estis* (multitudine ac gravitate peccatorum) *& ego reficiam vos*: Ego, inquam, qui Magdalenam graviùs longè, quàm vos feceritis, peccantem tam benignè ac paternè excepi: Ego qui Petrum tertia vice me negantem tam suaviter respexi, & ad pœnitentiam commovi: Ego, qui Latronem pauculis vocibus veniam petentem tam promptè exaudivi: Ego, qui pro vobis tot tormenta sustinui, tot injurias perpessus sum, tot vulnera accepi, tot sanguinis guttas profudi, & ipsam denique amarissimam mortem sustinui: Ego, inquam, reficiam vos per gratiam meam, ego à peccatis vos sanguine meo lavabo, ego vulnera vestra mea vulneribus curabo, ego morte mea vitam vobis Spiritualem restituam. *Convertimini* itaque, *& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Et quare moriemini, domus Israël? Quia noli mortem*

morientis, revertimini, & vivite. Quis tam suavem invitationem non audiat? quis tam amica adhortatione non flectatur, maximè si meminerit, teste Taulero, Christum quondam alicui dixisse, non tam citò stupam ab igne accendi, quàm ipse paratus sit veniam peccatori contrito ac pœnitenti concedere: nec Matrem quampiam magis promptam esse ad Filiolum ex igne eripiendum, quàm ipse desideret Peccatorem ab igne tartareo liberare. Venite ergo, ô Peccatores, & saluberrimam S. Augustini l. de Virg. adhortationem vobis applicate: *Inspice vulnera pendentis, sanguinem redimentis pretium morientis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint, cogitate: hæc in statera cordis vestri appendite, ut intus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce.* Certè quàm potens sit hoc balsamum ad Peccatores confortandos & sanandos, paucis, sed efficacibus verbis S. Bernardus S. 4. hebd. sacræ ostendit, dum dixit: *Quis tam irreligiosus, qui non compungatur? quis tam insolens, ut non humilietur? quis tam iracundus, ut non indulgeat? quis tam deliciosus, ut non abstineat? quis tam flagitiosus, ut non contineat? quis tam malitiosus, ut non pœniteat his diebus? meritò quidem, nempe adest Passio Domini usque hodie terram movens, petras scindens.*

In quinta tandem cistula, Mysterium Crucifixionis continente: cui proin inscripta sunt hæc verba: *Mortuus est pro nobis, ut, sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. 1. Thessal. 5.* balsamum pro moribundis continetur, sed iis maximè, qui inimicitias deponere nolunt, & æternùm perire, quàm Inimicis ignoscere volunt; pro iis item qui mortem immodicè timent. Hi ergo omnes hanc cistulam aperiant, & pretiosissimum ad se confortandos balsamum reperient. Quis enim 1. Inimicis suis paucas injurias & offensas non libenter remitteret, si Christi exemplum tam graves, támque multas injurias non modò Inimicis suis remittentem, sed etiam excusantem, & pro iisdem Patrem æternum deprecantem audiat? Quis non erubescet, si videat, Dominum

ſuum pro ſuis tot, támque gravibus peccatis delendis remittendis tam acerba tormenta, ipsámque amarissimam mortem ſuſtinere, ipſe verò pro unica duntaxat vel altera levi offenſa conſervi ſui nec unicum actum voluntatis, quo talem ei offenſam condonet, elicere velit? annon jure Chriſtum illa Matth. 28. verba de Cruce repetiturum remebit: *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi* (imò pro copioſiſſimè ſolvi) *nónne ergo oportuit & te miſereri Conſervi tui*? Ita profectò hoc balſamo uſque, ejúsque efficaciam expertus eſt S. Gualbertus, notiſſimus ille Confeſſor, qui cùm ipſo die Paraſceves in Inimicum ſuum incidiſſet, eumque jam occidere pararet, per Chriſti veniam Inimicis ſuis tam liberaliter concedentis amorem ob eo, ut parceret, rogatus, condonavit, & in ſignum amicitiæ ambobus brachiis amplexatus eſt; quod officium quàm gratum Chriſto fuerit, mox per inſigne miraculum patefactum eſt, dum ſcilicet Chriſtus in cruce pendens, coram quo Gualbertus orabat, faciem ad ipſum convertit, ſignificare volens, æquum eſſe, ut miſericordibus oculis reſpiciatur, qui faciem ſuam ad inimicum ſuum tam benevolè convertit, omnémque ei culpam tam liberaliter remiſit. Omnes ergo, quotquot inimicitias animo adhuc fovetis, huc accedite, & illa Matth. 5. verba velut ab ipſo Chriſto denuò repetita audite: *Eſto conſentiens Adverſario tuo citò dum es in via cum eo, ne fortè tradat te Adversarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro, & in carcerem mittaris.* Apertant verò etiam hanc ciſtulam, qui mortem immodicè timent, nec leve per balſamum hoc noſtrum, ſolatium, robúrque accipient, utpotè per quod omnia tria capita, quæ mortem adeò terribilem faciunt, nempe tentationes Dœmonis, timor rationis in judicio reddendæ, & metus gravis purgatorij ſuſtinendi, efficaciter tolluntur. Quàm enim potens adverſus Dœmonum impugnationes telum ſit fiducia in SS. Domini paſſione collocata, jam pridem expertus eſt S. Elzearius Comes, qui, licet in agone terribilem ab initio vultum præſtiterit, paulò pòſt tamen exclamavit: Magna eſt Dæmonum vis, ſed eam penitus enervarunt virtus & merita Paſſionis Chriſti. Et pòſt paululum iterum clamans, pa-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nè vici, inquiebat. Sed & ipsi Dœmones idem quondam S. Edmundo Episcopo confessi sunt, dum enim eosdem per vulnera & passionem Christi adjuraret, ac dicere juberet, per quod telum vires eorum maximè infringerentur, coacti tandem responderunt: Per id, quod nominâsti. Sed nec judicij severitatem tantopere timebit, qui passionis Christi devotus Cultor extiterit. An non enim talis confidenter cum S. Bernardo S. 22. super Cant. dicet: *Ego fidenter, quidquid mihi deest, usurpo ex visceribus Domini, quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant.* Ita sanè hoc balsamum usurpavit Religiosus ille Societatis nostræ, qui dicebat, Christo duplici titulo jus ad æternam hæreditatem competere, titulo scilicet Filij naturalis, & titulo Meritorum, præcipuè per Passionem obtentorum, priorem ipsi sufficisse ad dictam hæreditatem petendam, posteriorem nobis reliquisse, unde meritò quivis cum magna fiducia & alacritate mori debeat. Ita etiam hoc balsamo usus est alius Religiosus, qui, cùm in judicio videret, alteram lancem peccatorum suorum multùm præponderare lanci bona opera continenti, unicam Christi guttulam leviori lanci apponi petijt, & mox copiosè eam præponderare fecit. Longè memorabilius verò est, quod in spec. Exempl. V. Passio Christi Ex. 3. legitur, quòd scilicet Religiosus quidam, qui non adeò bene vixerat antehac, post mortem cuidam Priori apparuerit, & se sine Purgatorio ad cœlum iviſſe Confessus sit, eò quòd consuetudinem istam habuerit, ut, quoties coram Crucifixo transiret, hanc orationem diceret: *Domine, per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in cruce, maximè quando anima tua egressa est è corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo.* O ergo verè pretiosum, verè salutare, verè desiderandum balsamum, quod tantopere in vita & mortis deliquiis confortat.

Epilogus.

Agite ergo, & non tam à me, quàm à Christo mypotheeion hoc spirituale benevolè accipite, sedulò usurpate, & studiosè conservate. Dicite cum Sponsa Cant.

cap. 1. *Fasciculus myrrhæ* (imò Myrothecion Spirituale) *dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur.* Et quemadmodum olim Hebræi, cùm tristitia quæpiam eos oppressit, ad se invicem dixerunt: Eamus ad Filium MARIÆ, ut hilares fiamus. Ita & vos in omnibus vestris tentationibus & mæstitiis ad Crucifixum Christum properate, dicitéque: Eamus ad Christum Crucifixum, ut inde rum hilares fiamus. Sic verè vim balsami hujus experiemini, & verè cum S. Augustino, dicere poteritis: *in omnibus adversitatibus non inveni tam efficax medium, quàm vulnera* (& cruciatus) *Salvatoris, Cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi: cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo: cum Diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordissimi Domini mei, & recedit à me: si aculeo libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Filii DEI extinguitur.* Si denique & ipse timor mortis me excruciabit, ad vulnera & mortem Christi confugiam; *nihil enim*, ut idem Sanctus ait, *tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur: tota spes mea est in morte Domini mei: mors eius meritum meum, refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea meritum meum miseratio Domini; non sum meritis inops, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit; & si miserationes Domini multæ, multus ego sum in meritis: quanto ille potentior est ad salvandum, tanto ego sum securior.* Quis ergo me separabit à charitate, quæ est in Christo JESU pro me passo & crucifixo? *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque instantia, neque fortitudo, neque altitudo neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare;* quia in his omnibus superamus propter eam, qui dilexit nos, donec facti

Socii passionum fuimus, ita & gloriæ simus, quam nobis per merita SS. Passionis concedat

Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

§. III.

§. III.

Alii Conceptus de eadem materia breviter indicantur.

I. Ex occasione thematis: *Plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum*: Zach. 12. potest narrari breviter historiola, quæ in Spec. Exempl. V. Passio. Ex. 6. legitur de Anglo nobili, qui in hebdomada sacra cum Saraceno per nemus pulcherrimum transiit, omnésque aves expansis alis arbori ad modum crucis adhærentes vidit, causam verò rogans à Saraceno audivit, id singulis annis in hac hebdomade contingere, verùm in die Resurrectionis omnes iterum revivíscere quasi, & cantare. Ex hac historia inferatur, meritò quemvis etiam Christianum hoc tempore duabus alis *affectus* & *effectus* cruci & passioni Christi adhærere debere. Ostendatur ergo. 1. Quomodo *affectu* adhærere debeant, nempe actus gratitudinis, fiduciæ, doloris de peccatis, amoris eliciendo, quod proin, qua ratione fieri possit, clariùs ostendendum erit. 2. *Effectu*: Ut scilicet etiam opere compatiamur, id est, simul cum ipso Christo patiamur, id quod duplici modo fieri potest, *abstinendo* scilicet, & *sustinendo*, juxta ipsius Christi adhortationem Luc. 9. dicentis: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Ostendatur proinde, quomodo in praxi quisque amore Christi *abstinere*, à peccato maximè, & omnibus rebus ad peccatum allicientibus; & *sustinere*, sed eas maximè cruces, & difficultates, quas suis cuique status & vocatio offert, debeat.

II. Ex occasione thematis: *Accepto corpore Ioseph involuit illud in Syndone munda, & posuit illud in monumento suo novo*: potest ostendi, quomodo Auditores Sepulchrum Christo in corde suo excitari debeant. Et 1. Quidem, quomodo *Parietes* dolorosa Christi patientis mysteria repræsentantes erigendi, ubi pulchra habetur occasio, præcipuos Christi cruciatus explicandi, &, quid in singulis maximè considerandum sit ostendendi. 2. Quomodo *Lampades* suspendendæ,

id est, varij affectus gratitudinis, doloris, spei, patientiæ, passionis, amoris eliciendi; ubi copiosa offertur materia, declarandi, cur, & quomodo hos actus elicere debeamus. 3. Quomodo cœlum & receptaculum pro SS corpore Christi seu Monstrantia, ut vocant, apparanda, id est, laudes & gratæ Cœlitum more ob Passionem dicendæ, & cor suum pro receptaculo seu Monstrantia offerendum sit, juxta illud Salomonis Prov. 13. *Præbe, Fili mi, cor tuum mihi.* Ubi ostendi potest, quid sit cor præbere, scilicet omnes alias res creatas excludere, omnemque suum affectum & amorem in DEUM & Christum transferre.

III. Ex occasione thematis: *Iam hyems transiit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terrâ nostra*; potest Passio *Christi horto comparari*, & inde varij flores colligi, atque in unum fasciculum, qui Auditoribus offeratur, connecti; ex qua occasione fructus præcipui, & virtutum actus, quos ex consideratione Passionis Christi reportare & elicere debemus, explicari possunt. Primus itaque flosculus esse dicatur Frissago seu **vergiß mein nicht/** per quem intelligi potest affectus gratitudinis, quam Passio Christi præ omnibus aliis beneficiis exigit. Secundus flosculus est viola seu **das Veyel** per quam dolor de peccatis indicatur, utpote ad quem eliciendum Specialiter conducit, & excitat Passio Christi. Tertius est Origanum seu **wohlgemuth.** Vel Euphrosynon seu **Augen-Trost /** per quem flosculum spes & fiduciæ, cui copiosa Motiva offert Christi Passio innuitur. Quartus est Rosa seu **die Rosen/** per quam Patientia significatur, ad quam excitandam nihil est efficacius, quàm Christi Passio; nam, ut recte S. Gregorius dixit: *nihil est, quod non æquanimiter toleretur, si Christi Passio ad memoriam revocatur.* Quintus est Flos Echij, seu **daß je länger/ je lieber**; per quem amor ab amore Christi patientis singulariter provocatus indicatur. Quæ omnes affectus fusiùs explicati partim in Alphonso Rodrig. p. 2. tr. penult. partim in Auctario Fabri them. 5. in Per. Perascev. videri possunt.

IV. Ex occasione thematis: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Ps. 115. potest Magnitudo beneficij Redemptionis explicari, eúmque in finem historia de Androdo servo Romano spinam Leoni eripiente, & vicis-

sim

sim à Leone contra alios Leones in Amphitheatro defenso narrari. Dicatur ergo 1. quòd Leo iste Hominem significet, qui spinam acutissimam peccati in pede, id est, affectibus suis contraxit. 2. Ostendatur, quomodo illam Christus, & quanto cum labore, quámque copioso sanguine & vulneribus extraxerit. 3. Inferatur, quid Homo ob beneficium Christo debeat, quòd scilicet ei hospitium in antro cordis præbere, cibum voluntatis divinæ studiosè impletæ offerre, & contra feras bestias peccatorum defendere debeat, quæ omnia facilè fusiùs ostendi possunt.

V. Ex occasione thematis: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*: *Luc. 6.* potest ostendi, quòd Christus tempore Passionis suæ maximè Medici Personam assumpserit, & Pharmacopolis quodam pretioso erecto, nunc omnes frequentibus iterum verbis invitet: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam* (ac curabo) *vos.* Demonstrari ergo poterit, quàm pretiosum hoc sit Pharmacopolium seu Apotheca ex iis maximè capitibus, ob quæ plerumque Apothecæ ab Hominibus magni æstimari solent. Et 1. quidem ostendatur, quòd *pretiosissimis* constet medicinis, videlicet meritis Christi, quorum quodlibet infiniti valoris est secundùm communiorem Theologorum sententiam. 2. Quòd *efficacissimis* constet medicinis, cùm non minor illarum sit efficacia nunc, quàm olim quando in terris ambulabat Christus, atqui tunc virtus exibat, & sanabat omnes. 3. Quòd *diversissimis* constet Medicinis pro omni morborum genere; ubi hærere maximè poterit, Concionator, & præcipuè ostendere, quàm aptæ medicinæ pro peccatis septem mortalibus repeniantur; v. g. pro Superbis corona Spinea & arundo, pro avaris marsupium Judæ, pro invidis toga Christo detracta, pro Luxuriosis flagellum sanguine Christi conspersum, pro Gulosis vas aceto & felle refertum, pro iracundis lancea Christi cruore cruentata, pro acediosis Malleus & forceps, quibus Christus cruci affixus est; pro omnibus verò velut Alexipharmacum sanguis Christi, quorum proin efficacia & aptitudo pro singulis his vitiis fusiùs ostendatur. 4. Quòd hæc apotheca semper aperta sit, & ad omnium accurrentium usum parata. 5. Quòd Medicinæ in hac Apotheca gratis & sine pretio offerantur, imò gratissimum Christo præsterur ob-

ſequium, & frequenter petantur, & uſurpentur. 6. Quòd idem, qui paravit has Medicinas, ſit etiam Medicus peritiſſimus, agnoſcens clariſſimè ſingulorum accedentium morbos, & ſimul etiam medicinarum ad illos curandos aptitudinem. Excitentur proinde Auditores, ut magnam de hoc Medico fiduciam concipiant, atque ad eundem pro Medicinis tantopere ſibi neceſſariis frequenter recurrant.

VI. Ex occaſione thematis: *Reſpice in teſtamentum ejus.* Pſ. 73. poteſt dicere Concionator, quotidianâ experientiâ conſtare, quòd poſt mortem Magnorum Dominorum magnum mox oriatur in multis deſiderium cognoſcendi, quale teſtamentum fecerit, maximè ſi aliquid ex eo ſe obtenturos ſperant. Quare cùm & nunc maximus quidam Dominus, imo Dominus Dominantium ſit mortuus, & ex ejus Teſtamento omnes ſe aliquid participaturos ſperent, ſe jam nunc Teſtamentum ultimum hujus Domini aperturum, &, quid cuique in teſtamento ſuo legaverit, explicaturum. Et 1. quidem dicatur, quòd corpus ſuum Joſepho Arimathæo & Nicodemo legârit. 2. Animam Patri æterno, in cujus manus Spiritum ſuum commendavit. 3. Dolores ſuos ægris. 4. Injurias ſuas iis, qui ſimiles injurias patiuntur. 4. Coronam ſuam Spineam iis, qui difficultatem in capite ſuo frangendo, judicioque ſuo Eccleſiæ, vel Superioribus ſubjiciendo ſentiunt. 5. Linteum renes circumdans & ſanguine purpuratum Incontinentibus. 6. Sacroſancta ſua vulnera afflictis. 7. Theſaurum meritorum ſuorum Eccleſiæ 8. Virtutes ſuas, præcipuè manſuetudinem, Humilitatem, Obedientiam, Patientiam, Charitatem, Peſeverantiam omnibus Chriſtianis. 9. Arma Crucis, ſeu ipſam Crucem omnibus ipſum ſequi perfectiùs, & ſub vexillo ſuo militare cupientibus. Oſtendatur autem de his legatis, quam pretioſa ſint, & quomodo quisque ea juxta voluntatem Teſtatoris uſurpare debeat; hunc enim uſum eſſe præcipuum obſequium, quòd Teſtator in grati animi ſignum ſibi exhiberi deſideret.

VII. Ex occaſione thematis: *Per multas tribulationes opor-*

portet nos introire in regnum DEI. Act. 14 potest dici, quòd eorum, quibus iter aliquod difficile & periculosum suscipiendum est, prima plerumque cura sit, ut Comites viæ peritos, fideles, & jucundos (cùm jucundus comes sit vehiculum viæ juxta commune proverbium) sibi adsciscant. Cùm ergo, ut textus in themate citatus indicat, omnes per viam tribulationum difficilem ac periculosam in regnum DEI intrare oporteat, meritò quoque de talibus Comitibus quemque sibi prospicere debere. Quia verò non cuilibet tam facilè fuisset, ejusmodi Comites invenire, ideo Christum eos primùm elegisse, nobisque postea reliquisse. Hos autem Comites alios non esse, quàm *Indigentiam, Contemptum, & Dolores*, quos P. Balthasar Alvarez Comites Christi appellare solebat, eò quòd Christum per totam vitam, sed maximè tempore Passionis suæ, nunquam deseruerint, sed fidelissimè Comitati sint. Dividatur ergo concio tota in duas partes, & in priori quidem parte ostendatur, quomodo hi Comites Christum in extremo vitæ ac Passionis suæ tempore sint comitati; & proinde à nobis quoque libenter suscipi debeant. 2. Ostendatur, quàm fideles, viæque periti sint hi Comites, id est, quanta spes æternæ felicitatis obtinendæ meritò concipi possit ab iis, qui ejusmodi Indigentiam, Dolores, & Contemptum patienti & generoso animo supportant. Quàm item jucundi sint hi Comites, utpote de quorum jucunditate ipse S. Paulus 2. Cor. 7. testimonium tulerit dicens: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* quæ omnia facilè fusiùs amplificari & probari possunt.

VIII. Præter hos conceptus alij quoque adhiberi possunt, à Concionatoribus usurpari soliti, ut scilicet interdum Processionem se cum Auditoribus instituturũ ad locũ, in quibus Christus passus est, variásque Stationes facturum, id est, quid in quovis loco considerare & discere debeant, aut possint, explicaturum. Aut septem ultima Christi Verba explicet, & morales inde doctrinas ad imitationem Card. Bellarmini eruat. Aut de quinque Vulneribus velut de totidem asylis peroret, & quare, ac quomodo ad ea Auditores confugere debeant, ostendat. Aut præcipuas sanguinis profusiones explicet, &, quis fructus ex ijs sit hauriendus, demonstret. Aut denique unum mysterium post alterum explanet, & sic per

plures annos totam Dominicam Passionem explicando percurrat.

Caput XI.

QUOMODO CONCIONES FUNEBRES INSTITUENDÆ SINT.

Duplicis Generis Conciones instituí solent, Solemnes & Communes. Illæ plerumque in Exequiis, hæ ipsè sepulturæ tempore instituuntur. De utrisque fructuosè instituendis solidam ac facilem Praxin hoc capite sum allaturus.

§. I.

Quid in his Concionibus in Genere sit observandum.

In primis & ante omnia curet Concionator, ut sinceram erga defunctos omnes misericordiam instillet suis AA. & Parochianis, eúmque in finem sibi applicet quoque salubérrimam illam Doctrinam, quam P. Jacobus Laynes Secundus S. J. Generalis reliquit, dum inter alia media ad conservandam Societatem hoc inprimis commendavit, ut quotidie, & quàm frequentissimè Animarum, quæ in Purgatorio igne cruciantur, meminisset; Nam quandoquidem Societas tantùm exhaurit laboris, occupationibus tam multis eo duntaxat fine susceptis, ut Homines ad æternam felicitatem consequendam juvet, Consentaneum profectò est, ut eundem prosequens Charitatis Spiritum etiam ex hac vita digressis ad cursum conficiendum opituletur, ne justa illis sit causa Societatis charitatem quasi imperfectam accusandi; & meritò fleceat conqueri, se in medio itinere, eóque in loco destitutos, ubi nullam omnino sibi ipsis opem queant afferre. Quæ Doctrina profectò à Curatoribus Animarum tantò magis observanda est, quantò pluribus & potioribus Titulis obligati sunt, ad Animas suorum Parochianorum juvandas. Accedit, quòd hæc misericordia sit efficacissimum Medium ad Felicitatem æternam meliùs, citiùs, & copiosiùs obtinendam atque adeò vel hoc etiam titulo à Pastore suarum ovicularum salutem avidè desiderante studiosè inculcari debeat.

2. Cùm

2. Cùm nunquam ferè, quàm tali tempore, quo Conciones funebres habentur, Animi Auditorum magis sint dispositi ad doctrinas acceptandas; Ideo in his Concionibus specialem adhibeat diligentiam, ut ad motus & affectus congruos excitandos sint comparatæ. Quod quidem non adeò erit difficilè, si industrias mox subjungendas sedulò observet.

3. Præcipuè semper ob oculos habeat finem, quem ejusmodi Concionibus habendis præfixum esse oportet, qui quidem triplex est potissimum. Scilicet Collaudatio defuncti, Consolatio Amicorum, & ædificatio reliquorum Auditorum, omnémque det operam, ut quidquid his finibus obtinendis obstare potest, efficaciter removeat.

4. Pro primo Fine, scilicet Collaudatione defuncti obtinendo sequentia observet. 1. Caveat ne aliquid ad commendationem defuncti afferat, quòd fictitiæ virtutis speciem præseferat. Sic enim hoc ipso tota Concio vilesceret, atque adeò omnis Fructus desperandus foret. 2. Caveat similiter, ne factis, quæ aut nullam aut specialem certè laudem non merentur, referciat Concionem; sic enim obscurare potiùs, quàm procurare laudem Defuncti censeretur. 3. Caveat etiam, ne si plura facta commemoret Concionem ingratam aut infructuosam efficiat. Meminerit proin illius Sententiæ à S. Augustino prolatæ, quâ dixit, pompam funebrem, & multitudinem comitantium ad sepulchrum, & similia, solatia vivorum potiùs esse, quàm mortuorum, laudarique tales, ubi non sunt, & cruciari, ubi sunt. Ideo selectiora quædam, eáque pauca facta seligat, atque non tam ad memoriam, laudémque defuncti, quàm ad imitationem & ædificationem Auditorum proponat, & reliqua per ingeniosam aliquam præteritionem breviter percurrat.

4. Caveat denique, ne, dum alios passim laudat, de aliquo Defuncto nil omnino dicat; sic enim tacitè vituperare defunctum censeretur, & Consanguineos pudefacere, offenderéque posset. Si ergo nil speciale occurrat, ex hoc ipso laudis occasionem sumat, dicátque, ficut nonnemo dixit, vitam communem esse suam maximam pœnitentiam; ita hoc ipsum de vita hujus defuncti dici posse. Aliàs dicet modestiam Defuncti tantam fuisse, ut sua pleraque absconderit, vitámque occultam cum Christo ducere maluerit, quàm videri glorio-

gloriosus. Interdum ex ipsa morte, quæ plerumque pia esse solet, desumi potest occasio vitam collaudandi, cùm mors soleat esse Echo vitæ, juxta commune Adagium. *Sicuti vita, Finis ita.*

5. Pro secundo Fine sive Consolatione Amicorum obtinenda, det operam, ut sive ex ipsa mortis qualitate, sive vitæ præteritæ tempore ostendat, probabilem spem concipi posse, quòd defunctus inter Electos sit adnumeratus, etsi fortè non nihil à fruitione Beatitudinis in purgatorio retardetur. 2. Ut ex ipsius obitu ostendat Conceptum, non illaudabilem esse dolorem, nec improbari posse, si hunc etiam amici lachrymis contestentur, verùm cavendum esse, ne immoderatus sit, & ab auxiliis mortuo impendendis impediat. 3. Ut pariter declaret, quantas & sibi, & defuncto gratulandi occasiones habeant, ut qui ex Exilio in patriam translatus, aut certè transferendus, optatum votorum terminum attigerit, illísque plus inde auxilii, quàm in terris fecisset, potiturus credatur. 4. Ut ipsis significet, nunc maximè adesse tempus, dilectionem suam non verbo, aut singultibus, lachrimísque, sed opere & veritate demonstrandi, ut dici de illis æqnè ac de Christo queat. *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit illos.* Joan. 13. ostendat proin quomodo hanc dilectionem ostendere queant.

6. Pro tertio Fine, scilicet ædificatione aliorum, obtinendo det operam, ut, quandoquidem, ut dixi, optimè sunt dispositi Auditorum animi, occasionem sumat, salubertimas quasque Doctrinas commendandi. Specialiter verò memoriam mortis, Judicii, Æternitatis: Item utilitatem bonorum operum, utpote quæ solummodo comitata fuerint defunctum: Vanitatem rerum humanarum, utpote de quibus nisi nisi Afflictio animi sit relicta; Patientiam in adversis, utpote quæ nunc rosas sit productura in altera vita: Cultum B. Virginis & Sanctorum, utpote qni soli in Judicio adstiterunt, amaros fructus peccat, ex quorum manducatione dentes, id est, Conscientia Defuncti obstupuerint; vitæ brevitatem & mortis incertitudinem, ut maturè ad hanc se præparare studeant.

7. Cùm aliquibus in locis admodum frequentes sint ejusmodi Conciones & sæpe non multùm temporis suppe-

rit, ad illas faciendas; inprimis ſtudeat magnam in iis habendis varietatem obſervare, ne dum eadem, eodem ferè modo frequentiùs repetit, faſtidium potiùs quàm ſperatum animorum motum efficiat. Itaque fontes ſemper quoſdam in memoria habeat, ex quibus dictam varietatem haurire poſſit, qui quidem ad ſequentes duodecim revocari poſſunt. Primus vita & facta defuncti. 2. Argumenta, quæ ſpem faciunt Beatitudinis ab eo obtentæ. 3. Motiva & Cauſæ ſuccurendi. 4. Media ad ſuccurrendum. 5. Objectiones, quæ à tepidis objiciuntur, ad debitum hoc fraternæ Charitatis à ſe amovendum. 6. Officia varia Defuncti. 7. Ætas & aliæ circumſtantiæ concomitantes. 8. Varia Genera mortis. 9. Doctrinæ ſalutares, vel ab ipſo defuncto relictæ, vel ex morte illius deductæ. 10. Epitaphia varia mortuis conſtructa. 11. Emblemata, vel aliæ res ſepulchris affigi ſolitæ. 12. Sepulchrum & ritus ſepeliendi. Ex quibus omnibus fontibus, quomodo varij conceptus erui, & fructuosè proponi queant, infra variis Exemplis practicis demonſtrabitur.

§. II.

Exemplar Primum.

Quomodo in Exequiis alicujus Defuncti concio haberi poſſit.

Thema.

Reſpice in teſtamentum tuum. Pſ. 73.

Scopus.

Demonſtrandum, quòd probabiliter defunctus ſit inter Beatos connumeratus, ſimúlque Auditores, ad virtutem & virtutum ejus imitationem accendendi.

Syllogiſmus principalis Primus.

Amor B. Virginis, Miſericordia erga Pauperes, & bona vita ſunt optima media ad vitam æternam obtinendam; Atqui hæc diligenter adhibuit Defunctus; Ergo meritò creditur, eum vitam æternam obtinuiſſe.

Alter

Alter Syllogismus Principalis.

Legata pretiosa à Testatoribus relicta sunt hilari gratóque animo acceptanda; Atqui Defunctus talia legata reliquit omnibus vivis Hominibus; Ergo hi omnes hilari gratóque animo debent illa acceptare.

EXORDIUM.

Quando vir aliquis dives aut Primarius mortuus est, ante omnia quæri solet, an Testamentum fecerit, tantóque avidentius quisque responsum accipere desiderat, quantò majorem spem concepit, aliquid ex illa hæreditate accipiendi. Idem credo his diebus contigisse, quando non sine magno multorum dolore Dominus Nicolaus, cujus Exequias hodie celebramus, piè in Domino abijt; quare, cùm non dubitem, quin mei Auditores quoque aliquod legatum ex ejus testamento expectent, statui eorum desiderio satisfacere, atque adeò in præsenti concione breviter indicare, quale Testamentum is fecerit, & quid potissimùm meis AA. legaverit. Spero itaque tantò avidius, me auditum iri, quantò gratiora sunt, quæ in præsentia sum dicturus.

Pars Prima.

In quatuor potissimùm partes divisit Testamentum Nicolaus noster, juxta numerum scilicet rerum, quas à DEO acceperat. Prima pars continebat animæ dispositionem, quam per illa S. Davidis verba: *In manus tuas commendo spiritum meum*: non alteri, quàm DEO velut præstantissimum quod habebat, bonum offerendum censuit. Quòd verò etiam rata tam habuerit DEUS oblationem, atque adeò acceperit in manus suas spiritum ejus; plura quidem, sed præcipuè tria sat clara indicia sperare nos faciunt. Primum est singularis & tenerrimus Amor, quo erga S. DEI Genitricem toto vitæ suæ tempore ferebatur. Hanc sanè amavit, & exquisitè a Juventute sua: Hanc in Matrem suam elegit, in hujus Congregationem inscribi se permisit, legésque accuratè observavit. Hanc annuis Confessionibus & Communionibus in illius Festis præcipuis, Sabbathinis Jejuniis, vel saltem abstinentiis, & quotidiana recitatione Rosarij, Lytaniarum, aliarum-

listùmque precum, imò & horaria Salutatione pijssimè coluit, & honoravit. Ad hanc in omnibus necessitatibus & periculis velut Infantulus ad Matrem cum singulari fiducia confugit, ut in Agone maximè apparuit, quando ejusdem Iconem suavissimè dissuaviatus, tenerrimo cum affectu illam Ecclesiæ orationem recitavit: *Sub tuum Præsidium confugimus, Sancta DEI Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis, & à præsenti maximè, libera nos semper Virgo Gloriosa & benedicta.* Sed & illam sæpius iteravit: *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.* Cùm ergo SS. PP. & Ascetæ passim amorem & devotionem constantem erga hanc Sacratissimam Virginem inter præcipua Prædestinationis indicia meritò numerent; ita ut S. Anselmus dicere ausus sit, impossibile esse, ut ad ipsam conversus pereat; sic ex tot illustribus & probatis Historiis habemus, etiam gravissimos Peccatores, qui unicam Salutationem Angelicam quotidie recitârunt, vel aliud simile obsequium constanter ipsi exhibuerunt, mirabiliter ejus intercessione conversos, felicémque ex hac vita transitum sortitos esse, an de Nicolao nostro, qui tot tantáque obsequia tam constanti, & tenera pietate ei per tot annos præstitit, dubitare poterimus, quod non eandem à misericordissima Patrona sua gratiam obtinuerit?

Alterum indicium est, Misericordia erga pauperes, quàm usque adeò constanter tenuit, ut verè de ipso illa. Job c. 31. verba dici potuerint: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris egressa est mecum.* Hinc quoties aspiciebat Pauperem, tenerrimè erga illum viscera ejus mox commovebantur. Neque tamen inter sola verba stetit illius commiseratio, etiam in effectum multipliciter prodijt. Hinc de suis redditibus & lucris annuatim certam partem seponebat, quam in Sacculo quodam, cui Titulus *Marsupium Christi*: inscriptus erat, reposuit, & suo tempore non aliorum operâ, sed propriis manibus cum singulari solatio, tam suo quàm Pauperum, ut qui vel ex ipsa vultûs hilaritate tenerum ejus Amorem facilè conijciebant, distribuere solebat. Sed & severissimè suis præcipiebat, ut ciborum reliquiæ diligenter asservarentur, & pauperibus suo tempore dividerentur; singulariter verò erga pauperes infirmos afficiebatur; hinc

non

non modò cibos, potúmque illis identidem submittebat, sed medicinis & refocillationibus constanter adjuvabat; imò non contentus erat, ut ipsemet talem effectum erga miseros foveret, sed eundem etiam Domesticis instillare conabatur. Hinc quoties audierat, mendicum aliquem graviùs à Domesticis increpitum fuisse, ægerrimè ferebat, illúdque S. Augustini super Ps. 103. monitum in memoriam illis revocabat: *Si non potes dare, affabilem te fac: Coronat DEVS voluntatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat non habeo. Charitas de sacculo non erogatur.* Etsi verò talis fuerit, ac tanta Nicolai nostri erga viventes pauperes Commiseratio, quam, ut infrà videbimus in hoc ipso Testamento novo, eóque luculento Testimonio iterum declaravit; negari tamen non potest, eam erga Defunctos tantò teneriorem fuisse, quantò majorem illorum necessitatem ac indigentiam esse, divinitus collustratus cognoverat; & sanè longus forem, si omnes illius inventiones ad subsidium Animarum excogitatas vellem percensere. Duæ nobis, quæ præcipuæ creduntur, sufficient, quarum altera est, quòd menstruam Communionem, aliáque similia opera, ob quæ Indulgentias plenarias Animabus applicare licet, diligentissimè semper lucrari studuerit, & non illo duntaxat die, sed etiam quâvis hebdomade Feriâ Secundâ Sacrificium Missæ pro illis offerri curaverit, eò quòd hæc duo media præ cæteris efficacia judicaverit ad dictas Animas quàm celerrimè à pœnis eximendas.

Altera inventio erat, quòd omnem operum suorum fructum satisfactorium, quem aliis potiori titulo transcribere non cogebatur, animabus ijsdem cum insigni liberalitate reliquerit, tantíque fecerit hoc officium Charitatis, ut Beatam dicere sit solitus horam, quâ in Libellum, qui efficaciter hanc devotionem ei persuaserat, incidisset, certámque quotidie orationem pro Sacerdote, qui dictum libellum composuerat, recitaret. Si ergo S. Hieronymus in epist. ad Nepotianum affirmare indubitanter ausus est, se non legisse aliquem misera morte fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit, eò quòd multos habeat Intercessores, impossibile autem sit, multorum preces non exaudiri; quis non felicissimæ morte defunctum Nicolaum nostrum credat, quem tot tàmque præstantia misericordiæ opera exercuisse cognovit?

Tertium

Tertium tandem indicium est, vita ipsius honestè transacta, de qua quidem non opus multa dicere, cùm vobis ipsis luculenter constet, quàm piè & Catholicè vixerit. Illud omnino præterire non possum, quin commemorem, quòd suam sanctitatem prudenter non in exoticis actionibus, aut amilibus devotionibus, sed quotidianis officij sui functionibus perfectè, id est, cum legitima intentione, & debita diligentia obeundis posuerit, memor verissimi effati ab Asceta quodam prolati: *Optima Christiani perfectio est, quotidianas status sui functiones ritè peragere.* Hinc præcipua ipsius cura erat, ut temporis magnam rationem haberet, illud Judæ dictum perpetuò sibi & aliis occinere solitus: *Vt quid perditio hæc?* Poterat hæc actio venundari multis, & dari pauperibus. Proxima dein illius cura erat, ut tempus Matutinum tam ab ipso, quàm Domesticis inter preces absumeretur, eò quòd menti suæ altè impressum habuerit illud Salomonis consilium Prov. 3. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum, & abundabunt horrea tua frumento & vino torcularia tua redundabunt*; Eandem ob causam curabat etiam, ut non ipse duntaxat, sed Domestici etiam Missæ Sacrificio quotidie interessent, & SS. Confessionis & Evcharistiæ Sacramenta, quæ ipse singulis ad minimum octiduis usurpabat, quovis mense religiosè susciperent. Cum aliis verò tam sincerè, justè, & affabiliter vivebat, & conversabatur, ut vel ex solo hoc indicio inter veros Christi discipulos numerari meruerit juxta illud Christi Joan. 13. dictum: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem.* Si ergo juxta communem sensum hominum longâ experientiâ comprobatum, Mors Echo vitæ dicitur, &, ut S. Augustinus l. de doctr. Christ. dixit: *Non potest malè mori, qui bene vixit*: An non meritò credimus beata morte defunctum Nicolaum fuisse, qui vitam tam honestè, tam sanctè ad finem usque instituerit?

Pars Secunda.

Sed, ut video, longiùs non nihil prima hæc Testamenti Pars me abduxit. Ad alteram me converto, quam quidem uti & sequentes duas breviùs percurram. Sicut ergo Animam DEO, ita Corpus suum terræ, à qua illud acceperat, restituit;

quâ tamen in transscriptione nescio, an non sapientiam magis, quàm Modestiam suam egregio Argumento iterum confirmârit, dum solam pompam ordinariam in sepeliendo suo corpore adhiberi, omnem verò splendorem aut curiosum apparatum studiosissimè vitari jussit. Novit scilicet prudentissimus Nicolaus, quod jam pridem S. Augustinus de verbis Apostoli Thessal. 4. sapienter dixerat. *Pompa funebris, Agnana Exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, Monumentorum opulenta Constructio, vivorum sunt qualiacunque solatia, non adiutoria mortuorum.* Novit quoque corpus in hac vita quasi Equi munere functum esse, à quo Anima tanquam Eques fuerat circumlata. Neque adeò decere, ut dum Equus ipse foris est, in Captivitate & gravi necessitate constitutus, tota cura in equum mortuum transferatur, nullâ aut exigua sollicitudine de Equite liberando conceptâ. Itaque prudenter Corporis curam vetuit ut meminissent amici tantò majorem curam in animæ suæ solatium & liberationem adhibendam esse, quem proinde in finem, & ipse non modicam summam assignavit pro Sacris post mortem ipsius statim offerendis.

Pars Tertia.

Non majorem verò Sapientiam & pietatem in bonis suis temporalibus distribuendis adhibebat. ubi ante omnia ob oculos pulcherrimum S Joachimi & Annæ Exemplum habuit, qui divitias suas in tres partes diviserunt, & Primam quidem DEO obtulerunt, & in Templo Ministris dedicârunt; Altaram sibi pro casibus necessariis reservârunt, tertiam denique pauperibus distribuerunt. Hoc, inquam, Exemplum Nicolaus noster insigniter imitatus est, nam quantam partem Deo in variis Ecclesiis reliquerit testabuntur ipsæ Ecclesiæ, quæ portionem sibi legatam accipient: quàm diligenter pauperum memor fuerit, testabuntur Xenodochia & Hospitalia, & Religiosorum Monasteria, quorum nullum sine liberali legato vacuum abire permisit: magis verò suo accursu & lachrymis testabuntur ipsimet pauperes, dum post rem divinam finitam largam singuli stipem accipient. Etsi verò tertiam partem, eámque bene amplam Familiæ suæ sustentandæ & conservandæ assignârit, in eo tamen singularis Prudentiæ laudem

dem est promeritus, quòd se ipsum etiam adhuc inter Familiam computârit, & recordatus, quòd Charitas à se ipso incipiat, & sibi quisque sit proximus, non levem summam in Sacrificia post mortem pro Anima sua legenda expendi voluerit; ob quam quidem solicitudinem tantò magis suspicienda atque depredicanda est Charitas ordinata, erga seipsum, quantò pauciores in Orbe Imitatores reperit. Quotus quisque enim est, qui non totus in bona quàm plurima Familiæ relinquenda intentus, nil minùs cogitat, quàm de portione congrua sibi ipsi assignanda? Hi profectò sæpe perpendere debent saluberrimum responsum, quod aliquando Filius quidam Parenti dedisse scribitur; Cùm enim hujus Pater in extremis constitutus Filios convocâsset, &, quid quisque contestandi sui amoris causâ post mortem Parentis facere vellet, interrogâsset, variisque varia respondèrent; ipse ut natu minimus nil se facturum dixit, causámque rogatus à Parente, sapienter in hunc modum respondit: Si tu, ô Pater, qui plenum nunc opum tuarum dominium possides, & te haud dubiè magis, quàm nos amas, tamen pro anima tua solicitus non es, quomodo sperare poteris, nos, qui partem tantùm bonorum tuorum, singuli capiemus, memores tui futuros, & ab amore proprio excæcatos non potiùs in nostram, quàm tuam utilitatem dicta bona applicaturos. Notate hoc pulcherrimum responsum Parentes, qui hactenus pro Liberis magis, quàm pro vobis soliciti fuistis. Notate hoc, inquam, & vel a nostro Nicolao discite, quousque ordinatus suorum amor se extendat, quámque verum sit, quod Salomon Eccles. c. 5. dixit: *Hoc itaque visum est mihi, ut comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole numero dierum vitæ suæ, quos dedit ipsi DEVS, & hæc est pars illius, & omni homini, cui DEVS dedit divitias, atque substantiam, potestatémque ei tribuit, ut comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo: hoc est donum DEI.*

Pars Quarta.

Sed quid nobis ait nonnemo, reliquit Nicolaus? Respondeo, optimam partem bonorum suorum vobis ab eo reservatam, nempe virtutes suas, has enim solas pro veris divitiis agnoscebat, has solas sciebat, non à furibus aufferri, nec à tineis

tineis aut ærugine consumi posse; has solas secum in alterum orbem exportari posse sciebat. Ad has ergo congregandas sicut omne per vitam suam studium impendit, ita nunc in morte lubens distribuit, & DEO quidem de ijs Gloriam & Honorem sibi meritum, Defunctis satisfactionem, vobis verò imitationem transcripsit. Vos ergo ijs S. Pauli 1. Cor. 11. verbis alloquitur dicens: *Imitatores mei estote; sicut & ego Christi.* Nôstis, quàm ego accuratus in rebus ad divinum cultum pertinentibus fuerim, Christúmque in Templo per triduum commorantem imitatus sim. Imitatores mei estote sicut & ego Christi. Nôstis, quantoperè Charitatem fraternam semper æstimaverim, quantóque studio omne id, quod eam ulla ratione violare poterat, devitârim, quia hoc mandatum, hanc Doctrinam Christi esse noveram: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Nôstis, quàm modestè semper de me senserim, quantâque fortitudine atque constantia injurias illatas non modò supportârim, sed etiam ad imitationem Christi condonârim: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Nôstis denique quantopere ego semper in omnibus tam adversis, quàm prosperis voluntatem meam cum divina conformare studuerim, humilians me ipsum cum Christo, & factus obediens usque ad mortem crucis: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, quia sicut Socij passionum estis, sic eritis & Consolationis.

Epilogus.

Audistis ergo, quàm pulchrum, & vobis utile Testamentum Nicolaus noster confecerit. Supereſt, ut agnoscatis hoc beneficium, Deúmque impensè rogetis, ut illud ei in altera vita abundè compensare, etsi quidem æternam Requiem nondum obtinuerit, ad eandem ipsum admittere dignetur. De reliquo date operam, ut, quod unicè Testator exspectat, illius partis, quæ vobis relicta est, exequutionem strenuè urgeatis, adeóque illis Siracidis Eccl. c. 11. verbis vos alloquentem imaginemini. *Sta in testamento tuo, & in illo vacquere, & in opere mandatorum tuorum veterâsce.* Sic dicenti cum Davide Psal. 118. *Hæreditate acquisivi Testimonia tua in æternum.* Et Psal. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim Hæreditas mea præclara est mihi.* Quousque cum ipso hæredi-

hæreditatem etiam cælestis Regni obtineatis, & in eodem in æternum lætemini. Amen.

Alii Conceptus.

I. Ex occasione thematis: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos Amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Job. 19. ostendi potest, quàm meritò animæ in purgatorio vocentur à Fidelibus Pauperes vel miseræ, die Arme/ oder armselige Seelen. Quia videlicet 1. gravissimis miseriis & pœnis sunt subjectæ, quarum minima, teste D. Thoma & aliis Doctoribus, gravior est, quàm omnes dolores & tormenta hujus Mundi collectivè sumpta. Unde meritò Anglus quidam Monachus, teste D. Dionysio Carthusiano, conspectis purgatorij pœnis dicebat: DEUS mihi sit testis, quoniam, si hominem, qui me, meósque gravissimè læsisset, vel omnino occidisset, in his pœnis jacentem viderem, libenter mille vitas pro illius redemptione impenderem, usque adeo omnem modum & limitem excedit pœnarum illarum accerbitas. Id quod alius quoque propriâ experientiâ testatus est, qui, cùm gravitatem morbi sui impatienter ferens, à DEO per Angelum optionem impetrâsset, sivè per tres horas supplicia Purgatorij, sive per tres annos adhuc morbi sui cruciatus sustinendi, ubi priorem partem elegit, & vix unâ horâ Purgatorij pœnas sustinuit, mox gratiam redeundi ad vitam petijt, & trecentis annis morbi dolores facilùs & libentiùs toleraturum se asseveravit, quàm unicâ horâ Purgatorij cruciatus. 2. quia seipsas juvare non possunt, atque adeò similes sunt Paralytico juxta Piscinam probaticam jacenti. Joan. 5. qui hominem non habebat juvantem, ut prædictæ Piscinæ auxilio à sua infirmitate curaretur; Verè enim Animæ tales sunt in loco, in quo quidem satispatiendo pœnas suas extinguere, non verò satisfacere proprijs meritis possunt. 3. Quia carent lumine cæli, id est, lumine gloriæ & visione beatifica, atque adeò jure dicere possunt cum Tobia cap. 4. *Quale gaudium mihi erit, qui lumen cæli non video.* Unde meritò etiam ex hoc titulo miseræ seu arme Seelen vocari possunt, cùm juxta commune proverbium sit: Ein blinder Mann / ein arm Mann. & hæc miseria tantò sit gravior, quantò gravior afflictio ex privatione visionis beatificæ oritur, uti ex com-

muni Doctorum sensu, ipsiúsque visionis præstantia probari potest.

II. Ex occasione thematis: *Quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis.* Luc. 6. potest ostendi, quomodo Charitas erga Defunctos perfectissimè demonstrari queat, scilicet implendo quatuor conditiones, quas Christus cit. loco ad mensuram perfectam requisivit dicens: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Quarum prima impletur, si aliquoties per diem, vel hebdomadem pro ijsdem orationes, sacrificia, vel alia pietatis opera offerantur, uti multi Christiani faciunt. Secunda, scilicet *conferta* mensura datur, si omnis fructus impetratorius aut satisfactorius, ad quem aliis applicandum non obligamur, per totam vitam obventurus ijsdem transcribatur (quod, quâ ratione fieri possit, paulò clariùs explicandum est) uti S. Gertrudis fecisse scribitur; & etiamnum hodie non pauci Animarum purgantium singulares Patroni facere consueverunt. Tertia, videlicet *coagitata*, porrigitur, si etiam ea, quæ post mortem obvenient Sacrificia, & alia pia opera, ijsdem Animabus transcribantur, uti P. Ferdinandus de Monnarij (alij Hernandum Monsoy vocant, nisi forte diversus sit) è Societate JESU fecisse scribitur in Syllabo Prov. Peruanæ 21. Sept. 1626. qui omnes Missas & Rosaria post mortem pro se offerenda animabus purgantibus donavit, & hanc suam voluntatem scripto consignavit. Quarta, nempe *supereffluens*, datur, si etiam alij ad similem charitatem verbo vel exemplo incitentur, uti multi Patroni insignes Animarum facere consueverunt, qui, ubi ubi possunt, alijs teneram erga Defunctos charitatem instillare conantur; & meritò, nam & ipsis animæ eâdem mensurâ suum Patrocinium & beneficia mensurabunt, & primò quidem mensuram *bonam* dabunt, dum à varijs malis, & hostibus potenter defendent, uti Eusebius Siciliæ Dux, qui 40000. animarum per modum Equitum sibi occurrentia pro defensoribus habere meruit, expertus est, teste Joanne Majore in Spec. Exempl. tit. Defuncti ex. 25. *Confertam* dabunt, dum varia bona temporalia impetrabunt, uti multi quotidie experiuntur, ita ut communis paulatim persuasio invalescat, unum ex efficacioribus mediis ad quidvis impetrandum esse, si certa in animarũ subsidium

operi

operâ ea intentione, ut illæ optatam gratiam impetrent, offerantur. *Cogitatam* porrigent, dum varias virtutes & cæleſtes gratias, maximè verò ipſam beatitudinem impetrabunt; id quod tantò ardentiùs præſtabunt, quantò magis utilia & expetenda præ temporalibus eſſe cognoſcunt. *Superfluentem* denique offerent, dum copioſum in altera vita gloriæ incrementum impetrabunt, quæ omnia tum pulchris exemplis confirmari; tum maximè per id, quod S. Gertrudi contigiſſe, P. Caſparus Tauſch in Matre dolor. p. 3. c. 7. teſtatur, illuſtrari poſſunt, cùm enim hæc omnem fructum ſuorum operum tranſcripſiſſet his ipſis animabus, ideóque timeret, ne propriæ ſatisfactionis defectu graves in Purgatorio pœnas ſubire cogeretur, Chriſtus eidem apparens ſequentibus eam verbis ſolatus eſt: Filia, ut videas, quantopere mihi placeat inſignis tua in Defunctos charitas, in compenſationem tibi condono omnes pœnas, quas in eodem Purgatorio ſuſtinere deberes. Præterea qui olim pro uno centuplum promiſi, nunc manum dilatabo & gloriâ multò excellentiore te præmiabo. Efficiam denique, ut animæ per te liberatæ morienti aſſiſtant, & cum magno triumpho te in cælum reducant. De qua materia videri poteſt P. Jacobus Monfortus in tract. de Miſericordia animabus præſtanda, ubi pulchrè oſtendit, non ſolùm nihil deperdere eos, qui dicto modo animabus miſericordiam metiuntur, ſed potiùs plurimùm lucrari.

III. Ex occaſione thematis: *Faciam vos Piſcatores hominum*: oſtendi poteſt, quomodo animas Defunctorum ex lacu Purgatorij (ut Eccleſia illud in Miſſa Defunctorum vocat) piſcari debeamus; quem in finem narrari inprimis poteſt hiſtoriola illa de Puero, qui, dum ſuper ſepulchro Matris ſuæ Orationem Dominicam & Pſalmum *Miſerere* recitabat, viſus eſt ab Epiſcopo hamo aureo, & lineâ argenteâ pulcherrimam Mulierem extrahere, uti fuſiùs in Spec. Exempl. diſt. 9. ex. 143. videre eſt. Itaque oſtendatur, quibus inſtrumentis hæc Piſcatio fieri debeat, nimirum 1. per *Virgam* rectam & oblongam; perquam intentio bona intelligitur, per hanc enim perinde Animabus noſtra opera, ac piſcibus eſcæ, porriguntur. 2. Per triplicem *funiculum*, per quem eſca demittitur, & charitatem triplicem rectè ſignificare dicitur, ſcilicet cha-

ritatem erga DEUM, nos ipsos, & Proximum, quæ meritò non modicè impellere nos possunt ad auxilium animabus præstandum. 3. Per *hamum* duplicem justitiæ & misericordiæ divinæ; hæ enim ambæ concurrere & juvare debent ad animas extrahendas, uti satis clarè S. David Ps. 129. insinuavit dicens: *Si iniquitates* (per justitiam tuam) *observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* Sed *quia apud Dominum misericordia quoque, & copiosa redemptio invenitur*, hinc hamus duplex efficitur, per quem efficaciter extrahantur, sicque impletur, quod S. David Ps. 84. dixit: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.* 4. Per *escam* hamo appensam, quæ varia esse solet; ut enim interdum vermiculus, sanguisuga, aut mortuæ muscæ; interdum globuli aromatici, parvi Pisciculi, aut cerasa appendi solent; ita variis modis, nempe vel per Sacrificium Missæ oblatum, vel per orationem, jejunium, eleëmosynam, vel per indulgentias applicatas, animæ ex Purgatorio liberantur, uti fusiùs in meo libello, **die heilsame Kurtzweil die Seelen zu fischen.** c. 1. &c. videri potest. Ut autem hanc Piscationem tantò avidiùs & diligentiùs exerceant, ostendi circa finem poterit, quàm copiosos fructus pro hac & altera vita ex illa sperare possint. Certè cùm DEUS aliquando tributum Vitæ transactæ seu rationem exiget, si modò ad lacum hunc frequenter secedant, & piscem, id est, animam extrahant, mox in ore ipsius staterem efficacis orationis deprehendent, per quem pro se copiosè solutionem præstare poterunt, ut olim S. Petro in simili casu contigit, teste S. Matthæo c. 27.

IV. Ex occasione thematis: *Cuius vestrum Asinus aut Bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum?* ostendi potest partim, quàm æquum sit, ut animabus Defunctorum in Purgatorio luentibus succurramus, partim quomodo idipsum præstare debeamus. Et primum quidem potest probari per triplicem titulum, nempe quòd sint 1. *Fratres nostri* eodem Patre cælesti progeniti, & eodem sanguine redempti, eandémque cum illis hæreditatem exspectantes; quis nescit autem, si carnalis Frater in carcerem trudatur, quàm sollicitè pro ejus Redemptione obtinenda Fratres ejus reliqui laborent. 2. *Membra* quoque simus ejusdem corporis, teste S. Paulo 1. Cor. 12. dicente: *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum*

corpus

eapu baptizati ſumus, & ideo ſumus invicem membra, uti idem ad Eph. 4. ait; ſi ergo juxta ejusdem teſtimonium, *ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur cætera membra*; & experientia oſtendit, dum membrum unum ab igne corripitur, mox manum ſuccurrere, & ignem depellere, quidni multò magis, quando membrum longè præſtantius igne multò acerbiori correptum advertimus, eundem celerrimè depellere ſtudeamus. 3. Denique, quòd animæ tales ſint *templum* & *imago* DEI præſtantiſſima, & omnibus Mundi Templis gratior; quis autem Lauretanum v. g. aut aliud famoſum & miraculis clarum templum ardere videns, non ſtatim accurreret, & omni modo liberare conaretur; quidni ergo multò magis pro ſpirituali templo, id eſt, animabus liberandis laboretur? Ut adeò meritò S. Auguſtinus S. 44. ad FF. in eremo ſimilia motiva perpendens exclamârit: *Cadit Aſinus, & omnes eum ſublevare feſtinant. Clamat Porcus, & cum eo clamare cæteri non ceſſant. Sed clamat inter tormenta Fidelis, & non eſt, qui reſpondeat. Ecce veſtra inhumanitas!* In eundem finem juvabit etiam ſibi applicare, quod P. Jacobus Laynes ſecundus Societatis JESU Generalis ſuis ſubditis commendabat, dum eosdem adhortans, ut quàm frequentiſſimè animarum purgantium meminiſſent, hanc addit rationem: nam quandoquidem Societas tantùm exhaurit laboris, eo duntaxat conſilio, ut homines ad conſequendam felicitatem juver, conſentaneum profectò eſt, ut eundem proſequentes charitatis Spiritum, etiam ex hac vita digreſſis ad curſum conficiendum opitulentur, ne juſta ſit illis cauſa Societatis charitatem quaſi imperfectam & mancam accuſandi, &, meritò liceat conqueri, ſe medio in itinere, eóque in loco deſtitutos fuiſſe, ubi nullam omnino ſibi ipſis opem queant afferre. Secundum autem caput, ſcilicet quomodo liberari debeant, oſtendi poteſt ex modis variis, quibus aliquem in foveam lapſum extrahere ſolemus, ſcilicet vel 1. *Scalam* demittendo, qualis Spiritualiter Miſſæ Sacrificium, per quod DEUS ad nos deſcendit, & nos ad DEUM, dici poteſt. Vel 2. *funem*, porrigendo, per quem Roſaria, aliæque orationes intelligi queunt. Vel 3. Ramos præciſos deijciendo, ut Elephanti ſe mutuò liberare dicuntur; per quos ramos fructus bonorum operum animabus applicati poſſunt intelligi. 4. Manum

porrigendo, per eleemosynæ liberalem oblationem, quæ quidem quatuor media fusiùs apud P. Fabrum c. 6. in die animarum, & Montfordum in tract. cit. c. 13. & seqq. & in meo libello der heylsamen Kurtzweil cap. 1. tractata videri queunt.

V. Ex occasione thematis: *Prudentes Virgines aptate vestras lampades: ecce Sponsus venit, exite obviam ei.* Matt. 25. dici potest, hanc Parabolam ideo à Christo propositam esse, ut maturè nos ad mortem præparemus, & de tali medio prospiciamus, quod ad beatitudinem *certiùs, citiùs, & copiosiùs* obtinendam conducere queat; tale autem præ cæteris esse misericordiam, uti ipsemet in cit. cap. indicavit, dum in processu judicij potissimùm de misericordia exercita rationem se exacturum affirmavit. Etsi verò omnis misericordia ad prædictùm finem obtinendum multùm idonea sit, atque adeò oleo à Virginibus prudentibus præparato comparari queat, specialiter tamen id de misericordia animabus Purgatorij exhibita dici posse; nam 1. juvat ad beatitudinem *certiùs* obtinendam, uti satè clatè Tobias senior c. 4. Tob. indicavit dicens: *Quomodo potueris, ita esto misericors. Quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Et confirmat idipsum S. Hieronymus in epist. ad Nepot, dicens: *non memini me legisse, malâ morte fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit; habet enim multos Intercessores, & impossibile est multorum preces non audiri.* Unde S. Franciscus Xaverius, teste Tursellino, cùm Petrus Velleius Mercator Lusitanus eidem eleemosynam petenti clavem dedisset, &, quantùm vellet, ex cista auferre mandâsset, respondit, nunquam misericordiam illi defuturam, & revelatum iri diem extremum vitæ, ut se ad eundem bene præparare posset; si ergo hoc corporalis eleemosyna potest, quantò magis misericordia animabus Defunctorum exhibita, quæ est multò præstantior, similem gratiam obtinebit; certè de Nobili quodam Nolano Elias à Teresia L. 3. c. 45. refert, ipsum, quia pro dictis animabus frequenter orare solitus erat, quondam de nocte excitatum, atque, ut cùm confiteretur, monitum fuisse, quo facto repentina morte obijt. Quòd verò 2. etiam ad *citiùs* obtinendam beatitudinem, atque adeò ad liberationem à Purgatorio conducat, ex

eo colligitur, quòd tales animæ ereptæ ex una parte gravitatem Pœnarum Purgatorij, & magnitudinem cælestium gaudiorum clarissimè cognoscant; ex altera verò parte, sicut in omnibus aliis virtutibus, ita in gratitudine perfectæ sint, atque adeò multò magis, quàm Dives Epulo olim Fratribus suis, sollicitæ sint futuræ, ut liberator & Benefactor earundem aut omnino in Purgatorium non veniat, aut citò inde liberetur. Accedit, quòd ipsemet Christus Matth 25. dixerit: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*; an non ergo, si advertat, quempiam tot animas redemisse hoc beneficium sibi factum reputabit, atque adeò parem mensuram referens, etiam à Purgatorio liberabit? sic certè S. Gertrudi promisit, uti supra in secundo numero ostensum est. Quòd autem 3. etiam *abundantius* beatitudo per hanc misericordiam obtineatur, ex ipsa præstantia hujus eleemosynæ colligitur; cùm enim ea omnia ferè septem opera corporalia misericordiæ eminenter in se contineat (uti facilè inductione demonstrari potest) & præterea à gravissimo malo liberet, & summum beneficium, scilicet accelerationem beatitudinis obtineat, an non meritò singulare quoque eidem præmium in cœlo respondebit? vide hæc omnia fusiùs à Montfordo, & in cit. lib. **der heylsamen Kurtzweil** probata.

VI. Ex occasione thematis: *Et cœperunt simul omnes excusare*: Luc. 14. dici potest, valde laudabiliter quidem Concionatores agere, dum suos Auditores frequenter ad misericordiam animabus præstandam incitant; sed exiguum sæpe fructum referre, eò quòd plerique se excusent, & frivolas excusationes objiciant. Nam 1. aliqui se excusant, quòd DEUS in Justitia sua exercenda non sit impediendus, cùm nec Magistratus in hac vita libenter habeat, si quis cursum Justitiæ impediat. Sed his responderi potest, Christum non tantùm Judicem, sed etiam Patrem esse animarum, atque adeò sub hoc saltem titulo optare, ut pro ipsis oretur; alioquí enim non toties misericordiam commendâsset, nec tanta beneficia contulisset iis, qui talem misericordiam exercuerunt. Unde dicit potius ad tales Intercessores, quòd David l. 1. Reg. c. 25. ad Abigail dixit: *Benedictus DEVS Iſraël, qui misit hodie te in occursum meum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem.* 2. Alij se excusant, & dicunt, quòd ipsimet

met indigeant satisfactione, atque adeò pro se orare, & satisfacere debeant. Sed his respondetur, quòd per talem misericordiam non impediant satisfactionem propriam, sed promoveant; tum quia actus charitatis præstantior majorem quoque satisfactionem & pœnæ diminutionem mereatur; tum quia hoc ipso, quòd misericordiam talem exerceant, merentur similem misericordiam; ita ut faciliùs quis ob illam possiticeri sibi liberationem à Purgatorio possit, quàm si sibi talia opera reservâsset. Adde, quòd per talem misericordiam utpote valde præstantem virtutis actum, magnum gloriæ augmentum procuretur, atque adeò libenter quibuscunque tormentis emi debeat, uti fusiùs in suprà cit. libris ostenditur. 3. Alij se excusant, quòd Peccatores viventes in majori necessitate & periculo constituti sint, atque adeò magis etiam pro ipsis sit orandum. Sed his respondetur, quòd his possit fructus impetratorius operum & orationum applicari. Deinde possint ea conditione animæ liberari, ut pro talibus Peccatoribus orent, quæ oratio efficacior est, quàm si ipsimet pro iisdem orarent & præterea se Peccatores malitiosè in hoc periculum conijciant, atque adeò minus digni sint misericordiâ, quàm animæ. Unde cùm hanc objectionem quondam Bertrandus Dominicanus faciens, Peccatoribus magis succurreret, anima quædam ex Purgatorio apparens, miserabili suo aspectu facilè persuasit, ut sententiam mutaret. 4. Denique alij objiciunt, quòd ipsæmet animæ liberari non cupiant, sed potiùs divinæ Justitiæ satisfacere. Sed his respondendum, quòd paratæ quidem sint ipsæ satisfacere, sed cùm sciant ex una parte, quantò perfectius DEUM in cælis laudare & amare possint, ex altera verò parte non ignorent, quòd ipse DEUS desideret, ut alij pro ipsis orent, & satisfaciant, hoc ipso etiam desiderium ipsorum ad beatitudinem augeri, atque adeò eas suspirare cum Davide Ps. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Vide hæc fusiùs deducta in dem **heylsamen Kurtzweil** c. 5. Plures alij similes conceptus facile ex duodecim fontibus, qui infrà assignabuntur cum argumentis ex iisdem deductis, formari poterunt.

§. III.

§. III.

Exemplar Secundum.

Quomodo in Sepultum Exhortatio instituì possit.

Thema.

Lazarus Amicus noster dormit. Jo. 11.

Scopus.

Ostendendum, quòd Mors iustorum sit similis Somno, atque adeò defuncto qui meritò piè obiisse creditur, Felix nox id est, Requies sit apprecanda.

EXORDIUM.

Rectè Christus de Lazaro mortuo dixit. *Lazarus Amicus noster dormit.* Jo. 11. Sed & alibi Matth. c. 9. *Non est mortua puella, sed dormit.* Nam magnam similitudinem cum Somno mors Justorum habet. Primò enim sicuti dormientes cessant à laboribus, ita & Justi post Mortem, ut clarè testatus est DEUS ipse Apoc. 14. dum dixit: *Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dixit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos:* unde & S. David Ps. 4. dixit. *In pace in idipsum dormiam. & requiescam.* 2. Sicut dormientes ab omni cura liberi sunt, ita & Justi post mortem; ibi enim verificabitur, quod DEUS Levit. 26. promisit: *Dabo pacem in finibus vestris. Dormietis, & non erit, qui exterreat.* ibi propriè implebitur, quod Salomon Prov. 12. dixit. *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* 3. Sicut dormientes exterius quidem mortui apparent, interius autem quoad cor vivunt, & vitales operationes eliciunt; ita & justi, etsi quoad corpus verè mortui sint, quoad animam tamen vivunt in DEO, & perfectissimas operationes eliciunt, quatenus in Amore DEI & laude jugiter occupantur. Unde ipsi vel maximè cum Sponsa Cant. 5. dicere queunt. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Hinc sicuti dormientes Scimus completa nocte Surrecturos; ita & justi sciunt, se ubi dies ille tremendus universalis Judicij illuxerit, etiam quoad corpus de Somno mortis Surrecturos, uti S. Job. c. 19. testatus est, dum dixit: *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra Surrecturus sum, & rursum*

ſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEVM. Rectè ergò dixit Chriſtus de Lazaro: *Lazarus, Amicus noſter dormit*; nam dicere quaſi voluit, quia Lazarus amicus noſter & meus præcipuus Amicus eſt, ideo Mors ejus non interitus, ſed Somnus eſt.

Quæ cùm ita ſint, meritò & nos de mortuo noſtro Philippo dicere poſſumus. Philippus Amicus noſter dormit. Quidni enim dormire eum, & ſuo tempore ad vitam æternam reſurrecturum credamus, quem morte tam beata in Domino obiiſſe novimus? Si enim in Domino mori dicuntur, qui in Gratia DEI moriuntur, an non in Domino mortuum Philippum noſtrum dicamus, qui omnibus Sacramentis munitus inter pia ſuſpiria Animam efflavit, & SS. nomina JESUS & MARIA, per quorũ devotã pronuntiationẽ indulgentias Plenarias ex privilegio Congregationis S. Roſarij lucrari licet, paulò ante mortem tenerrimo fiduciæ affectu pronunciavit dicens: O JESU & MARIA, Eſtote mecum in via? Si in Domino mori dicuntur, qui vitam piè & Sanctè tradexerunt, juxta illud adagium: Sicut vita, Mors ita; an non in Domino mortuum Philippum noſtrum credamus, qui officiis divinis, quamdiu vixit, tam religiosè interfuit; qui Sacramenta tam frequenter ac devotè frequentavit; qui pacem cum Proximo tam ſtudiosè coluit: qui omnia adverſa de manu DEI tam patienter, gratóque animo acceptavit? Si in Domino mori dicuntur, qui in opere & obſequio DEI occupati moriuntur, an non iterum Philippum noſtrum in Domino mortuũ credamus, qui inter ipſos labores, quos propter DEUM obire, & indefeſsâ diligentiâ continuare ſolebat, deprehenſus in mortem incidit. Si denique in Domino mori dicuntur, qui cum S. Paulo deſiderium habuerunt, diſſolvi & eſſe cum Chriſto, an non meritò Philippum noſtrum in Domino mortuum dicemus, qui tantoperè ad cælum anhelabat, & illud S. Davidis ſuſpirium cum tanto affectu pronuntiabat. *Quàm dilecta Tabernacula tua, Domine, virtutum, concupiſcit, & deficit Anima mea in atria Domini, Cor meum & Caro mea exultaverunt in DEVM vivum. Pſ. 83.* Et iterum: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat Anima mea ad te DEVS.* Ah: *Quando veniam & apparebo ante faciem DEI.* Si ergò dormit Philippus noſter,

an

an non cum Discipulis Christi Jo. 11 dicere possumus: *Si dormit, Salvus erit?* An non saluberrimam S. Pauli doctrinam 1. Thess. 4. nobis applicamus: *Nolo, Fratres, vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent; Si enim credimus, quòd DEVS mortuus est, & resurrexit, ita & DEVS eos, qui dormierunt per IESVM, adducet cum eo. Itaque consolamini in verbis istis*, & sicut dormientibus felicem noctem & requiem precari soletis, & diligenter cavetis, ne strepitu aut loquela clariore eorum quietem turbetis; ita & Philippo nostro similem noctem optate, dicentes cum Ecclesia: *Requiescat in Pace.* Cavete etiam sedulò, ne nimio luctu aut evilatu hanc ejus quietem turbetis, sed potiùs in silentio suum ei somnum gratulemini, & si fortè per dolores & pænas Purgatorij non nihil turbata esset hæc quies illius, vestris precibus & auxiliis causas hujus turbationis removere studeatis, quousque tandem & vos precibus illius adjuti feliciter in Domino obdormiatis, & cum ipso requiem æternam possidere mereamini. Amen.

Similem in modum etiam aliæ Exhortationes funebres institui possunt; quæ, quia in aliquibus locis ad quodvis etiam minimi Mendici aut Infantis funus haberi debent & sæpe eo tempore, quo vel aliæ concionès faciendæ, vel alia gravia negotia peragenda sunt, adeóque grandem Neo-Parochi in iis instituendis difficultatem patiuntur, ut non semel ipsimet mihi sunt fassi, ideò ut hanc quoque difficultatem aliquantùm imminuam, placuit diversos conceptus ex duodecim suprà enumeratis fontibus petitos huc apponere, ita tamen, ut, quoniam operosum nimis foret, & ipsis etiam Lectoribus fastidiosum conceptus tales fusiùs deducere, solum propemodum thema & argumentum indicâsse contentus, reliqua ipsi Exhortatori in Exhortationis formam redigenda commissurus sim; cui quidem, cùm ejusmodi Exhortationes vix ultra quadrantem horæ institui soleant, non erit difficile, ejusmodi conceptus dilatare, maximè si ex ipsa etiam Defuncti vita, aliqua laudabiliter acta desumat, & commendet.

FONS

FONS I.

Exhortationum pro Defunctis ex vitâ Defuncti.

I. FOns primus meritò vita & virtutes Defuncti statuuntur; Ex his enim solis vera materia laudis desumitur Undelicet in ejusmodi Concionibus & Exhortationibus funebribus etiam Naturæ vel fortunæ dotes commemorari possint, id tamen patciùs convenit fieri, & ita, ut ostendatur benè illis usus fuisse defunctus; sic enim & illæ in materiam laudis transibunt, Auditoribúsque materiam imitationis offerent.

Porrò ex hoc Fonte varij modi Exhortationes funebres instituendi profluunt; nam interdum solùm in Genere demonstrari potest, quantopere fuerit defunctus virtuti deditus, quandoque in specie ad varias virtutes descendi, atque hoc iterum duplici modo fieri potest, ut scilicet vel apertè & simpliciter unam vel plures virtutes ab eo exercitas fuisse probetur, vel certè sub Schemate alicujus similitudinis ex ipsis virtutibus ejus petitæ, facta illustriora illius commemorentur, quorum omnium modorum materiam breviter hic exhibeo. 1. Ergo in Genere de virtute loquendo ostendi potest ex occasione illius sententiæ S. Pauli 1. Tim. 4. *Pietas ad omnia utilis*, quomodo Defuncto Pietas, sub qua aliqui virtutem intelligunt, utilis fuerit ad benedictionem in temporalibus juxta illud Matth. 6. *Quærite ergò primùm regnum DEI, & Iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* 2. Quomodo ei utilis fuerit ad beatam mortem, à qua pendet tota æternitas juxta commune Adagium: *Sicuti vita, mors ita. Et mors est Echo vitæ.* Tertiò quomodo ei utilis fuerit ad magnam Gloriam in cælo comparandam. Quia veræ divitiæ ex solæ sunt juxta D. Bernardum, quæ nos virtutibus divites faciunt; nam illæ solùm intelliguntur per thesaurum, de quo Christus Matth. 6. dixit. *Thesaurizate vobis thesauros in cælis, ubi nec ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.*

II. Ex occasione Thematis: *Mihi autem nimis honorificati*

cati sunt amici tui DEVS: Ps. 138. ostendatur primò quantus Honor sit esse amicum DEI, ex comparatione honoris qui amicis Regum in hac vita exhibetur, & ex illo dicto Davidis 1. Reg. 18. *Num parùm videtur vobis esse Generum Regis?* 2. Ostendatur, quomodo defunctus ad hunc honorem per solam suam virtutem venerit, nam juxta S. Bernardum in quodam serm. *Virtus Mater Gloriæ est; Sola enim est, cui Gloria vera debetur, & securè impenditur.* Id quod Romani duplici templo indicârunt, quorum alterum Virtuti, alterum Honori fuerat exstructum, sed tali situ, ut nulli ad Honoris templum aditus pateret, nisi prius per virtutis templum transiisset.

III. Ex occasione illius Thematis: *Opera enim illorum sequuntur illos.* Apoc. 14. ostendi potest, quòd defunctus imitatus fuerit illum Regem, de quo S. Barlaam in Parabola dixerat, quòd, cùm in regno quodam consuetudo fuisset, ut Rex non nisi per annum viveret, postea verò in exilium mitteretur, ille utpote cæteris sapientior, illo anno occultè suas divitias in locum, in quem mittendus fuerat post annum elapsum, præmiserit, & sic beatè vixerit. Dicatur itaque Regnum tale hunc mundum esse, Regi verò illi Defunctum similem esse. Excitentur Auditores ad idem faciendum.

IV. Ex occasione illius thematis: *Dulcis est Somnus operanti.* Eccl. 5. ostendatur. Primò, quomodo Somnus & Mors in multis similes sint, atque adeò rectè inter se comparentur, uti in §. 3. suprà videre est. 2. Quomodo Somnus hic seu mors Defuncto operanti, id est, rectè & virtuosè viventi valdè dulcis fuerit, juxta illud Thom. Kemp. l. 1. c. 25. *Gaudebis semper vesperè, si diem insumas fructuosè*; eò quòd nunc auditurus sit illud Christi Matth. 25. *Intra in Gaudium Domini tui*, & Jo. 16. *& gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Excitetur proin Auditor ad congaudendum, juxta illud Rom. 12. *Gaudete cum Gaudentibus*, & 1 Col. 12. sive glorietur unum membrum, congaudent cætera membra.

V. Ex occasione illius thematis: *Negotiamini, dum venio.* Luc. 19. ostendi potest primò quàm benè S. Gregorius Nazianz. & alij SS. PP. vitam hanc comparârint nundinis, quia nunc tempus est emendi necessaria pro æterna vita; quia durant brevi tempore iisque finitis non amplius est occasio

emendi; quia nemini offertur merx ulla, id est, Gratis fru jus ad Gloriam alterius vitæ, nisi pro pretio bonorum justa illud S. Pauli 2. Cor. 5. *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propriâ corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* 2. Ostendatur, quàm bene Negotiatoris officio in his nundinis functus sit defunctus, quàm diligenter rationem temporis habuerit juxtà illud Eccl. 14. *Non defraudèris à die bono, & particula boni diei non te prætereat*, & illud S. Pauli Eph. 5. *videte Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus*: quàm feliciter & non parcè expenderit pretium pro mercibus, id est, conditiones ad bonum & meritorium opus requisitas (ut scilicet sit bonum, vel saltem indifferens, & in gratiâ, ac cum bona intentione fiat) observârit: quam studiosè semper optimas merces & apud optimum mercatorem DEUM emerit; quàm fuerit solicitus in iisdem suis mercibus per viam securiorem, id est, per humilitatem ad Patriam suam cælestem præmittendis. quámque adeò cautè inanem gloriam velut infestam Prædatricem devitârit. Invitandi proin Auditores, ut in Societatem Negotiationis veniant, & industrias ab eo observatas & ipsi diligenter observare studeant.

VI. Ex occasione illius Thematis: *Spectaculum facti sumus Mundo, Angelis & Hominibus* 1. Cor. 4. ostendi potest. Quàm benè Actoris officio functus sit is, qui sepelitur, & 1. quidem quàm benè contentus fuerit suâ Personâ juxtà illud: Eccl. 11. *Confide autem DEO, & mane in loco tuo; facilè est enim in oculis DEI subitò honestare pauperem.* Et illud Epicteti c. 23. *Actorem esse Fabulæ talis, qualis Magistro probata fuerit, te memento. Si brevis, brevis: Si longa, longa. Si Medicum te agere voluerit, fac eam quoque Personam ingeniosè repræsentes. Ita si claudum, si Principem, si plebeium; hoc enim tuum est, datam Personam benè affingere; eam autem eligere, alterius.* 2. Quàm diligenter inquisierit quid ad suam Personam requiratur, & quàm studiosè id impleverit, memet Doctrinæ Sapientissimæ à Seneca datæ Epist. 24. *Quemadmodum Fabulæ, sic vitæ: Non quamdiu, sed quàm benè sit acta, refert. nil ad rem pertinet, quo loco desinas; quocunque voles, desine, tantùm bonam clausulam impone.* 3. Quàm maturè incepta suam

suam Personam sustinere, & non, ut alij multi homines, in fine primùm cœperit, Personam suam agere, memor præcepti à DEO per Siracidem Eccl. c. 5. dati: *Ne differas de die in diem*: Et illius Matth. 24. *Estote parati, quia, quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.* 4. Quàm generosè hominum judicia, actiones ipsius contemnentium, spreverit, & cum S. Paulo dixerit. *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Gal. 1. Sciens nempè, quòd, ut S. Climacus prudenter dixit, *prima virtus Monachi*, (& verò etiam cujusque Christiani) *sit hominum judicia contemnere.* E contrario verò oculos suos semper ad Spectatorem suum primarium convertet, dicens: cum S. David Ps. 122. *Ad te levavi oculos, qui habitas in cælis*: & cum S. Stephano Act. 7. *Ecce video cælos apertos & Filium Hominis stantem à dextris virtutis DEI.* Animandi proin Auditores ad Simile Spectaculum DEO exhibendum.

VII. Ex occasione Thematis: *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino*, 2. Cor. 5. ostendi potest, quomodo Peregrini officium impleverit defunctus & 1. quidem, quomodo illud S. Petri 1. c. 2. observârit: *Obsecro vos tanquam Advenas & Peregrinos abstinere à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* 2. Quomodo arctam quidem, sed breviorem, & securiorem viam, scilicet Crucis elegerit, de qua Christus Matth. 7. dixit: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Et Thomas Kemp. l. 2. c. 12. *non est alia via ad vitam, & ad internam veram pacem, nisi via S. Crucis & quotidianæ mortificationis. Ambula ubi vis; Quære, quodcunque volueris, & non invenies altiorem viam supra, nec securiorem viam infra, nisi viam S. Crucis.* 3. Quomodo non curaverit, quid ab aliis agerentur, sed solius sui itineris rationem habuerit juxta Consilium Christi Jo. 21. *Quid ad te? tu me sequere*: & juxta illud Thomæ Kemp. l. c. 3. c. 24. *Fili, noli esse curiosus, nec vacuas gere solicitudines. Quid ad te, utrum ille sit talis vel talis, aut ipse sic, & sic agit vel loquitur? tu non indiges pro aliis respondere, sed pro te ipso rationem reddes. Quid Ergò te implicas?* 4. Quàm constanter inter omnes tempestates, & pericula perexerit, semper se consolans felicitate termini & patriæ, ad quam properabat, atque adeò sibi illud S. Pauli Rom. 8. in

memoriam assiduò revocans: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram Gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Excitandi proin Auditores ad comitandum illum per verba ejusdem pij Ascetæ l. 3. c. 56. *Eia fratres pergamus simul, sequamur viriliter, nemo metuat Terrores &c.*

VIII. Ex occasione Thematis: *Militia est vita hominis super Terram* Job. 7. ostendi potest, quàm præclarè militis officio sit functus, qui obiit; & primò quidem, quomodo articulos militiæ Christianæ nempè decem Præcepta DEI & quinque Præcepta Ecclesiæ studiosè observârit; illúdque Davidis Ps. 118. assiduè in mente habuerit. *Iuravi, & statui custodire iudicia Iustitiæ tuæ.* 2. Quàm accuratè illum S. Pauli 2. Tim. 3. observaverit: *Labora sicut bonus miles Christi IESV. Nemo militans DEO implicat se negotiis Secularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* 3. Quàm fortiter contra hostes certârit, in certamine ad finem usque perseveraverit, sicque cum veritate illud S. Pauli 2. Tim. 4. usurpare potuerit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo est mihi reposita Corona iustitiæ, quam reddat mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Excitandi Auditores ad gratulandam defuncto victoriam, animósque, illius Exemplo ad paria certamina sumendos: Serviet eum in finem pro Epilogo pulcherrima illa S. Chrysostomi sententia de SS. Matt. *Vnde tu Christiane delicatus es miles, si putasti posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exerce vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta: Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: Pactum, quod spopondisti: Conditionem, quâ accessisti; Militiam, cui nomen dedisti.*

VIII. Ex occasione Thematis: *Euge serve bone & fidelis*, Matth. 15. ostendi potest, quòd veri & fidelis servi conditiones impleverit Defunctus. Et 1. quidem quàm fideliter expleverit voluntatem Domini sui, ita ut de eo dicere posset DEUS illud Ps. 88. & Act. 13. *Inveni servum meum, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* 2. Quàm fideliter talenta duo sibi concredita, Corporis scilicet & Animæ vires, expenderit; & lucratus sit cum illis alia duo talenta Charitatem scilicet DEI & Proximi. 3. Quàm fideliter vigilaverit, & Adventum Domini sui exspectaverit, habens lucernam

cinctos lumbos per continentiam seu declinationem à malo, & lucernas ardentes in manibus per fervidam & constantem operationem boni. Adhortandi AA. ut discant à defuncto servire DEO, ut cum eo olim audire possint pariter: *Euge serve bone & Fidelis, quia in pauca &c.*

IX. Ex occasione Thematis. *Voca Operarios, & redde illi mercedem* Matth. 20. ostendi potest, quàm sedulò laborârit defunctus in vinea Domini. 1. Eam fodiendo, per humilitatem ad infima semper tendentem. 2. Plantando vites potentiarum & Appetituum suorum. Atque inutilia Germina, hoc est, desideria & actiones vanas amputando per mortificationis studium. 3. Alligando stipiti crucifixi Christi per veram patientiam & imitationem illius. Hortandi Auditores, ne invideant, ut alij operarij Evangelici, quod jam acceperit suum denarium, sed potiùs ei gratulentur, &, ut cum eo olim & ipsi suam mercedem accipere mereantur, ejusdem in hac vita laboris sedulitatem imitari studeant.

X. Ex occasione Thematis: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis* Luc. 22 ostendi potest, quàm fidelis DEI amicus fuerit defunctus. Eum in finem exponi possunt variæ tentationes, mundi, Carnis, & Diaboli juxta illud S. Joan. 1. c. 2. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est. Et concupiscentia oculorum, & vita Superbia.* Dein ostendi potest, quàm constanter in iis tentationibus adhæserit DEO, usurpans illud S. Pauli Rom. 8. *Quis me separabit à charitate DEI?* Tandem explicari poterit, quomodo DEUS huic amico disposuerit, ut edat & bibat in regno cælorum; unde affectus Gratulationis & desiderium similis Amicitiæ excitandum.

XI. Ex occasione Thematis: *Iusti fulgebunt sicut sol.* Matth. 13. ostendi potest, quomodo Defunctus etiam justus fuerit, & ut Sol fulserit, dum videbatur parvus hominibus, in se autem & coram DEO valdè magnus fuit juxta illud pij Ascetæ l. 1. c. 3. *verè magnus est, qui veram charitatem habet; verè magnus, qui in se parvus est & pro nihilo omne culmen honoris ducit.* 2. Ut sol alios calefecerit calore charitatis, illuminârit verò per lucem doctrinæ & bonorum Exemplorum. 3. Ut sol celerrimè, id est, cum magna alacritate ac fervore Zodiacum, id est Terminum actionum sibi à DEO præscri-

ptarum percurrerit, neque extra semitam vocationis & status sui exerrârit. 4. Ut sol per interpositionem terræ nunc Eclypsin passus sit, sed suo tempore jucundius fulsurus. Excitandi ad hanc Eclypsin, Auditores, benè considerandam, atque ad condolentiam tantisper ostendendam, donec iterum fulgere incipiat.

Ex occasione Thematis: *Non est vir in domo sua, abiit in regionem longissimam.* Prov. 7. ostendi potest. 1. Quòd quivis Homo tres habeat domos, mundum, materialem suam domum, & corpus juxta illud Apost. 2. Cor. 5. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur &c.* jam autem post mortem verum sit dicere: *Non est domo sua*, quoniam omnes tres deseruit. 2. Quòd per viam abierit longissimam, per viam scilicet æternitatis. Sed cum *accipere sibi regnum*, ut Luc. 19. dicitur, *& revertis* ita enim nobis persuadet, quòd 30. Sacculum pecuniæ secum tulit, hoc est, virtutes & bona opera sua juxta illud Ap. 14. *Opera enim illorum sequuntur illos.* 4. Quòd *in die plena lunæ reversurus est in domum suam*, id est, in die judicij, quia tunc apparebunt omnia. Hortandi ergò Auditores, ut non nimis lugeant abeuntem, sed potiùs gratulentur, &, ut aliquando simile Regnum queant acquirere, interea insignem Sacculum pecuniæ præparent per bonorum operum constans Exercitium.

Pro Mulieribus.

I. Primò pro his speciatim. Ex occasione Thematis: *Mulierem fortem quis inveniet* Prov. 31. ostendi potest, quàm fortis fuerit defuncta. 1. In vincenda seipsa, de qua victoria Thom. Kemp. l. 1. c. 3. loquitur: *Quis habet fortius certamen, quàm qui nititur vincere seipsum?* & iterum l. 3. c. 5. *perfecta victoria est, de semetipso triumphare*; qui enim *semetipsum subiectum tenet, ut Sensualitas rationi, & Ratio in cunctis obediat mihi hic verè victor est sui, & Dominus mundi.* 2. In vincendis adversitatibus juxta illud Prov. 16. *Melior est patiens viro forti.* 3. In vincendo mortis timore juxta illud 1. Cor. 15. *Absorpta est Mors in victoria: ubi est Mors victoria tua? ubi stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est*, quem proin confregisse ostendatur mortua per perfectam peccatorum confessionem, & alia media. Laudetur pro-

juxta illud Prov. 31. *Surrexerunt Filii eius & beatissimam prædicaverunt: vir eius, & laudavit eam.*

II. Ex occasione Thematis: *Confidit in ea cor viri sui, & non indigebit spoliis.* Prov. 39. ostendi potest. Quàm benè administrârit familiam, ut Maritus nullam penè solicitudinem habere debuerit. Et 1. quidem, quòd confisus sit in ejus vitæ honestate; Quia ante omnia quæsivit Regnum DEI, Justitiam ejus, ac propterea effecit, ut omnia necessaria DEUS copiosè submitteret. 2. Quòd confisus sit in ejus perizia & prudentia œconomica, quâ etiam per laborem & industriam suam ipsi Marito & Domesticis solicitè cibos & alia necessaria providit, juxta illud: *Reddet ei Bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ.* Prov. 30. Quòd confisus sit in ejus prudentia familiæ Gubernativa, quâ ita liberos & Famulos direxit, & instruxit, ut simul in virtute & scientiis vel bonis artibus proficerent; sícque dici posset, quòd omnes ejus Domestici vestiti essent duplicibus. 4. Quòd sit Confisus in amore conjugali ipsius, quo omnes ejus molestiæ & labores non parùm sunt revelatæ. Nam duo boves cum concordia & quiete jugum portantes, non levi sibi laboris levamen conciliant. Hortandi Ergo Auditores, ut laudent cum vitæ illius defunctam, atque ut has tanto certiùs obtineant, ipsi vicissim pro ea orent.

III. Ex occasione Thematis: *Quæsivit lanam & linum* Prov. 31. commendari potest singularis industria Defunctæ, & primò ostendi, quomodo in sensu literali quæsierit lanam & linum, id est, domi suæ manserit, atque ad otium vitandum familiámque sustendam honesto se labore occupârit. Secuta Consilium S. Hieronymi Demetriadi datum: *Habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in Alveolis* fusi vertantur; & sic operata sit consilio manuum suarum, id est, cum prudentia eligens labores potiùs utiles, quàm occupationes vanas & nocivas aliarum mulierum morem Sectando. 2. Quomodo in sensu Spirituali quæsiverit lanam & linum, nempè juxta Explicationem S. Augustini Ser. 12. de temp. Sic loquentis. *Quid est lana, quid est linum? Lana carnale aliquid, linum verò spirituale aliquid significat, quia in ordine vestimentorum interiora sunt lintea vestimenta, lanea verò exteriora. Lana*

etiam de commistione animalium nascitur; Linum verò sine carnis voluptate generatur de terra, imò castitatis imaginem præferre videtur in tantum, ut Sacerdotes veteris testamenti ex præcepto legis propter castitatis indicium, lineis femoralibus uterentur: ostendendum proinde quomodo utraque quæsierit defuncta, & propterea collaudanda.

IV. Ex occasione Thematis. *Facta est quasi navis Institoris de longè portans panem suum.* Prov. 31. ostendi potest, quàm benè officia matris familias obierit. 1. Excipiendo omnes Domesticos, materno affectu & sinu, ut Navis eos, qui vehuntur in ea. 2. Omnes fluctus adversitatum pro iis sustinendo fortiter & constanter, ut Navis procellas. 3. Portans panem, quotidianas necessitates de longè, id est, de cælo precibus suis & industria copiosam à DEO benedictionem obtinendo. Hinc excitandus Auditor, ut cum Domesticis exurgat in laudes illius & Beatissimam prædicet.

V. Ex occasione Thematis: *Gustavit & vidit, quia bona est Negotiatio eius.* Prov. 31. ostendi potest, quàm bene negotiata sit defuncta. Primò quia honesto semper labore utilique occupata erat. Hinc emit agrum, & plantavit vineam de fructu manuum suarum. Quia diligenter laboravit, & benè nam accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum. 3. Quia constanter laboravit, etiam in nocte tribulationum, non permittens, ut sua vigilantia & industria, quæ per lucernam intelligitur, ob varias difficultates & adversa intermitteretur. Hinc meritò Gratulationem & amorem promerita censenda est.

VI. Ex occasione Thematis: *Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.* Prov. 31. ostendi potest, quomodo artem nendi spiritualiter exercuerit, & 1. quidem colum, qui per *fortia* juxta Interpretes passim intelligitur, ex optima & tenerrima materia compositum apprehenderit, id est, in bonis & honestis actionibus semper occupata fuerit, otij gravissima Hostis. 2. Suos digitos in fusum torserit, id est, per intentionem bonam effecerit meritoria. Ita S. Augustinus explicat his verbis: *digiti huius manus omnes electi, qui apprehenderunt fusum, id est, Rectitudinem intentionis, per quã omnia opera quasi ficta in orbẽ æternitatis retorquentur.* Et infra: *Per colum significatur vitæ temporalis, per fusum intentio bonæ*

boni operis; colus quidem in sinistra ponitur & fuso lana per linum in dexteram retorquetur, quod est rectè nere; Hoc autem fit, quando temporalia & humana sic exercentur, ut per bonam intentionem quasi in filum ducta ad æterni spiritualisque meritò conditionem transeant. Hinc iterum Gratulatio & imitationis studium excitandum.

VII. Ex occasione thematis: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem* Prov. 30. Potest commendari singularis misericordia defunctæ, quam tum erga viventes, tum erga defunctos ostendit, & inde probari, quod meritò spes concipiatur de illius salute, quámque vicissim sit digna, ut si fortè ope adhuc indigeat, suas quisque ad eam manus ac palmas extendat.

VIII. Ex occasione thematis: *Non timebit domui suæ à frigoribus nivis, omnes enim Domestici vestiti sunt duplicibus.* ostendi potest, quomodo ipsa primùm sibi, postea & Domesticis vestem duplicem providerit, de qua Hugo sic loquitur: *duplex est vestis, hyemalis & æstivalis; vestem hyemalem dico virtutes, quibus protegimur contra pluviam & grandinem tentationum, & persecutionum. Eiusmodi sunt patientia, mansuetudo, humilitas & alia id genus; æstivalem dico virtutes, quibus tempore pacis & tranquillitatis vacatur bonis operibus, & contemplationi, qualis est charitas, pietas, devotio, sapientia;* quæ omnia tum ipsa defuncta, tum à Domesticis quomodo observata sint, succinctè potest ostendi. Aliqui per vestem duplicem bona præsentia & futuræ vitæ, vel etiam Gratiæ & Gloriæ intelligunt.

IX. Ex occasione thematis: *Stragulatam vestem fecit sibi: Byssus & purpura indumentum eius.* Prov. 31, ostendi potest, quomodo in primis defuncta sibi fecerit vestem stragulatam, id est, diversis figuris, coloribus, liciis varietatam, sive per texturam, sive per acu picturam; per quam Varietas virtutum puta Modestiæ, Verecundiæ Taciturnitatio, Humilitatis, Charitatis intelligitur. 2. Quomodo byssus, id est, tela ex pretiosissimo lino confecta, quâ singularis Animi, corporisque puritas indicatur, fuerit indumentum ejus. 3. Quomodo etiam purpurâ, id est, sanguine Christi, & proprio per insignem patientiam se vestierit; unde hortandi Auditores,

ut, ſicut olim Elias in cælum vectus Eliſæo pallium reliquit ita à Defuncta ipſi hæc veſtimenta relinqui cupiant.

X. Ex occaſione thematis: *Fortitudo & decor indumentum eius, & videbit in die noviſſimo.* Prov. 31. oſtendi poteſt primo, quomodo per decorem exteriorem ſeu modeſtiam, in oculis, fronte, labiis, manibus, pedibus obſervârit, ita ut de illa dici poſſet illud S. Ambroſii de B. Virgine prolatum Elogium. *Virgo erat corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior: Nil torvum in oculis, nil in verbis procax, nil in actu inverecundum:* Non geſtus factior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, ut ipſa corporis ſpecies ſimulachrum fuerit mentis. Figura probitatis. 2. Quomodo etiam fortitudinem induerit ad tolerandam, ut Beda explicat, perverſorum ipſam irridentium & perſequentium improbitatem, unde ridebit in die noviſſimo, quando ſentiet verificari, quod Chriſtus Matth. c. 6. promiſit. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum*: quando irriſores errorem ſuum agnoſcent, & dicent illud Sap. 5. *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus Inſaniam.* Adhortandæ mulieres, ut faciant ſecundùm Exemplar.

XI. Ex occaſione thematis: *Os ſuum aperuit Sapientiæ, & Lex Clementiæ in lingua eius.* Prov. 31. oſtendi poteſt, quòd artem, quæ apud Mulieres rarò reperitur, Defuncta optimè calluerit, ſcilicet partem loquendi, quæ in duobus præcipuè conſiſtit. 1. Ut ſapienter aperiat os, id eſt, ut, ſicut Eremita quidam cellæ ſuæ oſtio inſcripſit hæc verba: *Neceſſitas, Vilitas, Charitas*, indicans non apertum iri hoc oſtium niſi una ex iſtis tribus cauſis cogeret; ita & os non aperiatur, niſi ob unam ex dictis cauſis, quarum defectu plerumque mulieribus occini poteſt illud Job. c. 2. *Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es.* Defunctæ autem potiùs illud S. Mechtildis Elogium: quod in vita cap. 5. legitur, dari poterat: *Servabat ſilentium, ut eam mutam putares: Si loqueretur, tamen id Gratiâ faciebat, ut cum Angelo te colloqui putares.* 2. Ut manſuerè & charitativè quis loquatur, ubi iterum plerumque deficiunt mulieres, de quibus Eccl. cap. 25. *Non eſt ira ſuper iram mulieris.* De Defuncta autem illud S. Damaſceni orat. 1. de Nat. dici poterat. *Sermo eius iucundus ex leni animæ pro-*

greſſione

grediens: &, ut Sponsus Cant. 4. dixit, *Favus distillans labia tua: mel & lac sub lingua tua.* Itaque hæc ars singulariter omnibus, sed præcipuè mulieribus commendanda.

XII. Ex occasione thematis: *Consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.* ostendi potest, quàm inimica fuerit otio Defuncta, utpote quod vel maximè dedecet Mulieres, eásque in præcipitium omnium vitiorum deducit. 2. Explicari possunt labores, præcipuè in cura domus suscepti. Hæc enim cura propriè convenit uxoribus, uti Aristoteles lib. 1. de re famil. cap. 3. his verbis indicat: Divinâ Providentia utriusque natura, Viri scilicet, & Mulieris ordinata est ad Societatem; Alterum enim robustum fecit, alterum imbecillius. Hoc quidem ob timorem cautius; illud propter fortitudinem pugnacius; Et hoc quidem, ut foris suppeditaret, quæ necessaria sunt; Illud autem intus eadem conservaret. Hinc posset dici, eam observâsse doctrinam ab Amico quopiam alteri malè familiam administranti datam, dum ei pixidem obtulit, quæ schedam hæc verba habentem continebat. **Wilst daß dir dein Sach wohl geling? steh all Tag fleissig zu deim Ding.** Et hanc pixidem quotidie tota in domo circumferre eum jussit, quod ubi is fecit, haud exiguum rei domesticæ augmentum advertit. Dicendum in fine hanc pixidem omnibus mulieribus à defuncta pro sui memoria habenda relictam.

XIII. Ex occasione thematis: *Surrexerunt filii eius, & beatissimam prædicaverunt: vir eius, & laudavit eam.* Proverb. 13. ostendi potest, quàm bene Matrisfamilias munus Defuncta obierit. 1. Liberos bene educando; unde illi surgentes, id est, crescentes in Sapientia, ætate & Gratia apud DEUM & Homines, Beatissimam ipsam opere ipso prædicaverunt, juxta illud Prov. 15. *Filius sapiens lætificat patrē: Stultus homo despicit matrem suam.* Ergo sapiens honorat eam. 2. Familiam bene gubernando, id est, cum amore juxta illud S. Hieronymi ad Celantiam: *Familiam tuam ita rege, & confove, ut te matrem magis tuorum, quàm Dominam videri velis, à quibus benignitate potiùs, quàm severitate exige Reverentiam; fidelius & gratius semper obsequium, quod ab amore, quàm quod à metu proficiscitur.* 3. In marito colendo & amando juxta monitum ejusdem S. Hieronymi: *præcipuè autem*

tem in coniugio venerabili atque immaculato Apostolicæ Regulæ ordo teneatur. Servetur inprimis Viro Authoritas totáque à te distet domus, quantùm illi honoris debeat. Tu illum Dominum tuo obsequio, tu magnum illum tuâ humilitate demonstra, tantò ipsa honoratior futura, quantò illum amplius honoraveris. Caput enim, ut ait Apostolus, mulieris est vir, nec aliundè magis reliquum corpus ornatur, quàm ex capitis dignitate. unde monendi Auditores, ut & ipsi surgant, & collaudent illam.

XIV. Ex occasione thematis: *Multæ Filiæ congregârunt divitias, tu supergressa es universas.* Prov. 31. Dici potest primò quomodo congregaverit veras divitias, de quibus S. Bernardus ait: *Fratres, si divites esse cupitis, veras divitias amate; Solæ autem veræ opes sunt, quæ nos virtutibus divites efficiunt.* 2. Quomodo in hoc superaverit antiquas mulieres à variis donis laudatas. Estherem in pulchritudine, Juditham in fortitudine, Abigail in prudentia, Liam in fœcunditate, Annam Samuelis matrem in pietate. Hinc congratulandum illi ob tales divitias & ad similes comparandas Auditores excitandi.

XV. Ex occasione thematis: *Fallax Gratia & vana est pulchritudo mulier timens dominum ipsa laudabitur.* Prov. 13. ostendi potest, quàm parùm fecerit defuncta pulchritudinem corporalem, & potiùs internæ pulchritudinis rationem habuerit, assiduè in mente gerens sententiam hanc: *Fallax gratia & vana est pulchritudo*; quam quidam sic vernaculo sermone & metro expressit:

Gantz eitl ist Ehr/ Lieb / vnd Gunst /
Die Schönheit ist ein blauer Dunst /
Allein das Weib / das lobet GOtt /
Zu loben ist vor vnd nach dem Todt.

2. Quantopere timorem Domini habere studuerit ipsa, declinando à malo seu peccato, & faciendo bonum, id est, mandata DEI adimplendo, & etiam Liberos suos eandem docuerit, dicens ad quemvis illorum ea S. Tobiæ cap. 4. verba: *Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus DEVM, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Itaque excitandi Auditores, ut & ipsi eam laudent.

XVI. Ex

XVI. Ex occasione thematis: *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.* Prov. 31. ostendi potest. 1. Quomodo jam in cælis fructum operum suorum receptura sit juxta illud Psal. 127. *Labores manuum tuarum manducabis. Beatus es, & bene tibi erit.* Commendari autem hi fructus ejus possunt à bonitate substantiæ, raritate circumstantiæ, seu qualitatis, & maturitate perseverantiæ; sine his enim fructus pretiosus non æstimatur. Respondebunt autem etiam in præmio tria similia Gaudia, scilicet Gaudium accidentale ex varijs objectis erga DEUM proveniens: Gaudium substantiale consistens in visione beatifica: Gaudium æternale, id est, ex securitate durationis æternæ orituram. 2. Quomodo in portis, id est, post mortem, & in die judicii propriè laudanda sit, quia ante mortem necdum securi sumus de perseverantia. Hinc Eccl. 11. cap. dicitur: *ante mortem ne laudes quemquam.* Excitandi proin iterum Auditores ad laudem & gratulationem fructuum.

FONS II.

Ex signis Prædestinationis.

EX hoc fonte varij admodum modi pro funebribus exhortationibus erui possunt, sed duo præcipuè, nempe ut signum prædestinationis, vel sub schemate alicujus comparationis, v. g. cum instrumento, via, flore, arbore, frumentoque proponatur, vel simpliciter proferatur, & postea breviter ostendatur, quàm tale signum singulari quodammodo in Defuncto constanter fuerit repertum. unde plerumque Auditores ad gratulationem, & imitationem in tali signo procurando sunt excitandi. Petendo tamen in fine etiam preces, si adhuc indigeret, pro quibus omnibus copiosam materiam hic fons afferet.

Itaque 1. Ex occasione thematis: *Tibi dabo claves Regni cælorum.* Matt. 16. ostendi potest, quòd defunctus ad imitationem illius Sartoris è Soc. JESU, qui in morte acum suam petijt, eámque in altum elevans dixit, hanc nunc esse Clavem, per quam speret, se regnum cælorum aperturum & ingressurum, Instrumentum illud quo in Opificio suo vel officio usus est, pro sua clave usurus sit, eò quòd opera sua omnia propter

DEUM

DEUM perfecerit. Unde dici potest tria in clave reperiri, quæ suo modo in opere bono etiam reperiuntur. Primò, ut sit rotundæ figuræ, quo significatur Perfectio & bonitas operis. 2. Ut habeat vacuitatem; alioquin enim inseri januæ non posset; quâ vacuitate significatur carentia peccati seu status Gratiæ, in quo opus fieri debet. 3. Ut applicetur Januæ, quòd fit per intentionem bonam; per hanc enim opus cum regno cælorum, propter quod elici solet, conjungitur.

II. Ex occasione thematis: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Prov. 8. ostendatur defunctum, per viam lacteam, id est, per B. Virginis cultum, & Patrocinium ad cælum pervenisse. Hinc 1. ostendi poterit, quàm meritò B. Virgo viæ lacteæ comparetur, ut quæ ex innumeris stellis, id est, virtutibus composita est, & propter summum candorem puritatis tam corporalis, quàm spiritualis candicans appatet. 2. Quomodo per eam tanquam viam certissimam facillimè quisque veniat ad terminum optatæ beatitudinis. 3. Quomodo defunctus coluerit & honoraverit hanc SS. Virginem, per magnam de illa æstimationem, filialem fiduciam, & quotidianam devotionem per Rosarium aliásque similes preces & obsequia demonstratam.

III. Ex occasione thematis: *Intrate per angustam portam.* Math. 7. dici potest defunctum per portam humilitatis intrâsse in cælestem civitatem (durch das Einlaß-Thörl) Itaque 1. ostendatur, Humilitatem esse certum signum Prædestinationis juxtà illud Christi effatum, Math. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* 2. Ostendatur, quomodo defunctus exercuerit se constanter in hac virtute, vili pendendo seipsum, & contemptum patienter ferendo, sed & de operibus nil sibi, sed omnia DEO attribuendo. vide Drex. in Zod. Symb. 8.

IV. Ex occasione thematis: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Luc. 9. ostendi potest 1. Viam crucis esse rectissimam, certissimam, & securissimam ad cælum juxta illud Christi Luc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in Gloriam suam?* Quomodo defunctus eam ambulârit, dum tribulationes varias tam patienter, alacriter & constanter pertulit, qui sunt tres Gradus perfectæ patientiæ, vide Drex. Zod. Symb. 8.

V. Ex

V. Ex occasione thematis: *Viam mandatorum cucurri, cùm dilatásti cor meum* (intellige per affectum charitatis) Ps. 118. ostendi potest primò quàm *certa* sit hæc via juxta illud Christi Math. 19. *Si vis ad vitam ingredi, servà mandata*; quàm *trita*, quia omnes Sancti per eam in cælum intrare debuerunt juxta illud 1. Joan. 5. *Hæc est Charitas DEI, ut mandata ejus custodiamus*; quàm *iucunda* juxta illud Psal. 118. *Quàm dulcia faucibus meis Eloquia tua: Super mel ori meo.* Quàm *plana* & *facilis* juxta illud S. Joan. 1. c. 5. *Et mandata ejus gravia non sunt.* Hinc ipse invitavit Math. 11. *Tollite jugum meum super vos*: Jugum enim suave est, & onus meum leve. 2. Quomodo defunctus non tantùm ambulaverit per hanc viam, sed cucurrerit, id est, magnam alacritatem & fervorem semper in mandatis DEI observandis ostenderit, quod quidem per aliquot Exempla, præcipuè mandata dilectionis DEI & proximi demonstrari potest. vid. Drex. Zod. Symb. 11.

VI. Ex occasione thematis: *Ambules in via bona, & calles justorum custodias.* Prov. 2. ostendi potest contigisse defuncto adhuc in vita existenti, quod discipulo S. Benedicti evenisse legitur, dum post mortem ejus divus iste in via florida & amæna consistens apparuit, simúlque hæc vox audita est: *Hæc est via, quâ dilectus Domini Benedictus cælos ascendit*; atque adeò probari potest, 1. quàm bona & certa sit via illa, per quam Sanctus ille, quem defunctus ratione status sui vel alterius causæ in Patronum principalem elegit, & singulari studio coluit, in cælos ascendit. 2. Quomodo in via illius ambulaverit, per varias virtutes, quibus Sanctus ille specialiter ornatus fuerat, & defunctus pro viribus imitari studuit demonstrari potest.

7. Ex occasione thematis: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis.* Oseæ 3. ostendi potest, viam ad cælos spinosam esse, quia *per multas tribulationes oportet introire in Regnum DEI.* Act. 14. Hinc S. Catharina Senensis spinosam potiùs, quàm auream coronam à Christo oblatam elegit. 2. Quàm constanter & alacriter defunctus per hanc viam incesserit, & exercitus sit, quòd quondam Christus S. Gertrudi ostendit, dum eidem in specie Parvuli in via spinis obsita apparuit, & præeundo, parváque cruce spinas removendo, sequi eam jussit indicare scilicet volens, se suâ passione potiorem tribulationum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

num perpetiendarum difficultatem removisse; *Non enim sentit sua vulnera miles, qui Ducis sui vulnera intuetur.* vide Drex. in Zod. Symb. 12.

VIII. Ex occasione thematis: *Ego sum via, veritas, & vita.* Joan. 14. ostendi potest, Christum esse viam regiam, quam ipse Pater cælestis ostenderit, dicens Math. 17. *His est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Et Joan 30. *Hæc est via ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram, neque ad sinistram.* 2. Quomodo defunctus hanc viam ambulaverit per imitationem Christi: in pueritia per devotionem & innocentiam: in Adolescentia per profectum in variis artibus & obedientia: in virili ætate per strenuam operationem ad majorem DEI Gloriam, & per generosam & constantem patientiam.

IX. Ex occasione thematis: *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius?* Psal. 23. ostendi potest 1. Jerusalem cælestem in alto monte sitam; hinc Christus transfigurare se, Beatitudinémque Sanctorum monstrare volens, duxit Discipulos in montem excelsum valde, & ob eandem causam dixit, quòd *Regnum cælorum vim patiatur*, (**vil schnauffens koste**) *& violenti rapiant illud*, Math. 2. 2. Quomodo defunctus ascenderit hunc montem, quia observavit conditiones in eodem Psalmo ad quæstionem datas, & fuit *innocens manibus* (id est, operibus) *& mundo corde, & non accepit in vano animam suam*, sed potiùs solidas virtutes & gaudia sectatus est. Hinc accepit benedictionem à Domino, & misericordiam à DEO salutari suo.

X. Ex occasione thematis: *Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Horeb.* 3. Reg. 19. ostendi potest, varios esse modos perveniendi ad cælos; Alios pedibus, alios equo aut curru contendere, defunctum autem peditem ambulâsse cum Elia ad montem Horeb, id est, visionis DEI; Cùm autem in tota vita & præcipuè in monte, difficultate itineris defatigaretur, etiam ipsi à suo Angelo Custode & Spiritualibus Patribus vel Concionatoribus dictum esse: *Surge, & manduca; Magna enim tibi restat via*: Ideóque tam sollicitè & diligenter, tum in vita frequenter, tum præcipuè in morte per modum viatici pane candidissimo Angelorum fuisse refectum; unde non dubi-

dubitandum esse, quiu in fortitudine illius ambulaverit usque ad montem DEI; qui enim manducat dignè hunc panem, vivet in æternum. Drex. Zod. Symb. 3.

XI. Ex occasione thematis: *Sufficit tibi Gratia mea*; Cor. 12. Dici potest contigisse defuncto, quod S. Paulo defatigato in certamine, unde eum perinde in itinere ad cælum fatigatum auxilium petijsse, & audiviſse à DEO: *Sufficit tibi Gratia mea*, qua; ut Thom. Kemp. l. 2. c. 9. ait, *satis suaviter equitat, quem Gratia DEI portat.* unde primò ostendatur, quàm suaviter & securè ad cælum tendat, qui bonam conscientiam habet, & in Gratia DEI constitutus est, quia *beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt.* Et: *quis ascendet in montem Domini? innocens manibus, & mundo corde.* 2. Ostendatur, quàm diligenter & ferventer defunctus sua peccata detestatus sit, & per confessionem delere studuerit, sed & alia media ad gratiam recuperandam & conservandam necessaria adhibuerit. Drex. Zod. S. 10.

XII. Ex occasione thematis: *Ecce Currus igneus & equi ignei divisérunt utrumque.* 4 Reg. c. 2. Dici potest, quòd defunctus per Currum igneum Charitatis DEI & proximi, & per equos quatuor igneos, id est, virtutes quatuor morales, Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem & Temperantiam à perfecta charitate inflammatas in cælum abierit, quæ omnia per partes demonstranda.

XIII. Ex occasione thematis: *Levavit eum ad se in currum.* 4. Reg. 10, v. 15. Primò dici potest, defunctum à Jesu, quod nomen idem significat, ac *ipse Existens*, atque adeò Christo propter Deitatem rectè convenit levatum esse in Currum obedientiæ; ita enim eam comparabat S. Dorotheus dicens: Eos, qui secundùm proprium arbitrium vivunt, cruces suas manibus aut humeris portare; Eos autem, qui sub obedientia vivunt, in curru vehi, & cruces juxta se positas, simul secum sine onere vehere. Ostendatur ergo 1. quàm bona & jucunda via ad cælum sit obedientia, cùm ipse etiam Christus hanc viam præcipuè verbo & exemplo suaserit, obediens factus usque ad mortem crucis. 2. Quantopere defunctus hanc virtutem æstimaverit, amaverit, & exercuerit.

XIV. Ex occasione thematis: *Quis mihi dabit pennas columbæ, & volabo, & requiescam?* Ps. 54. Dici potest se-

cundùm Thomam Kemp. l. 2. c. 4. *duabus alis* hominem sublevari à terrenis, simplicitate scilicet, & puritate. Simplicitas debet esse in intentione, Puritas in affectione. Simplicitas intendit DEUM, Puritas apprehendit, & gustat. Unde potest primò probari, quomodo hæ duæ alæ intentionis & puræ affectionis sint proprium & optimum medium ad cælum juxta illud commune Adagium: *Quidquid agant homines, intentio iudicat omnes; & omnis Gloria filiæ Regis ab intus.* Ps. 44. 2. Quàm studiosè se in his duobus charitatis actibus exercuerit defunctus. Possunt earundem duarum alarum nomine etiam intelligi duo præcepta Charitatis, DEI & proximi, juxta illud Luc. 10. *Quid faciendo vitam æternam possidebo? Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Et proximum tuum sicut teipsum?* vel sub ijsdem alis intelligi possunt duo Capita Justitiæ Christianæ, de quibus David Ps. 33. dixit, *Quis est homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? Declina à malo, & fac bonum*: inquire pacem, & persequere eam.

XV. Ex occasione thematis: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Math. 2. Ostendi potest defunctum imitatum fuisse duces generosos, qui civitatem expugnare volentes tormenta mortaria (Mörsel) portis urbis applicant, itáque eas effringunt. Sic ergo & ipsum regnum DEI, quod intra nos est, vim intulisse, dum seipsum, & suas passiones generosè vincere studuit, sícque verificavit illud Thomæ Kemp. l. 1. c. 25. *Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris.* Enumerentur proin aliquot passiones, v. g. Iræ, amoris inordinati, Cupiditatis, Fugæ adversitatum, & difficultatum. Et ostendatur, quàm generosè eas superârit defunctus.

XVI. Ex occasione thematis: *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens cælos.* Gen. 28. Dici potest varios variè hanc scalam interpretari, optimam videri opinionem, quæ ait, per eam intelligi scalam mandatorum DEI, de qua S. David. Ps. 83. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco, quem posuit. Etenim benedictionem dabit Legislator: Ibunt de virtute in virtutem; videbitur DEVS Deorum*

rum in Sion. Et, ut S. Augustinus in Ps. 38. ait: *Iter tuum voluntas tua, Amando ascendis, Negligendo descendis; & quantò plus amaveris, tantò plus ascendes*; ostendatur proin, quomodo defunctus per gradus hujus scalæ ascenderit. Potest etiam per scalam istam intelligi amor B. Virginis juxta visionem, quâ Sanctus Franciscus vidit Fratres suos à scala rubra, cui Christus insidebat, dejectos, ad albam, in cujus culmine B. V. apparuerat accelerantes, & facilè ad cælum admissos.

XVII. Ex occasione thematis: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Math. 24. Dici potest, defunctum per Cuniculos cælum expugnâsse, dum per humilitatem conatus est cælos ingredi. Ostendatur proinde, quomodo Humilitas sit optima via ad cælum, & quomodo eam Defunctus exercuerit.

XVIII. Ex occasione thematis: *Multùm valet deprecatio iusti assidua.* Jac. 5. dici potest, defunctum corde suo pro sclopeto, fervore pro igne, mortificatione & victoriâ sui pro pulvere, & globulis Rosarii pro globis usum contra hostes suos, & ipsum cælum expugnâsse; nam teste Eccl. 35. oratio humiliantis se penetrabit nubes, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus exaudiat; ostendatur ergo quàm ferventer & frequenter his globulis usus sit, & quantam inde Gloriam obtinuerit.

XIX. Ex occasione thematis: *Triticum autem congregate in horreum meum.* Math. 13. Probari potest meritò credi posse, quòd defunctus sit in horreum cæleste receptus, eò quòd ut triticum sit bene priùs per tribulationes flagellatus (**außgetroschen**) per sinceram confessionem cribratus (**gereutteret.**) Et à paleis purgatus sit. Si tamen, ut fieri plerumque solet, adhuc aliquæ paleæ adhæsissent, à quibus in purgatorio igne purgandus sit, rogandi AA. ut suis precibus velut flabello has paleas removere conentur.

XX. Ex occasione thematis: *Omnis caro fœnum, & omnis Gloria eius quasi flos agri:* Isa. 40. ostendi potest, quàm præclarus flos fuerit defunctus; quàm amæno colore variatum virtutum fuerit ornatus; quàm copiosa folia bonorum Exemplorum progerminaverit, & quàm gratum odorem optimi Exempli reliquerit; & quamvis hunc ipsum mors abstulerit, id tamen non alio fine factum, quàm ut in cælestis

Paradisi hortum transplantaretur. Hinc lætum in Agonetanere potuisse.

Trutz Todt/ komm her/ ich förcht dich nit/
Trutz komm/ vnd thu ein Schnitt/
Wirst du mich weck fretzen/
Wird man mich versetzen.
In Himmlischen Garten/
Ich will es erwarten.
Frey dich/ schöns Blümelein.

XXI. Ex occasione thematis: *Succidite Arborem, & præcidite ramos eius; excutite folia eius: veruntamen Germen radicum eius in terra sinite.* Dan. 4. Dici potest defunctum fuisse similem arbori, quam Nabuchodonosor olim in somnis vidit. Nam primò fuisse arborem magnam & fortem; *quod enim magnus est, qui magnam Charitatem habet*, teste Thoma Kemp. l. 1. c. 3. *verè magnus est, qui in se parvus est, & pro nihilo omne culmen honoris ducit.* 2. Proceritatem ejus ad cælos contigisse, propter altissimam intentionem, quam omnibus operibus suis præfigere studuerat. 3. Folia, id est, Proposita, & Desideria ejus pulcherrima, & fructus bonorum operum nimis bonos fuisse. 4. Sub ramis illius bestias & volucres, id est, bonos & malos habitâsse, & solatium quæsivisse. 5. Ex ea vesci solitam universam carnem, quatenus per copiosam Eleëmosynam innumeros pauperes recreabat. Licet verò nunc morti dictum sit: Succidite arborem, & ramos, id est, vires corporis, præcidite folia, & fructus excutite; tamen etiam dictum esse: veruntamen radicum germen ejus in terra sinite, scilicet spem resurrectionis & transplantationis in cælestem Paradisum; quare etiam se per modicum tempus excarere debeant, qui hactenus sub ramis ejus habitabant, tamen per spem hanc solari se debent, quòd suo tempore iterum hanc arborem visuri, & tanto majori cum gaudio iterum fruituri, quanto longiori tempore ejus præsentiâ caruerunt; & quantò diutiùs ea fruitio durabit.

XXII. Ex occasione thematis: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Math. 6. Dici potest, multa quidem signa esse Prædestinationis, sed vix ullum esse misericordiæ comparandum, utpote de quo S. Hieronymus intrepidè dixerit, non meminisse se, quòd legerit, aliquem mala mer-

la morte defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit, eò quòd multos habeat intercessores, impossibile autem sit, multorum preces non audiri, ut meritò Tobias c. 4. hanc specialiter filio suo commendârit, dicens: *Quantùm poteris, esto misericors: Præmium enim bonum thesaurizas in die necessitatis; quoniam Eleëmosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur ire animam in tenebras; fiducia magna erit coram summo DEO Eleëmosyna omnibus facientibus eam.* Itaque potest ostendi, quàm liberaliter & constanter hanc virtutem exercuerit Defunctus. Quámque adeò meritò sperari de eo possit, quòd non iverit in tenebras, sed bonam mensuram, coagitatam, confertam & superfluentem, qualem aliis dedit, etiam ipse iterum in sinum suum acceperit.

Nota, simili modo etiam aliæ Beatitudines pro themate assumi & defuncto applicari possunt, dicíque, virtutem talem in themate contentam datam esse à DEO quasi Chirographum, quo ipsum de beatitudine obtinendâ assecurârit.

FONS III.

Ex Motivis succurrendi.

ETiam iste Fons copiosissimam affert materiam pro funebribus Exhortationibus. Tot enim Conceptus ex eo erui possunt, quot titulos in animabus est reperire, quæ ad misericordiam ipsis exhibendam incitare possunt, qui quidem Tituli plurimi sunt, ut mox apparebit.

Itaque I. Ex occasione thematis: *Estote misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est*, Luc. 6. ostendi potest primò, quàm grata sit misericordia æterno Patri, ita ut Christus hujus exercitium specialiter commendârit, & Ecclesia dixerit, illi proprium esse misereri & parcere, quámque adeò gratior multò illi futura sit misericordia, quæ filiis ejus in igne purgatorij gravissimè excruciatis, præstabitur; Quis enim non credat, gratissimum obsequium Regi alicui præstiturũ eum, qui Filium ejus dilectissimum in sævissima Turcæ captivitate detentum, crudelissiméque cruciatum suis sumptibus eriperet, Patríque suo restitueret? Cùm ergo Pater æternus suos Filios infinities magis diligat, quàm pater corporalis. An non meritò quoque creditur incomparabiliter gratius obse-

quium illi præstitum iri ab eo, qui ex captivitate longè graviori Filios illius eripere studuerit? 2. Quantopere defunctus conatus sit esse verus Filius æterni Patris, servando mandata, tribuendo debitum cultum, & suos Fratres propter Patrem diligendo, etiam inimicos juxta illud Math. 5. *Diligite inimicos vestros, & bene facite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.*

II. Ex occasione thematis: *Quod fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.* Math. 25. ostendi potest primò, quàm gratum sit obsequium futurum Christo, si animam in purgatorio detentam quis liberet. Certè S. Gertrudi quondam dixit: Qui pro peccatoribus & Animabus purgantibus devotè oraverit, hoc tam diligenter acceptabo, acsi ad me incarceratum crebriùs invisendo, blandis consolationibus suis desolationem meam sublevâsset, ut legitur Insinuat. l. 4. cap. 18. imò tam gratum, acsi meipsum toties pro pretio à captivitate liberâsset; & hoc ipsis indubitanter restituam in tempore opportuno secundùm omnipotentiam meæ liberalissimæ pietatis, lib. 5. cap. 21. Inferatur ex hoc, quanta ex una parte ingratitudo sit futura, si quis Christo hoc obsequium tam facilè præstabile ausit negare; & quantam ex altera parte spem concipere possit purgatorium evadendi, si priùs illum toties eripere studuerit.

III. Ex occasione thematis: *Ad te suspiramus Gementes & flentes in hac lachrymarum valle*: ostendatur primò, quàm B. Virgo specialis sit Advocata purgantium animarum. Nam ipsa S. Brigittæ lib. 6. revel. dixit, nullam esse pœnam in purgatorio, quæ non propter illam remissior fiat, & levior ad ferendum, quàm aliàs fuisset. S. Roboaldo Dominicano quoque Sacrificium pro defuncto ex familia offerenti animam in ulnis portans apparuit, & dixit: Vide Amicum, pro quo Sacrificium Missæ offers, uti l. 2. hist. Dominic. c. 14. scribitur. Imò cuidam S. Personæ revelatum est, eam aliquoties per annum descendere in purgatorium, & innumeras Animas liberare. 2. Ostendatur, cùm clamor defuncti ad B. V. modò parùm proficuus sit, quàm conveniens sit, ut nos nunc ejus loco clamemus: *Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo Advocata nostra, illos tuos misericor-*

misericordes oculos ad nos converte, & IESVM benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. Quàm libenter B.V. has preces exaudiatura sit, cùm tantopere defunctus eandem dilexerit, & venerari studuerit.

IV. Ex occasione thematis: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in Fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus, idcircò venit super nos tribulatio.* Gen. 42. ostendi potest primò, quàm crudele fuerit facinus Fratrum Joseph, dum in cisterna clamantem Fratrem non audierunt; quantóque crudelius sit futurum, si Fratrem nostrum spiritualem ex eodem Christi sanguine natum, non in cisterna, sed in purgatorio inter tormenta patiamur clamare, nec exaudiamus; quam quidem immisericordiam patheticè S. Augustinus Serm. ad FF. in Eremo describit, dum ait: *Cadit Asinus, & omnes eum sublevare festinant: Clamat porcus, & cum eo cæteri clamare non cessant; Clamat inter tormenta Fidelis, & non est, qui exaudiat. Ecce vestra inhumanitas!* 2. Ostendi potest, quomodo illum extrahere possint AA. scilicet funiculum charitatis fraternæ eidem porrigendo, non verbo tantùm & linguâ, sed opere & veritate demonstratæ.

V. Ex occasione thematis: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Rom. 12. ostendi potest, quomodo quotidiana experientia testetur, quòd, ut S. Paulus 1. Cor. 12. dicit: *Si quid patitur, unum membrum, compatiuntur omnia membra*; quàm celeriter, si sinistram manum, vel aliud membrum ignis vel scintilla corripuit, dextra manus subveniat, & ignem removere studeat. 2. Potest inferri, quantò æquiùs sit, ut, cùm omnes homines, & Christiani præcipuè sint membra ejusdem corporis, & quidem incomparabiliter præstantioris, mutuum sibi auxilium præstent, ignémque sævissimum purgatorii, si fortè is membrum aliquod corripuit, dispellere studeant, simúlque unum alterúmve medium suggeratur, ad ignem hunc extinguendum. Excitentur proinde Auditores, ad eam Charitatem etiam defuncto tantò copiosiùs præstandam, quantò arctiùs ijsdem per effectum Charitatis & Concordiæ in vita conjunctus esse studuit.

VI. Ex occasione thematis: *Miseremini mei, miseremini*

mei, saltem vos Amici mei, quia manus Domini tetigit me. Job. 19. Potest ostendi primò, quàm graves sint pœnæ purgatorii, quod scilicet juxta S. Thomam minima pœna illius excedat maximam hujus vitæ; imò ut V. Beda loquitur, gravior sit purgatorii correctio, quàm quidquid passi sunt Latrones, vel SS. Martyres, vel quidquid graviùs Homo excogitare potest. 2. Ostendi potest, quàm æquum sit, ut Auditores, qui ratione naturæ, religionis, & aliorum titulorum meritò Amici dici possunt, opem ferant, quam nec cani, nec feli in ignem fortè cadenti negarent; uti præclarè S. Augustinus indicavit, dum dixit: *Cadit Asinus, & omnes eum sublevare festinant; clamat porcus, & cæteri cum eo clamare non cessant: clamat inter tormenta Fidelis, & non est, qui adiuvet, ecce vestra inhumanitas!*

VII. Ex occasione thematis: *& vos omnes, qui transitis per viam attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Thren. 3. ostendi potest primò, quàm verè dicere possint animæ purgatorii, non esse dolorem suo similem; Id quod facilè probari potest, tum testimonio Doctorum, & SS. Patrum; tum etiam testimonio illius Monachi, qui, cùm in mortis excessu vidisset tormenta purgatorii, reversus ad se dixit: Nulla hominis lingua exprimere, nulla æstimatio concipere potest varietatem, multiplicitatem, & gravitatem supplitiorum, quibus me aspiciente purgandi subdebantur; Testis mihi est DEUS, quia si quis me & cunctos amicos meos abscidisset omnibus injuriis & pœnis, quæ possunt homini in hac vita irrogari, vel etiam occidisset, & viderem illum deputari tormentis à me conspectis, ego millies, si fieri posset mortem pro ejus ereptione subire paratus essem, adeò pœnæ illæ, quas in purgatorio vidi, excedunt mensuram & modum cujuscunque doloris, angustiæ, amaritudinis, ac miseriæ hujus vitæ; verumtamen, qui ibi dirè admodum cruciantur, paulatim ad tolerabiliora transeunt. Ita Ludovicus Blosius in Monili c. 12. 2. Ostendi potest, quòd illi, qui transeunt per viam sint mortales hujus vitæ; Ipsi enim propriè adhuc sunt Viatores. Ad hos nunc meritò clamant Animæ, rogántque ut ad gravitatem pœnarum oculos animúmque reflectentes, misericordiæ affectum concitare studeant. Hìc enim propriè locum habet illud S. Davidis Ps. 38. *In meditatione mea exardescit*

arderet ignis, charitatis scilicet ad misericordiam impellentis.

VIII. Ex occasione thematis: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Ps. 119. ostendi potest primò, quàm gravis efficiatur pœna purgatorii ex temporis diuturnitate, & desiderio videndi DEUM. Potest hoc desiderium siti comparari, quæ meritò excedit omnia tormenta, uti dives Epulo testatus est, dum de hac sola quæstus est: Potest eum in finem Exemplum afferri ægri illius, qui optione facta per Angelum, maluit tribus horis in purgatorio, quàm tribus annis in lecto manere, sed horâ vix elapsâ ab Angelo visitatus, cùm vix horam se insumpsisse in purgatorio audivisset (licet ipse se multis annis ibi fuisse putârit) mutari petijt pœnam; affirmavítque, se libentiùs trecentos annos in morbis, quàm in Purgatorii pœnis horam consumere velle: uti in Spec. Exempl. V. Infirmitas. ex. 7. legitur. 2. Ostendi potest, quomodo, cùm defunctus tantâ sit cruciatus pœnâ, petat ab Auditoribus, ut extremum digiti intingant in aquam, id est, saltem pauculas preces & opera pro ipso offerant, síque pœnas illius relevent; quàm autem durum sit, tam leve obsequium denegare.

IX. Ex occasione thematis: *Sitivit Anima mea ad DEUM fortem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem DEI.* Ps. 41. ostendi potest, quàm gravem pœnâ sentiant animæ purgantes ex dilatione beatitudinis, ita ut meritò dicere queant cum David Ps. 41. *Fuerunt mihi lachryma mea panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est DEVS tuus?* Si enim Joannes Sancius Sacerdos è Soc. JESU adhuc in hac vita existens tanto ferebatur desiderio in DEUM, ut fassus fuerit, si certò sciret, se aliquo die non moriturum, hanc scientiam sibi sufficientem fore ad vitam præ languore eripiendam; quantum dolorem & languorem credi par est, animas purgatorii sensuras, quæ haud dubiè desiderio incomparabiliter majore feruntur in DEUM extra, quàm intra corpus. Inferatur proinde, quàm æquum sit, ut, cùm defunctus adhuc in hac vita existens desideria suorum amicorum cum tanto labore impleverit, nunc & ipsi vicissim ipsius appetitum tantò citiùs perfectiúsque satiare studeant, quantò leviore labore ad hunc finem est opus.

X. Ex occasione thematis: *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur, de panibus enim suis dedit pauperi.* Prov. 12. obtrudi potest, commune esse proverbium Germanorum: **Kirchen gehen versaumet nicht / vngerecht Gut bereicht nicht / Allmusen geben erarmet nicht.** Hinc Salomon Prov. 12. dixit: *Alii dividunt propria, & ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Qui dat pauperi, non indigebit.* Id suo Exemplo testatus est Erdicius civis Romanus, qui, cùm famis tempore quadringentos mendicos nutrivisset, & fame cessante omnes curribus in patriam revehi jussisset, audivit à DEO: Erdici, ex hac die non deficiet tibi & semini tuo panis in aeternum. Spec. Exempl. dist. 9. ex. 130. unde inferri potest multò magis hanc benedictionem sperari posse ab iis, qui misericordiam erga purgantes animas præstiterint, suísque operibus effecerint, ut ab Angelis in cælestem patriam deportarentur. Quare adhortandi Auditores, ut, quandoquidem tam præclaram habeant occasionem, similem misericordiam erga defunctum exercendi, eam non negligant, sed certò sibi persuadeant, Defunctum non modò spiritualia, sed etiam temporalia bona illorum de cælo plùs deinceps precibus suis promoturum, quàm in terris vivus fecerat.

XI. Ex occasione thematis: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Luc. 6. Dici potest, nunquam nos magis necessarios habere Patronos, quàm in hora mortis & judicii, quia ibi agitur de æterna felicitate vel acquirenda, vel amittenda. 2. Probari potest, non esse fideliores amicos, quàm animas è purgatorio liberatas, ut quæ agnoscant magnitudinem collati beneficii, nec destituræ sint, donec etiam liberatorem suum eò perducant. Hinc aliquando è somno aliquem excitârunt, monuerúntque, ut citò confiteretur, qui post confessionem subita morte mortuus est. Sed & de alio scribit P. Stephanus Binellus in lib. de statu anim. cap. 1. Quòd, cùm in agone multùm angustiaretur ob timorem judicii, subitò aër se aperuerit, & decem millia candidissimorum Equitum ad ipsum descenderint, dixerintque: Bono animo esto, vir bone; Nam ad te venimus, ut in hoc ultimo & periculoso certamine tibi assistamus, cúmque illæ præ gaudio in lachrymas resolutus quæreret, quando tam insperatam gratiam fuisse-

fuisset promeritus? Responderunt illi, se esse animas ipsius precibus & auxilio redemptas, atque adeò acceptum beneficium nunc compensare velle. Itaque excitari possunt Auditores, ad ipsum etiam defunctum sibi amicum faciendum, ut eum suo tempore consolatorem habere possint.

XII. Ex occasione thematis: *Quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis.* Luc. 6. Dici potest, solere nonnunquam ab aliquibus curiosam hanc quæstionem moveri; quodnam tandem sit hospitium in universo orbe, in quod maxima Pars Viatorum ad tempus diverti solet? Et post varias responsiones & divinationes tandem optima censetur resolutio, quæ dicit, illud esse purgatorium: Etsi enim major pars hominum, ut plerique Auctores censent, in infernum detrudatur, hic tamen non ad tempus tantùm habitant, atque adeò carcer potiùs perpetuus dici meretur; At in purgatorio plerique ex Electis ad tempus divertunt, ut purgentur; Quemadmodum tum ex Severitate justitiæ divinæ; tum ex variis Historiis constat. Cùm ergò, ut sæpius ostensum est, Purgatorium ob multitudinem & Gravitatem pœnarum acerbissimum sit, meritò quivis prudens, & salutis suæ amans maturè sibi de tali remedio prospicit, quod efficacissimum sit, ad se à tali pœna liberandum; tale autem medium ab Ascetis reputatur misericordia defunctis præstita; Cùm enim ex parte Christus: Quod uni ex minimis suis præstatur, sibi præstitum censeat; Ex altera verò parte promiserit, quòd, quâ mensurâ mensi fuerimus, eâdem nobis remetiendum sit, meritò, qui animas sæpius, & in his etiam Christum ex purgatorio liberavit, sperare poterit, similem se charitatis mensuram olim accepturum, & aut omninò à purgatorio liberatum iri, aut certè non diu ibi mansurum id quod variis Historiis confirmari potest. Hortetur proin Exhortator Auditores, ut præsentem occasionem defuncto succurrendi tantò promptius arripiant, quantò magis ille propter varios titulos (quos commemorare potest & laudare.) Sed præcipuè propter virtutem suam, tale Charitatis officium est promeritus.

XIII. Ex occasione Thematis: *Date & dabitur: mensuram bonam, confertam, coagitatam, & super effluentẽ dabunt in sinum vestrum.* Luc. 6. Dici potest, multa quidem esse media, quibus infinita DEI in homines liberalitas provocari possit;

possit; Sed nullum perinde ad hunc finem utile, efficáque esse ac misericordiam. Cùm enim DEUS ex una parte strenuator honoris sui, propriúmque illi sit misereri, & parcere, nunquàm patietur, ut ab homine in liberalitate vincatur, sed potiùs, ut divitiarum suarum & liberalitatis infinitam abundantiam ostendat, centuplum pro simplici beneficio compensat. Hinc nil adeò S. Scriptura, quàm misericordiam commendat. Hinc Mich. c. 6. dicitur: *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum* (præ reliquis intellige) *& quid Dominus* (specialiter) *requirat à te, utique facere iudicium & misericordiam.* Hinc Christus misericordiam Patris cælestis duntaxat, & nullam aliam virtutem specialem imitandam proponit, dicens Luc. 6. *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Quòd si autem hæc de quavis misericordia recte dicuntur, principaliter tamen locum habent in misericordia defunctis præstita, uti ex tribus conditionibus intelligitur, ex quibus plerumque magnitudo & præstantia misericordiæ æstimatur; nimirum primò ex *qualitate personæ, cui datur*: quò enim hæc miserior est & dignior, & quò minùs se juvare potest, tantò major est Elemosyna; atqui constat, nullam miseriam cum tormentis purgantium animarum comparari posse. Constat item nullum eis competere remedium ad se liberandas: Constat, esse justissimas, Deóque gratissimas, atque ita dignas tali favore. 2. *Ex qualitate Eleemosynæ, seu rei, quæ datur*; quò enim hæc abundantior est, & ad miseriam tollendam aptior, tantò præstantior est misericordia; atqui auxilium defunctis præstitum amplissimum est, utpote quòd omnia misericordiæ corporalis opera eminentiori longè modo comprehendit, qui enim v.g. Sacrificium missæ vel Communionem pro iis offert, pascit eas SS. Christi corpore, potat S. Sanguine, & nectare cælesti; facit cooperiri nuptiali veste Gloriæ; non tantùm visitat ægrotos seu afflictos, sed etiam efficaciter à malis liberat: redimit Captivas ex severissimo carcere: facit Peregrinos recipi in cælestem patriam: Et effectum, qui per Sepulturam potissimum intenditur, scilicet auxilium Spirituale abundanter communicat. 3. *Ex qualitate affectus*, cum quo datur; Quis autem major affectus esse potest, quàm illius, qui se ipsum fructu satisfactionis ad propria debita solvenda necessariò spoliat, ut eum

animabus transscribat non sine periculo, easdem pœnas ex defectu solutionis incurrendi? An non hîc verè dicitur, maiorem charitatem neminem habere, quàm qui dat animam pro amico suo? facilis indè erit digressio ad opem pro defuncto petendam.

XIV. Ex occasione Thematis. *Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quàm contra nos.* 4. Reg. cap. 6. Dici potest solere Reges & Principes semper secum corporis Custodes (Leibquarde) habere; idem autem cuivis hominî tantò magis procurandum esse, quantè pluribus ab hostibus non temporalem duntaxat, sed æternam mortem inferre molientibus oppugnatur; nullos autem meliores Custodes esse, quàm animas, quia hæ præ aliis volunt & possunt juvare: volunt, quia beneficij accepti magnitudo eas urget. Possunt, quia commitante misericordia quodvis auxilium à DEO facilè impetrant. Hinc Eccl. 20. c. *Conclude Elemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit, ab omni malo.* Si ergò Ludovicus Rex Galliæ propria manu Elemosynam pauperibus distribuit, dicens: hos esse optimos Custodes corporis, & Regni sui; Quid ni idem potiori jure erga animas defunctorum fiat? Afferatur subinde unum vel alterum exemplum, quo ostendatur, quàm fideliter succurrant, & ab hostibus defendant, v. g. Eusebij Ducis Siciliæ, quem contra oborgium 40000. redemptæ animæ in specie candidi Exercitus defenderunt; aut Militis, quem in Cæmeterio pro ipsis orare solitum, mortui è sepulchris prodeuntes contra inimicos sunt tutati, uti in Spec. Exempl. videre est. Applicatio, erit facilis ad defunctum. Præcipuè si ostendatur, ipsum in vita adhuc valdè sollicitè quævis mala à suis Domesticis aliisque addictis propulsâsse.

XV. Ex occasione Thematis. *Date nobis de oleo vestro Matth.* 25. Dici potest animas defunctas aliqua ex parte posse comparari Virginibus fatuis, quæ non de sufficienti oleo sibi providerant; hinc exclusas ad tempus à cælestibus nuptiis non sine maximo suo dolore: Quia tamen paratus est adhuc sponsus eas admittere, ubi lampades sufficienter instructas habuerint, ideò ad nos eas modò clamare: *Date nobis de oleo vestro.* Quandoquidem ergo nil nobis decederit, si oleum misericordiæ porrigamus; sed illæ certò gratiam & occa-

occasionem comparandi novi olei nobis impetraturæ sunt, liberales esse nos oportet in oleo hoc offerendo; ad quod faciendum exhortandi erunt Auditores illam Tobiæ c. 4. sententiam usurpando: *Quantum potueris, esto misericors; Eleemosyna enim à morte, & ab omni peccato liberat; & non patitur ire animam in tenebras.*

XVI. Ex occasione Thematis: *Est autem Ierosolymis probatica piscina* Jo. 5. ostendatur talem piscinam esse purgatorium, in qua jaceat multitudo magna languentium, aridorum, claudorum, cæcorum exspectantium aquæ motum, id est, lachrymarum, quas viventes pro mortuis effundunt, effectum, sed hominem prò dolor, illas non habere, qui eas in has aquas demittat. Excitandi proin AA. ut ipsi Angeli vicefungantur & has aquas in corde suo moveant, simulque etiam defunctum in has aquas demittant, ut suo tempore, & ipsi similem vicissitudinem exspectare possint.

XVII. Ex occasione Thematis. *Collocavit DEVS ante Paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Gen. 3. Dici potest per hunc gladium flammeum, ut S. Bruno in Ps. 118. interpretatur, meritò intelligi purgatorium, utpote per quod perindè arceantur Animæ à Paradiso cælesti, ac per flammeum illum gladium; versatilem verò dici, quia cùm celeritate per eum fideles transibunt, & mediantibus viventium suffragiis citò liberabuntur. Exhortandi proindè Auditores, ut dicant cum Davide 2. Reg. c. 24. *vertatur obsecro manus tua contra me*, offerántque holocausta & pacifica, ut propinetur DEUS, & plaga à defuncto avertatur.

XVIII. Ex occasione Thematis: *Petrus versabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad DEVM pro eo.* Act. cap. 12. n. 5. dici potest idem contingere animabus purgantibus, ut quæ & ipsæ jussu supremi Regis includantur in carcere, & dentur quatuor quaternionibus militum id est, Diabolis custodiendi, & per portam ferream, id est, gravissimas pœnas & Justitiam divinam cohibeantur, quò minùs liberè in cælum evolare possint! Quia tamen ab Ecclesia pro illis sine intermissione oratur, ideò mitti à DEO Angelum, qui dicat: *Surge velociter, circumda tibi vestimentum tuum*, id est, Gloriæ divinæ, ducátque illas ad conspectum

dam DEI per portam ferream ultrò apertam. Itaque cùm timeri possit, ne etiam defunctus in istum carcerem conjectus sit. Excitandi Auditores, ut sine intermissione pro illo orent, ut sic & ipse per Angelum è carcere educatur.

XIX. Ex occasione Thematis. *Fer prandium quod habes in Babilonem Danieli, qui est in lacu leonum.* Daniel. 14. Dici potest purgatorium vetè dici posse locum leonum, eò quòd animæ ibi sedeant inter cruciatus, & gravissima fame, seu desiderio Beatitudinis vexentur, ac proinde Angelos suos Custodes apprehendere nos in vertice, excitando nos ad misericordiam & suadendo, ut bona opera, quæ pro nobis ipsis paraveramus, ipsis transcribamus & portemus. Quàm prodè celeriter ac prompta mente descendere ad ipsas cum Angelis debeamus, & dicere: *Serve DEI, tolle prandium* (vel auxilium) *quod tibi misit DEVS.* Et respondebunt illæ haud dubio: *Recordatus es mei DEVS, & non dereliquisti diligentes te.* Applicatio ad defunctum non erit difficilis.

XX. Ex occasione Thematis. *Tunc Nabuchodonosor repletus est furore & præcepit, ut succenderetur ignis septuplum, quàm succendi consueverat* Dan. 7. Dici potest, Regis nomine meritò DEUM iratum intelligi; Fornacis autem nomine Purgatorium, quod, ut S. Bonav. Ser. 3. de mortuis ait, septuplum, id est, universaliter acriùs urit, quàm aliquis ignis, vel aliqua pæna præsentis vitæ; Per tres pueros autem DEVM benedicentes rectè intelligi animas, ut quæ nil aliud in fornace illa faciunt, nisi DEUM benedicere; Quare nil aliud superesse! quàm ut nunc aliquis veniat similis Filio DEI (id est misericors, sicut Pater in cælis) & suo auxilio excutiat flammam ignis de fornace, & faciat medium fornacis, quasi ventum roris flantem; Ad quod proinde officium assumendum erunt Auditores Excitandi.

FONS IV.

Ex Mediis.

EX hoc fonte plurimi etiam conceptus desumi possunt, tot scilicet, quot media suppetunt ad animas liberandas, eáque vel ideò etiam aptior ad Exhortationes habendas, quia medium per aptam aliquam similitudinem proponi & deduci

potest.

potest. Modò in his & aliis similibus exhortationibus semper studeat Exhortator, ut aliquid ad laudem defuncti pertinens inferatur, quo ostendatur, dignus esse, ut per tale medium ei succurratur.

Itaque I. Ex occasione Thematis. *Quandocunque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & levius habebat.* Reg. 16. Dici potest per Spiritum domini malum intelligi Diabolum, animas in purgatorio cruciantem; per David ipsum Christum; hic enim est coram DEO pulcher aspectu, decoráque facie, & nimis dilectus; per cytharam autem Eucharistiam, quia hæc per Anagramma idem significat, ac cithara JESU. Per Servos denique Saulis, qui addixerunt & constituerunt David significari pios Christianos, qui vel Communionem vel Sacrificium missæ offerunt pro defunctis: unde ostendendum erit, quàm prosit hoc medium liberandis animabus purgantibus; atque ad illud adhibendum Auditores Excitandi. vid. **die heilsame Kurtzweil** fol. 39.

II. Ex occasione Thematis. *Sume citharam, circui civitatem.* Is. 23. Narrari potest fabula de Orpheo, Eurydicem uxorem suam ab inferis per citharam suam reducente. Aut de Ansberta maritum suum per citharam ex Turcæ manibus eripiente. Ut P. Jacobus Biderman in suis acroamatis narrat; & per citharam Eucharistia intelligi, tum propter supra dictum anagramma; tum quia loco corporis citharæ quantitas Eucharistica sine substantia existens; loco fidium verò majorum attributa divina, (puta omnipotentia, Sapientia, bonitas, immensitas, immortalitas) minorum verò virtutes in eâdem Eucharistia elucentes (puta humilitas, Charitas, obedientia zelus gloriæ DEI, Patientia) intelligi possunt; Vel si placet, etiam oratio citharæ comparari potest, juxta illud Ps. 42. *Confitebor tibi in cythara DEVS, quare tristis es anima mea* (defuncti scilicet) *& quare conturbas me* (lachrymis & clamoribus tuis.) *Spera in DEO quoniam adhuc confitebor tibi*, (orans pro te) *salutare vultus mei & DEVS meus.* Excitandi proindè Auditores, ut sumant citharam, & sonare incipiant, nec dubitent, quin animam à se petitam efficacius multò, quàm Orpheus Eurydicem sint liberaturi.

III. Ex

III. Ex occasione Thematis. *Panem & vinum super sepulturam Iusti constitue.* Tob. 4. Dici potest, esse laudabilem consuetudinem in aliquibus locis, ut super sepulchro defuncti per aliquot dies cibus & potus constituatur, & postea pauperibus dividatur. Hunc morem autem tantò constantius ergà defunctos observandum, quantò melior occasio offertur, præstantissimum panem corporis, & vinum sanguinis Christi offerendi, quantóque avidiùs illum animæ desiderent, utpote præ aliis mediis utilem ad liberationem citius procurandam. Hinc cùm quidam alicui aliquot Sacrificia post mortem persolvenda promisisset, & legere neglexisset, mortuus apparens graviter de fide non servata questus est; Cùmque alter diceret, se multa alia opera pro eo obtulisse, clamavit defunctus: Sanguinem, sanguinem exposco. Certè S. Joannes de Alvernia post factam in sacro consecrationem vidit animas velut flammas ex igne copiosè sursum evolantes uti Dauroltius in catech. histor. c. 8. rit. 21. ex 6. Rectè ergò quidam animas sic loquentes introduxit.

Wir leyden grosse Hungers-Noth /
Ach Speist uns mit der Engel-Brod!
Sehr durstig macht uns diese Gluth/
Ach trâncket uns mit Christi Bluth!

Ostendatur subindè, quanto desiderio & devotione defunctus frequenter hunc panem & vinum in vita sumpserit, quantóque adeò vehementius desiderium eorum nunc sit habituras.

IV. Ex occasione Thematis. *Venite post me, faciam vos piscatores hominum.* Matth. 4. Dici potest, esse quidem commune proverbium. Per pisces & aves multi periêre Scholares:

Durch Fischen/und durch Vogel fangen/
Ist mancher Student zu grund gangen.

Verùm artem piscandi animas defunctorum esse non modò non noxiam, sed summè salutarem ad salutem obtinendam. Itaque ostendatur, primò, quæ instrumenta ad hanc piscationem sint necessaria, scilicet intentio velut virga, per quam esca porrigatur: funiculus triplex Charitatis erga DEUM, proximum & seipsum qui proindè difficulter rumpitur. Ha-

mus duplex justitiæ & misericordiæ divinæ: Esca varia bonorum operum orationis, Eleemosynæ & jejunij. 2. Quòd per hanc piscationem tales pisces attrahantur, qui in ore habeant staterem, quo totum debitum suum homo possit persolvere, atque adeò se & animas à purgatorij pœnis liberare. Itaque excitandi Auditores, ut sibi illud Christi imperium Matth. 16. applicent: *vade ad mare* (Purgatorij) *& mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius invenies staterem* (charitatis divinæ) *& illum sumens da eis pro me & te.* Proderit hunc in finem narratio Historiolæ de puero super sepulchrum matris orante, qui visus est aureo hamo, & funiculo argenteo pulcherrimam animam extrahere, uti in Spec. Ex. d. g. ex 143. refertur. vid. **in der heyssamen Kurtzweil** à fol. 9. usque ad 26.

V. Ex occasione Thematis. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* 2. Matt. 12. Dici potest aliquos solere ad pisces capiendos appendere pro esca pilulas, ex variis aromatibus confectas, utpotè, quas mira aviditate à piscibus devorari simúlque hamum attrahi experientia doceat; simile medium autem pro animabus piscandis adhibendum, scilicet Globulos rosarij seu orationem Dominicam, & salutationem angelicam; has enim pilulas, utpote ex præstantissimarum virtutum, encomiorum & petitionum aromatibus compositas ab ipso Christo & Ecclesiæ miram vim habere, ad animas defunctorum ex purgatorio extrahendas. Hinc non semel easdem ipsæmet animæ expetierunt, certè Conradus de ospida, cùm pro anima auxilium ab eo poscente orationem Dominicam recitâsset, audivit rogantem, ne desisteret ab hac oratione, neque enim explicari posse, quantùm inde solatium conciperet; paulò post vero glorioſa apparens summas pro collato orationis beneficio gratias egit. Hinc meritò quidam sepulchris suorum amicorum hos versiculos inscribi curaverunt.

Hie lig ich/und schrey über sich/
Geh nicht fürüber/beth für mich.

Ostendatur subindè (si cum veritate dici queat) quantoperè etiam defunctus semper orationis fuerit studiosus, quàm diligenter & constanter pro defunctis oraverit, quámque adeò mereatur, ut similem misericordiam ipse quoque experiatur.

ur. Introduci proinde potest ad suos amicos sequentia suspiria emittens.

Seht/wie es mir so übel geht/
Ach helfft mir doch durch viel Gebeth:
Vide in der heylsamen Kurtzweil fol. 27.

VI. Ex occasione Thematis. *Ego Daniel lugebam trium hebdomarum diebus, & posui faciem meam ad dominum DEUM meum, rogare & deprecari in ieiuniis sacco & cinere.* Dan. 10. Dici potest videri Danielem suo Exemplo confirmare, jam olim viguisse salutarem consuetudinem, trigesimum pro defunctis celebrandi, & in frequentibus assiduisque precibus insumendi; *Multùm enim valet deprecatio iusti assidua.* Jac. 5. Sed & ipse DEUS hunc morem approbâsse & commendâsse videtur, dum Danieli dicto modo oranti dixit: *Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu DEI tui, exaudita sunt verba tua.* Itaque Excitandi Auditores ad tam salubrem consuetudinem retinendam, & orationem per 30. dies continuandam, memores, quantam sollicitudinem & charitatem defunctus non solùm per 30. dies, sed fortè etiam annos pro eorum commodis promovendis impenderit.

VII. Ex occasione Thematis. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo* Eccl. 20. Dici potest inter alia media ad pisces capiendos etiam sanguisugas adhiberi; Eas verò in spirituali piscatione animarum præ reliquis mediis salutares esse; intelligi autem per illas Eleemosynam, utpotè per quam nimiæ divitiæ, sicuti per sanguisugas nimius sanguis extrahitur; De cujus proin efficacia afferri in primis potest testimonium Eccl. cap. 3. dicentis: *ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemosyna resistit peccatis, & DEUS prospector est eius, qui reddet gratiam.* Deinde S. Chrysost. S. 9. super Matth. memorabilis hæc sententia; *Eleemosyna amica DEI consistit & semper ei propinqua est, pro quibuscunque maluerit, facilè munus gratiæ impetrat, vincula peccatorum ipsa dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem. Huic cum multa fiducia porta cæli aperiuntur, & veluti Regina intrante nullus Custodum qui assistunt, audet dicere: Qua es tu? vel unde? Sed omnes eam è Regione suspiciunt.* Ad hanc

proindè Eleemosynam Excitandi Auditores illis S. Tobiæ cap. 4. verbis. *Quantùm potueris, esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Coronat* DEVS *voluntatem*, inquit S. Augustinus in Ps. 103. *ubi non invenit facultatem: nemo dicat: Non habeo, Charitas de Sæculo non erogatur.* Claudatur postea Exhortatio ostendendo, quòd impleta suo tempore sit altera pars, sententiæ citatæ: Et hæc probè exorabit ab omni malo, nempè peccati, infirmitatis, infortunij, malæ mortis, purgatorij. vide in der Heylsamen Kurtzmol fol. 52. ubi in fine junguntur duo versus, qui pro Epilogo adhiberi possunt: Nempè.

Secht/wie die Flammen schlagen auß;
Ach durch Allmosen helfft uns drauß!

VIII. Ex occasione Thematis. *Tollens autem Respha filia Aia cilicium, substravit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo, & non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem* 2. Reg. 21. ostendi potest, quomodo ultimum charitatis officium defuncto præstare debeat; quid enim per suspensos filios Saulis aliud intelligitur, inquit Thomas Cantipratanus lib. 2. Apum. Nisi animæ in purgatorio excruciatæ. Has Respha, id est, fidelis amicus juvare debet vigiliis, vel labore initio messis, hoc est defectûs vitæ in morientibus, secundùm quòd Eccl. cap. 22. dicitur: *super mortuum plora; defecit enim lux eius.* Has ab avibus & bestiis, hoc est, Tortoribus Dæmonibus lacerari non sinas exorando suppliciter DEUM, nec à labore cesses donec stillet aqua de cælo super infectos & pietate divina eas confidas liberatas; Ita ille. Unde applicatio facilis ad defunctum, tantóque magis impelli possunt, ad hoc obsequium Auditores, quantò magis eidem quocunque titulo conjuncti extiterunt.

IX. Ex occasione Thematis: *Scitote, quoniam exaudivit Dominus preces vestras si manentes permanseritis in ieiuniis & orationibus in conspectu Domini* Judit. 4. Dici potest, videri animas purgantes similes illi Lunatico, de quo Matth. c. 17. ait, quòd Pater eum Christo offerens dixerit; *Domine miserere Filio meo, quia Lunaticus est, & malè patitur, nam sæpè cadit in ignem & crebrò cadit in aquam. Et obtuli eum Discipulis tuis,*

tui, & non potuerunt eum curare; Nam & hæ animæ utique graviter cruciantur, & in ignem vehementissimum, & aquam profundissimam tribulationum ceciderunt. Unde clamant cum S. Davide Ps. 68. *Salvum me fac DEVS, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam: veni in altitudinem maru, & tempestas demersit me: laboravi clamans: raucæ factæ sunt fauces meæ.* Etsi verò etiam multis interdum offerantur liberandæ per orationes; non possunt tamen eas liberare, quia hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione, & jejunio, præcipuè generali sive abstinentia à peccatis Hinc de Filio quodam in Spec. Exempl. V. Defuncti legitur, qui triginta annis pro Patre defuncto constanter oraverat, nec tamen eum liberare poterat, quia semper in peccato mortali preces offerebat. Ergò curandum, ut DEUS dicere possit, quod Danieli cap. 10. dixerat, olim: *Ex quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu DEI tui, exaudita sunt verba tua.* Ostendendus proindè modus afflictionis variæ, spiritualis scilicet, per abstinentiam à peccato, & vindictâ inimicorum; compressionem inordinatorum desideriorum; & corporalis per abstinentiam, & patientiam in sufferendis miseriis corporalibus.

X. Ex occasione Thematis. *Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 2. Dici potest, etsi hæc verba Communiter ad Christum & Ecclesiam applicentur; meritò tamen posse etiam animabus purgantibus applicari, ita ut illæ quoque fateantur, se non modicum levamen æstus nimij ab auxiliatoribus sentire, fructúmque eorum, quem de operibus suis, illis applicant, dulcem gutturi suo esse. Hinc ostendendum, quomodo quis fructum operum suorum pro animabus applicare possit, quantáque dulcedo seu solatium ex iis in animas redundatura sit. Vide die heylsame Kurtzweil fol. 47. ubi reperies sequentes versus ad eundem finem factos.

Nach Gottes Angesicht seufftzen wir/
Ach durch gut Werck macht auff die Thür!

XI. Ex occasione Thematis. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. 6. Dici potest, per Mammonam iniqui-

tatis rectè intelligi posse Indulgentias, quæ animabus applicari possunt hæ enim vera Mammona iniquitatis dici queant quatenus sunt divitiæ ad debita, per iniquitates contracta dissolvenda ordinatæ. Ostendatur proindè, quàm efficax medium ad animas citò liberandas sint Indulgentiæ, præcipuè plenariæ. Demonstretur dein, quàm frequentes occasiones habeant Auditores ad ejusmodi Indulgentias defuncto applicandas; Præsertim si sunt Congregationi Rosarij inscripti, quámque adeò multos amicos sibi facere possint per ejusmodi Indulgentiarum applicationem. Vide hegissamen Kurtzweil fol. 85.

XII. Ex occasione Thematis: *Pater Abraham, miserere mei, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16. ostendi potest. 1. quàm gravis & vehemens sit ignis purgatorij, ita ut secundùm Cæsarium Arelatensem hom. 7. durior sit, quàm quod potest pœnarum in hoc sæculo aut videri, aut cogitari, aut sentiri: Secundum S. Hieronymum & aliorum sententiam sola diuturnitate ab infernali igne differat. 2. Ostendatur quibus mediis extingui possit hic ignis, scilicet iisdem, quibus ignis materialis extingui solet, nempè aquis lachrymarum piarum & utilium, sanguine Christi copiosè affuso, lacte, id est, B. Virginis patrocinio ipsis animabus impetrato, aut Reliquias Sacras, id est, pia Deóque grata opera in flammas proijciendo. Imitentur proin Auditores ad aliquod ex his mediis applicandum.

XIII. Ex occasione Thematis. *Quis erit ex vobis Homo, qui habet ovem, &, si ceciderit hæc sabbathis in foveam, nónne tenebit & levabit eam?* Matth. 12. Dici potest, quàm horrenda sit fovea, in quam inciderunt animæ purgantes; ita ut meritò clament: *Foderunt foveam animæ meæ*; & ex illa opem nostram invocent, sicut olim Joseph in cisterna constitutus. Cavendum itaque, ne, si petitam opem non feramus & nos in eandem conjecti dicere cogamur cum Fratribus Joseph. Gen. 42. *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in Fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus. Idcircò venit super nos ista tribulatio.* Itaque ostendendum erit, quomodo animas ex hac fovea educere possimus, scilicet porrigendo scalam SS. Sacrificij, per quam DEUS descendit ad nos, & nos ad illum. 2 Funiculum

Rosa-

Rosarij aut aliarum similium precum porrigendo. 3. Porrigendo manum per largitionem Eleemosynæ. 4. Proijciendo arbores aut alias similes materias, uti fossæ impleri & per eas aditus ad muros fieri solet. Quo modo etiam Elephanti socios in foveam lapsos liberare dicuntur. Possunt autem per has arbores intelligi bona opera. Mortificationis, obedientiæ, charitatis aut aliarum virtutum, vide Fab. tr. de fest. in commem. Anim. eo. 6.

FONS V.

Ex Impedimentis.

EX hac fonte etsi parcius sumenda sit materia pro Exhortationibus, utpotè non adeò copiosa, tamen negligi non debet, cùm multum prosit ad falsas opiniones de animarum statu eximendas.

Itaque I. Ex occasione Thematis: *Ipse Sathanas transfigurat se in Angelum lucis.* 2. Cor. 11. ostendi potest, quantopere Dæmon conetur impedire liberationem animarum, eúmque in finem recitari pulchra Historia de S. Theobaldo Episcopo, qui 30. Missas ab anima petitas pro sui liberatione, nunc per fictitium incendium; nunc per discordiam inter cives confictam; & tandem per ludicram civitatis oppugnationem à Sacrificio offerendo impedire conatus est, uti in Spec. Exemp. d. 8. Ex. 64. videre est. Exponenda ergò similia impedimenta, scilicet Amor proprij commodi, amor amicorum; & amor peccatorum in periculo suæ salutis existentium, quæ proindè omnia impedimenta ut Auditores fortiter reijciant; animandi erunt. Vide die heylsame Kurtzweil.

II. Ex occasione Thematis. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, Animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16. Dici potest, hunc esse potissimum astum, quo Dæmon multos illaqueare, & ab auxilio animabus ferendo impedire conatur. Quòd scilicet Charitas à se ipso incipiat: quòd nemo bonus sit, qui sibi nequam est. Unde ostendendum primò, quòd non agant contra charitatem, quia juvando animas, certiùs, abundan-

tiùs, & citiùs salutem consequuntur, quàm si omnes vires ad seipsos juvandos converterent, uti fusissimè & solidissimè P. Jacobus Monfort in tract. de miser. animabus præstanda ostendit.

Probetur 2. Quòd potiùs agat contra charitatem ordinatam erga se, qui non impedit operum suorum fructum ad animas juvandas, eò quòd se inexplicabili illâ majore gloria per totam æternitatem fruenda privet. vide heilsame Kurtzweil. fol. 259.

III. Ex occasione thematis: *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Ps. 144. Dici potest, etiam ex hoc capite multos non parùm ab auxilio defunctis ferendo impediri, quòd, sicut Reges & Principes hujus mundi non libenter habent, ut quis per intercessiones suas viam Justitiæ suæ impediat, ita & DEUS tantò ægrius sit laturus, si quis Justitiæ suæ cursum impedire conetur, quanto justiùs & sapientiùs ipse eam pœnam decrevit. Itaque solidè refutetur hæc objectio, ostendatúrque, DEUM non Judicem duntaxat, sed etiam Patrem esse tenerrimè amantem, suos filios; non justum duntaxat sed etiam misericordem infinitè atque adeò vel maximè desiderare, ut per opera nostra & auxilia justitiæ ipsius satisfiat, vel per intercessiones variis in ejus placetur. Serviet hunc in finem Exemplum Saulis 1. Reg. 14. Jonatham Filium suum quidem ad mortem damnati, sed tamen per populi preces ab eadem liberati. vide heilsame Kurtzweil. fol. 249.

IV. Ex occasione thematis: *Iram Domini portabo, quia peccavi ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum; seducet me in lucem, videbo iustitiam eius.* Mich. 7. Dicendum, quòd ipsæ animæ non desiderent liberari, sed justitiæ divinæ satisfacere. Hinc S. Gertrudis quondam vidit, virginem quandam defunctam sponsi amplexum oblatum refugientem. Eò quòd nondum satis purgata esset. Sed refutari potest hæc objectio, quòd ex altera parte animæ etiam videant, DEUM esse summè laudabilem & amabilem, atque adeò perfectissimè laudare & amare, desiderent, id quod in purgatorio nondum præstare possunt. Præterea sciunt Justitiæ divinæ etiam per aliena opera satisfieri posse. Et fortè perfectiùs, quia per auxilium animabus præstitum, Charitas in-

figuis

signis exercetur, atque adeò DEUS copiosè laudatur, & honoratur. vide libellum cit. fol. 251.

V. Ex occasione thematis: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Psal. 118. Dici potest, per hanc defectionem meritò posse intelligi decretum illud, quo aliqui statuunt relicto animarum purgantium auxilio, omnes vires suas ad conversionem peccatorum convertere, eòquòd illæ salutis suæ securæ; Peccatores autem in manifesto æternæ damnationis periculo versentur. Itaque hæc objectio, sicut una est ex potissimis auxilium animarum impedientibus, ita etiam solidè refutanda est. 1. quidem Exemplo Bertrandi Dominicani pertinaciter contendentis pro Peccatoribus magis, quàm animabus purgantibus supplicandum esse, cui anima apparens suas pœnas & commilitonum explicavit, faciléque persuasit, ut deinceps à peccatoribus auxilium ad animas juvandas converterit. Deinde ostendatur, posse eâ intentione animabus opera applicari, ut ipsæ pro Peccatoribus orent, quod multò efficacius propter perfectionem precum suarum præstabunt, quàm ipsi viventes. Addi potest, quòd peccatores media sufficientia habeant ad se juvandos, non item animæ. Item quòd adhuc fructum impetratorium de bonis suis operibus ipsis queant applicare. vide l. c. fol. 255.

VI. Ex occasione thematis: *Modicum plora super mortuum, quoniam requievit.* Eccl. 2. ostendatur, non modicam esse fallaciam Dæmonis, quòd ad inutilia Charitatis officia defunctis præstanda impellat, ut ab utilibus impediat. Inter quæ inutilia media meritò numerantur immodicæ lachrymæ, quibus proprio potiùs amori & commodo servitur, quàm defuncto levamen præstatur: Itaque ostendatur, modicè plorandum. 1. Quia defunctus requievit à malis liberatus juxta illud Joan. 2. *Lazarus Amicus noster dormit.* 2. Quia DEUS illum dedit, iterúmque abstulit. Job. 1. Sed si nec capillus de capite peribit sine voluntate patris, quantò minùs integer Homo? 3. Quia parùm juvant, sed potiùs impediunt, quem in finem narrari potest Exemplum Davidis. 2. Reg. 12. post mortem filij à luctu cessantis & dicentis: *Nunquid potero reducere eum?* Item Viduæ, quæ immodicè plorans vidit Filium tardiùs quàm alios Juvenes ad cælũ properare

rare rogánsque causam audivit, pallium suum immodicis lachrymis matris, prægravari.

7. Ex occasione thematis: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregus sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Gen. 4. Dici potest simile quid contingere offerentibus opera sua pro animabus purgatorii, nempe delicet multorum opera parùm grata esse DEO, & efficacia ad animas juvandas, eò quòd non nisi vilissima, id est, vel omnino in peccato mortali, vel certè tepidè & negligenter peracta offerant. Excitandi proin Auditores, ut potiùs Abelem imitentur adipem, per quam pura intentio & charitas designatur, de suis operibus offerentes, eúmque in finem sibi similiter persuadeant, se quod uni ex minimis præstant, ipsi Christo præstare; Quis autem Christo optima quæque offerre non studeat.

VIII. Ex occasione thematis: *Populus hic labiis me honor, Cor autem eorum longè est à me.* Math. 15. Dici potest, hoc plerumque post mortem verificari, quando scilicet plerique amici honorem quidem multum & magnum in funere deportando exhibent; Corde autem modicam dilectionem ostendunt, dum vix quidquam agunt solidè, quod animæ defuncti conducere ad levamen potest; ostendatur ergo & exaggeretur hic error per Exemplum illius, qui Dominum suum in captivitate & miseriis relinqueret, & totam curam ad ipsum servum aut equum honorandum converteret; idem enim faciunt, qui totam curam suam in cadaver magnificè pelliendum convertunt; nullam aut exiguam animæ curam gerunt. Porrò deberent Auditores illa verba S. Joan. 13. velut ab ipso defuncto sibi dicta frequenter imaginari: *Filioli mei, non diligamus verbo aut lingua, sed opere & veritate.* Nam, ut rectè S. Augustinus, *Pompa funebris, sumptuosa sepultura, & multitudo comitantium, vivorum sunt solatia, non adiutoria mortuorum.*

IX. Ex occasione thematis: *Dicit piger, Leo est in via & leæna in itineribus.* Prov. 16. Dici potest, multos sibi nescio, quomodo difficilem imaginari animæ Redemptionem eò quòd audiant severissimè omnia ad judicium revocari, & non dimitti animas, donec solvant novissimum quadrantem. Itaque refutandus hic error, partim per misericordiam Dei infinitæ

infinitam ; partim per valorem & dignitatem operum ex charitate factorum ; partim per multitudinem eorum, qui concurrunt ad animas liberandas ; Impossibile enim est multorum preces non exaudiri ; partim quia DEVS coronat voluntatem ubi non invenit facultatem.

X. Ex occasione thematis : *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Jo. 20. Dici potest verendum esse, ne multi quoque sint hodie, qui audientes gravitatem & varietatem tormentorum Purgatorij explicari, audeant cum D. Thoma dicere. *Nisi videro, non credam.* Quid mirum autem, si tales postea frigidi & languidi maneant in auxilio defunctis præstando. Itaque refutandi hi partim per consensum unanimem Doctorũ ; partim per rationes naturales v. g. Gravitatem peccati venialis, aliásque similes circumstantias, de quibus videri potest Jacobus Monfordus in tr. de miser. anim. præstanda copiosè & doctè differens.

XI. Ex occasione thematis : *Vt quid perditio hæc ? Potuerat enim unguentum istud venundari multò, & dari pauperibus.* Math. 26. Dici potest, non immeritò timendum esse, ne hodie quoque sint multi futuri, qui videntes tam multa opera pro animabus purgatorij offerri, dicant, ut quid perditio hæc ? An non enim defunctus confessus est, & communicavit ? an non bene vixit ? an non SS. Nomina JESUS & MARIA ante obitum pronuntiavit, & sic Indulgentias plenarias lucratus est ? an non ergo meritò supponi potest, eum rectà ad cœlos abijsse ? Ut quid ergo perditio hæc operum nostrorum ? Ad hanc itaque objectionem refutandam ostendatur ; alia esse judicia DEI, quàm hominum ; afferantur varia Exempla eorum, qui ob leviss imas causas diu in purgatorio sunt cruciati. Probetur uno alteróve Exemplo præcipuè Franciscani, cui Sacrificia pro ipso oblata nil profuerunt, quia se negligentem præbuerat in simili obsequio & debito, dum viveret, præstando, non semper obtineri Indulgentias, vel alia media applicari ; significetur denique, etsi mortuus non indigeret, tamen perinde gratum fore hoc officium charitatis à viventibus præstitum, atque si effectum habuisset.

XII. Ex occasione thematis : *Est autem amicus & socius mensæ, non permanebit in die necessitatis.* Luc. 6. Dici potest hanc sententiam, si unquam tempore mortis impleri, utpote

in quo

in quo plerique ſicut mortuum ex oculis, ita & ex animo dimittunt; Ita ut is verè clamare poſſit cum Davide Pſ. 30. *Oblivioni ſum datus tanquam mortuus à corde.* unde Meſſret. ſ. 2. de anim. dicit talibus defunctis contingere id, quod ovis Struthionis contingere ſolet; ſicut enim Struthio foveam in arena facit, in eáque ova ponens fabulo operit, eúmque ab ijs receſſerit, ſtatim obliviſcitur, & nunquam ad ea redit, donec per calorem arenæ ardore ſolis calefactæ pulli excludantur; Tunc enim primùm eos recolligere & nutrire incipit; Sic amici ponentes defunctum in ſepulchrum, ſtatim eum poſt exequias deſerunt, & non recordantur, niſi fortè poſt longum tempus, quando jam ardore ſolis juſtitiæ excoctus eſt, & purgatorio exijt. Nimirum rectè Poëta dixit. Donec eris felix (in vita) multos numerabis amicos: Tempora ſi fuerint nubila (poſt mortem) ſolus eris: Itaque excitandi Auditores, ut non ſint ſocij menſæ duntaxat, ſed etiam in die neceſſitatis permaneant, & amicitiam ſuam affectu & effectu tantò conſtantius oſtendant, quantò accuratius Defunctus leges amicitiæ erga illos obſervavit.

FONS VI.

Ex Epitaphiis.

Ex hoc fonte duplicis Generis conceptus deſumi poſſunt, ſcilicet communes pluribus, & proprii privatis Perſonis; utrique in hoc convenerunt, quòd Exhortator pro Exordio dicat, ſe pro more recepto Epitaphium Defuncto compoſuiſſe. Idque pro ſolatio & ædificatione publicè nunc propoſiturum, explicaturúmque.

Itaque I. Ex occaſione thematis: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare.* 2. Mach. 12. Dicere poteſt Exhortator ſe præſenti Defuncto breve quidem Epitaphium compoſuiſſe, ſed quod multam in ſe materiam conſideratione dignam contineat, eſſe autem hujuſmodi.

Hîc requieſcens clamito,
Precésque ſupplex flagito.

Id eſt:

Hie lig ich / vnd ſchrey überſich /
Geh nicht fürüber / bett für mich.

In

In hoc Epitaphio quatuor consideranda offerat. 1. Particulam **Ich**/ubi faciat pulchras Antitheses. Ego priùs tam formosus, nunc adeò deformis: priùs ditissimus, nunc pauperrimus: priùs nobilis, nunc abjectus: priùs amabilis, omnibus nunc exosus: sic nempe vanitas vanitatum, & omnia vanitas, nilque sub sole permanens. 2. Particula **Lig**/ubi? non in lecto molli, ut olim, sed terrâ durissimâ; non in pretioso stragulo, sed tumba ignobili; non plumis teneris, sed vermibus & serpentibus immersus, secundùm corpus; quoad animam verò ubi jaceam, quomodo explicabo? Jaceo scilicet in mediis flammis, & tenebris inexplicabilibus tormentis, horrendo Dæmonum aspectu cruciata, omni memetipsam juvandi virtute atque potentiâ privata, omni solatio ac refrigerio carens. Hinc clamo ad vos: **Schrey überlich/** & usurpo illa verba Jobi, cap. 19. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* qui tot beneficia à me accepistis: vos, qui tam sincero à me affectu semper amati fuistis: vos, qui opem vestram in omni casu offerendam toties spopondistis: vos, qui amicitiæ jura inviolata servaturos vos toties jactâstis: vos, inquam, vos miseremini. Nunc enim tempus acceptabile, nunc dies salutis, imò necessitatis. Miseremini, quia non digitus DEI, quo minora ejus opera denotari solent; sed manus Domini, quo grandia illius opera significantur, tetigit me, itáque tetigit, ut verè de meis doloribus & tormentis illud S. Bernardi ex parte usurpare possim. Nec lingua valet dicere, nec littera exprimere, expertus potest dicere, Quid sit hîc pœnas luere.

4. Sed fortè quæritis, Quid petam? aut quomodo misereri debeatis? ah nolite timere, non multùm petam; non peto, ut Aurum, quod vobis tam charum est, expendatis: Non peto, ut longas & molestas peregrinationes instituatis: non peto, ut graves pro me labores assumatis: Hoc unum peto: **Geh nicht fürüber/ bett für mich.** Quis tam tenue obsequium neget? Certè non immeritò animæ defunctæ olim, dum duo Religiosi in Cæmeterio deambulantes nullam orationem pro iis obtulissent, Conquestæ sunt dicentes: Hi, qui præterierunt, non dixerunt: Requiescant in pace. Cùm verò ijdem Religiosi redi issent, & dixissent: Ecce benediximus vobis: responderunt illæ: DEUS illuminavit vos; sed & S. Brigitta olim

olim vocem animarum clamantem audivit: Domine, da charitatem illis, qui poteſtatem ſpiritualem, ut magis participes fiamus orationum; da omnibus, qui nobis ſuccurrunt, centuplum in hac vita. Et ſanè non immeritò has preces deſiderant; quia ut Joan. Gerſon l. 1. de Defunctis docet, oratio pro mortuis ſemper habet ſuum effectum, quando fit pro illo, qui eſt in gratia, & eget ſatisfactione; Hæc enim ex majori fide procedit, quàm ea, quæ fit pro viventibus. Hinc etiam animæ tam copiosè rependunt gratiam per ejuſmodi preces factam, uti apparet in illo, quem toties, quoties cæmeterium tranſibat: *Pater* & *Ave* pro ipſis dicentem tam potenter ab hoſtibus eum in cæmeterio occidere volentibus defenderunt, uti in Spec. Exempl. V. Defuncti legitur. Inque quivis ſibi dictum putet, illud Prov. 6. *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis in caliginem reſpicientibus. Ne dormiant palpebræ tuæ.* Tunc implebitur illud Tobiæ 12. *Quando orabas cum lachrymis & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in tua domo, & nocte ſepeliebas eos, Ego obtuli orationem tuam Domino.*

II. Ex occaſione thematis: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Heb. 9. explicari poteſt ſequens Epitaphium:

HODIE MIHI,
CRAS TIBI.

Circa quod Epitaphium duo poſſunt inculcari; *Mortis memoria.* Hinc Salomon Eccl. 7. *Melius eſt ire in domum luctus, quàm ad domum convivii; In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum ſit* Et iterum Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima, & in æternum non peccabis.* Hinc & Noë accepta ſecum in arcam Adami oſſa poſt diluvium ſuis Filiis in orbem diſperſis pro ſalubri mortis memoria retinenda diſtribuit. vide Pistorium **Im allgemeinen Klaghauß** con. 37. & P. Drex. Prodr. c. 1. §. 40. & ſeq. 2. *Præparatio ad mortem*: quia, ut S. Aug. Ep. 80. ait, in quo quémque invenerit ſuus noviſſimus dies: In hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies: quoniam qualis in die illo quiſque moritur, talis in die illo judicabitur; oſtendatur ergo, optimam præparationem ad mortem eſſe

ctè optimam vitam. vid. Pist. l. c. con. 35. Drex. in Prodr. c. 3. §. 16. & 17. Thom. Kemp. l. 1. c. 23. §. 6.

III. Ex occasione thematis : *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Phil. 1. Explicari potest hoc breve Epitaphium :

Quo vadam, Nescio.
Abire cupio.
Valete posthumi.
Brevi sequemini.

Circa quod tria inculcanda. 1. *Incertitudo salutis*; quia *nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit.* Eccl. 9. 2. *Desiderium moriendi* propter tres præcipuè causas, quia scilicet mors est finis miseriarum, Janua vitæ, & solutio debiti universalis. vide Drex. in Prodr. c. 3. §. 12 Pistorium Im Klagseuß conc. 32. 3. *Dispositio ad mortem* juxta illud Isaiæ 38. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* vid. Pistor. l. c. conc. 35. n. 6.

IV. Ex occasione thematis : *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Math. 25. Applicari potest sequens Epitaphium :

Sta Viator.
Hæc mihi lapidea memoria posita,
Imò tibi, Qui hæc legis.
Quisquis es, vigila, dum vigilas.
Et in rem tuam maturè propera.
Horas nemo scit. Vale.

Circa quod tria inculcanda. 1. *Incertitudo mortis*, de qua recte S. Jacobus Apostolus c. 4. *Ecce nunc, qui dicitis, hodie aut crastino die ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis, quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur; pro eo ut dicatis : si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc aut illud.* vide Drex. in Prodr. c. 1. §. 19. 20. Thom. Kemp. l. 1. c. 23. §. 2. & 7. 2. *Vigilantia*, nam ut S. Greg. lib. 12. moral. ait: *Ad hoc Conditor noster latere nos voluit finem nostrum, diémque mortis esse incognitum, ut, dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur. Et tantò quis ferventior sit in operatione; quantò*

quantò & incertus est de vocatione: ut, dum incerti sumus, quando moriemur, semper ad mortem parati debeamus venire; sic enim, ut idem in homil. *sint lumbi,* ait, *mors ipsa, cum venerit, vincitur; si prius, quàm veniat, semper timeatur*; vide Drex. in Prodr. cap. 1. §. 28. & 37. Thom. Kemp. l. c. 63. & 64. 3. Præparatio futurorum bonorum, juxta sapientissimum Salomonis, Eccl. c. 9. monitum: *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* vide Drex. l. c. §. ult. & c. 25. §. 2.

V. Ex occasione thematis: *Magnus dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit illum?* Joël. 2. explicari potest hoc Epitaphium:

Quid agam hîc,
Quæris Viator?
Diem iræ,
Calamitatis & miseriæ.
Diem magnam & amaram
Valde ego exspecto.
Tu cogita,
Et time.

Circa quod duo inculcanda. Primò *Iudicii divini severitas*, de quo S. Job. cap. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti.* Potest etiam comparari judicium cum Examine Studiosorum pro ascensu, dicíque tantò magis tremendum esse, hoc judicium, quantò optatior est locus, ad quem ascendunt, qui bene steterint: Et quantò miserior est locus, ad quem detruduntur, qui in hoc Examine fuerint rejecti. 2. *Præparatio* solida ad hoc Examen, quæ consistit in hoc, ut bene componamus nomen cum verbo, id est, nostrum cum divina voluntatem; *Non enim adveniente die iudicii quaeretur à nobis, quid legimus, sed quid fecimus: Nec quàm bene diximus, sed quàm bene vixímus.* vide Drex. in trib. l. 2. §. & 10. Item lib. 2. c. 5. Thom. Kemp. l. 1. c. 4. §. 1. 2. & 7.

VI. Ex occasione thematis: *In omnibus operibus tuis memorare novissima, & in æternum non peccabis.* Eccl. 7. explicari potest hoc Epitaphium:

Utinam

Utinam saperes, Viator;
& intelligeres,
& novissima provideres.

Circa quod explicari potest, quàm efficax medium ad peccata vitanda sit cogitatio frequens novissimorum, & præcipuè mortis, à qua reliqua omnia suam vel felicitatem, vel infelicitatem desumunt. Certè hanc ob causam Christus nulli à se resuscitato monitum aliquod (quemadmodum aliis à se sanatis dederat) reliquit, eò quòd pro Domino ipse mortis effectus (ut S. Aug. putat) fuerit locutus. Sed & S. Paulus cum in civitate Troade Eutichius per fenestras cecidisset, statim sermonem abrupit, quia, ut S. Chrysostomus ait, ipse casus pro Doctore fuit. vide plura & erudita apud Pistor. Im Klaghauß. conc. 37. & Drex. in prodr. c. 1. § 2. 3. & 39.

VII. Ex occasione thematis: *Ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in terra plangentes.* Eccl. 12. proponi fructuosè, & explicari sequens Epitaphium poterit:

Siste, Viator, & audi.
Momentum, unde pendet æternitas;
Ah quanti momenti sit istud momentum,
Ritè perpende.

Circa quod inprimis breviter explicetur, quid sit, & quàm longa ac tremenda æternitas. Deinde, quomodo hæc æternitas ab unico momento, videlicet supremo vitæ articulo dependeat, ostendatur; & tandem subinferatur, quantâ curam & sollicitudinem meritò quisque gerere debeat, ut, cùm nesciat, quando hoc momentum illuxerit, quovis momento paratus sit ad momentum hoc bene finiendum; nam, ut S. Augustinus de discipl. Christ. rectè dixit: *Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies; serò parantur remedia, cùm mortis imminent pericula.* Demonstretur denique, quomodo, & quàm studiosè hoc momentum defunctus observârit.

VIII. Ex occasione thematis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. explicari potest hoc Epitaphium:

Ut quid diligis vanitatem & mendacium,
O Viator,
Momentaneum est, quod delectat:
Æternum, quod cruciat.

Circa quod explicari potest inprimis, quàm verè omnis tostra vita æternitati comparata non nisi momentum dici queat, id quod etiam S. Augustinus in Ps. 36. egregiè ostendit, dum ait: *Quid appendis cum infinito quantumcunque finitum? decem millia annorum, decies centena millia, si dicendum est, millia millium, quæ finem habent, cum æternitate comparata non possunt.* Ex quo inferatur, quàm stultè agat, qui delicias hoc unico momento percipiendas æternis tormentis mercatur, id quod eleganter S. Chrysostomus hom. 20. ad Populum hâc similitudine ostendit: *Si quis intra centum annos una solùm nocte suave, latúmque somnium vidisset, & centenis illis annis puniretur, an appetendum hoc somnium foret? quid autem est somnium ad centum annos, hoc est, præsens vita ad futuram, imò multò minùs, & quod est gutta ad pelagus, hoc omnes multi sunt ad futuram æternitatem.* Unde suadendum, ut omnes Fulconis exemplum sequantur, qui, cùm quâdam nocte dormire non potuisset, cogitare secum cœpit: si hîc in lecto molli jacenti, absque alio dolore, tam molesta nihilominùs est cubatio, quantopere cruciabor, si in lecto igneo æternùm jacere cogar? itaque per hanc cogitationem mutatus est, ut mox vanitatibus mundanis valedicens, Cistercienſium Congregationi nomen dederit. Rectè igitur S. Augustinus apud Drexelium c. 6. de ætern. dixit: *Melior est modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus.* Obtestandus denique, quomodo hanc doctrinam defunctus observârit.

IX. Ex occasione thematis: *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Matth. 25. explicari potest sequens Epitaphium:

Quid stas otiosus, ô Viator?
Quodcunque facere potest manus
Tua, instanter operare:
Æternitati laboras.

Cum

Circa quod narrari inprimis potest, quid Zeuxes Pictor celebertimus quærenti, cur tantâ diligentiâ suas picturas perficeret? responderit, nempe: Diu pingo, quia æternitati pingo. dein inferatur, quantò veriùs hoc quivis homo de suis bonis operibus dicere queat, utpote quibus mercedem æternam & inexplicabilem paratam esse novit; quàm æquum proinde sit, ut omnia sua opera cum magna diligentia perficiat, semper in mente habens æternitatem, dicénsque: æternitati laboro. Quàm item nullum laborem aut difficultatem in suis Operibus occurrentem horrere aut fugere debeat, cùm verè S. Hieronymus apud Drex. de æter. c. 6. dixerit: *Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur.* Itaque quivis in tali casu sibi occinat: *Momentaneum, quod cruciat, æternum quod delectat.* quæ omnia, quomodo Defunctus inter opera sua tam præclata, inter labores tam multos & difficiles, & inter tam graves adversitates observaverit, breviter declarentur.

X. Ex occasione thematis: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* 2. Cor. 5. explicari potest Epitaphium à Siracide c. 38. compositum.

O Viator.
Memor esto Judicii mei.
Sic enim erit & tuum.
Vale, & vive,
Ut vivas.

Circa quod duo inculcari possunt, nempe 1. Mortis & Judicii. Certitudo (quoad substantiam) & incertitudo (quoad temporis circumstantiam.) Nam ut rectè S. Bernardus de Convers. ad Clericos cap. 14. ait, *Quid in rebus humanis certius morte? Quid hora mortis, incertius invenitur? Senibus quidem in ianuis, Adolescentibus in insidiis est.* vide Drex. in prodr. cap. 1. §. 14. 19. 2. Observatio doctrinæ à sapientibus datæ: fac modò, quæ moriens facta fuisse velis. vide Drex. l. c. §. 42. & 46. & Thom. Kemp. l. 1. cap. 23. §. 4. & 8.

PRO INFANTE.

XI. Ex occasione thematis: *Paravit DEVS vermem in*

ascensu dilieuli in crastinum, & percussit hederam, & exaruit: Jonæ cap. 4. Proponi & explicari potest hoc brevissimum, sed salubernimum Epitaphium:

Ne mirare,
Viator.
Dum aridum hoc cadaver aspicis.
Hedera Jonæ fuit.
Vale, & vide,
Cui fidas, & adhæreas.

Circa quod dici potest in sepulchrali cruce Infantem mortuum pictum esse, qui sub umbra hæderæ recumbat, & si placet, in Epitaphio loco nominis Jonæ, nomen parentis substitui potest, simúlque duo inculcari. 1. *Fragilitas spei humanæ*, quæ pulchrè declarari potest per comparationem illius cum hedera Jonæ, quæ subitò ipsi gaudium magnum, iterúmque summam tristitiam creavit. vide Drex. in Jo. & in prodr. c. 1. §. 8. 2. *Adhæsio & unio cum DEO*, juxta illud Ps. 72. *Mihi autem adhærere DEO bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam.*

Aliud.

XII. Ex occasione thematis: *Quasi flos rosarum in diebus vernis.* Eccl. 50. proponi & explicari potest pulcherrimum hoc Epitaphium:

Quid miraris,
Viator,
Tam citò extabuisse me?
Rosa fui.
Tu, si diu florere cupis,
Amaranthus esto.

Circa quod inprimis narrari potest Fabula, quam P. Drex. in Prodro c. 1. §. 34. narrat in hunc modum.

Amaranthus rosæ adsitus dixit: O qualis flos rosa, quàm formosus, quàm amabilis Beatam de jure dixerim, ob odorem, ob formam, & ob colorem. O Regina florum. Cui Rosa, ego quidem, inquit, ô Amaranthe, forma præniteo, sed tempus brevissimum vivo; & quamvis nulla me manus violet, nihilominus tabesco. Malim ego minùs habere formæ, & plus

& plùs vitæ. Ex qua narratione duæ doctrinæ eliciendæ. 1. Quàm parùm vitæ huic fragili confidendum, ut de qua rectè dixerit Job. c. 14. *Homo quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* 2. Quàm prudenter & meritò proinde alia vita, scilicet æterna quærenda sit, utpote quæ sola vera, jucunda, & æterna vita est.

PRO JUVENE.

XIII. Ex occasione thematis: *Condemnat autem Iustus mortuus vivos impios, & iuventus celeriùs consummata longam vitam iniusti.* Sap. 4. explicari potest sequens Epitaphium:

Sta Viator,
Et obstupesce
Juvenis,
Qui, quamdiu voluit, vixit,
Hîc sepultus est
An non rarum Miraculum?
Imitari potes,
Si placet.
VALE.

Circa quod duo principia bene inculcanda. 1. Non longissima, sed honestissima vita optima; nam bonum non est in temporis diuturnitate situm, sed in virtute; neque enim, qui cytharâ diu lusit, sed qui bene commendatur. vide Drex. in prodr. cap. 1. §. 35. 36. & cap. 3. §. 3. 2. Quisquis voluit, diu vixit; an non enim diu locutus est, qui paucis verbis persuasit? an non satis cucurrit, qui palmam obtinuit? an non satis navigavit, qui in portum feliciter pervenit? vide Drex. l. c. §. 24.

Aliud.

XIV. Ex occasione thematis: *Ne intuearis vinum, quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color eius.* Prov. 23. Explicari potest sequens Epitaphium:

Eheu dissilij,
Corporis & animæ facta,
Separatione.
Sed quid mirandum?
Vitrum fragile fui.
Cavete Juvenes.
Et vos thesaurum vestrum in
Vasis fictilibus
portatis.

Circa quod duo monita salutaria inculcari possunt. 1. Non esse mirandum, si DEUS interdum Juvenes mori ante tempus sinat, quia ex materia fragili æquè ac viri ac senes compositi sunt; & præterea DEUS facit, ut Cotijs Rex Thraciæ, qui ne vitra occasio iræ aut furoris essent, si frangerentur, priùs illa frangi jussit. vide Pistor. im Klaghauß. conc. 6. n. 3. 2. Admonendi Juvenes, ut sapiant hoc Exemplo, & sibi in futurum prospiciant, meminerintque, sibi contingere, quod Nobili cuidam per tria vitra seipsis rupta de morte admonito evenit vide apud Pistorium.

XV. Ex occasione thematis: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Luc. 23. explicari potest hoc Epitaphium:

Sta Viator.
Et, si Juvenis es,
Vel meo Exemplo disce,
Morti non fidere.
Si decrepitus es,
Securim jam ad radicem positam
TIME.
Si enim in viridi ligno hæc faciunt,
In arido quid fiet?

Circa quod duo specialiter inculcanda. 1. Ne juvenes nimis securè vivant, quasi extra periculum mortis positi; sed potiùs meminerint proverbii communis, quo dici solet: Man trag eben so viel Kälber als Kühe. Häut auff den Marck. Item quòd Juvenibus mors in insidiis esse dicatur, atque mentem semper cautè vivere debeant. 2. Ut senes meminerint, Mor-

tem

tem in januis esse, atque adeò ita se præparent, ut, cùm venerit, & pulsaverit, statim aperiant illi.

Aliud.

XVI. Ex occasione thematis: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est,* Job. 1. proponi potest hoc Epitaphium:

Quid amissum ploratis,
O Parentes, & Amici?
Depositum fui.
Quod suum erat, abstulit DEUS.
Quiescite.
Raptus sum
Ne malitia mutaret intellectum meum,
Et animum vestrum.

Circa quod duo specialiter inculcanda. 1. *Conformitas cum divina voluntate*, si meminerint Parentes & amici, DEUM esse plenissimum, & sapientissimum Dominum, atque adeò gravissimas habere causas, ob quas ejusmodi Juvenem ex hac ad vitam meliorem transferre voluerit. 2. *Gratulatio & Gratiarum actio ob beneficium*, quod DEUS per talem mortem Juveni & Parentibus exhibuit; dum ipsum à periculo damnationis, Parentes verò à gravibus curis, incommodis & damnis per ejus mortem liberavit. vide Pister. conc. 6. 3.

PRO VIRGINE.

XVII. Ex occasione thematis: *Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete.* Luc. 23. explicari potest hoc Epitaphium:

Cur inutiles lachrymas funditis,
O Amici?
Non extinguitur his aquis flamma
Me crucians, sed augetur.
Nolite ergo flere super me.
Sed super vos ipsos flete.

Circa quod duo iterum inculcanda. 1. *Inutilitas lachrymarum*, quæ plerumque in talibus casibus profunduntur. Ad

quem finem Historia de Matre Filium deplorante, & per hoc ab ingressu cælorum retardante, quæ suprà jam est indicata, narrari poterit. 2. *Detestatio & dolor de peccatis* circa tales liberos commissis, quibus sæpe parentes causam DEO dederunt, ut talem Filiam eriperet.

Aliud.

XVIII. Ex occasione thematis: *Quid turbamini, & ploratis? non est mortua Puella, sed dormit.* Marc. 5. explicari potest sequens Epitaphium;

Quid Turbamini & Ploratis?
O Parentes?
Non est mortua Puella,
Sed dormit.
Ne ergo suscitetis, neque
Evigilare faciatis dilectam,
Donec DEUS & ipsa velit.
Felicem interea noctem verbo, & facto
Apprecantes: Dicite:
Requiescat in Pace.

Circa quod duo monita suggerenda. 1. *Consolandi Parentes* dicendo, quàm meritò sperare possint, dormire tantùm Filiam virginem, ob varia pietatis & virtutum Exercitia, quibus beatam mortem merebatur. 2. *Adhortandi eidem Parentes*, & alii Auditores, ne lachrymis suis inquietum Filiæ somnum efficiant, sed potiùs, si somnus talis fortè per pœnas, & visiones Purgatorij, turbatus est, per varia pietatis & misericordiæ opera, causas tales removere studeant. vide Pistor. conc. 8.

PRO SACERDOTE.

XIX. Ex occasione thematis: *Moriatur anima mea morte Iustorum, & fiant novissima mea horum similia.* Num. 23. proponi potest Epitaphium dignissimum, quod omnibus Sacerdotibus pro exemplari sepulchralis Elogij proponatur.

Siste

Siste gradum Viator,
Adm. R. Dominus N. N. Sacerdos
Et Parochus hîc
Requieſcit.
Qui vixit, ut dixit;
Obijt, ut vixit:
Vivit, ut obijt,
Id eſt:
In & cum Domino.
Aſpice, & fac ſecundùm Exemplar.

Circa quod duo potiſſimùm commendanda. 1. Quòd talis Sacerdos memor moniti Servatoris: *Et vos eſtote parati, quia, quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet*: optimam præparationem ad mortem adhibuerit, vitam ſcilicet optimam & inculpatam, non ignarus videlicet communis proverbij: Sicut vita, mors ita: qualis mors, talis ſors. **Wie das End/ alſo d'Händ.** Nam ut rectè S. Auguſtinus l. 1. de civ. dixit; *Mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſit; neque enim facit malam mortem, niſi quod ſequitur ipſam mortem.* Unde meritò S. Bernardus ep. 105. hortatur: *Volo te mortem, etſi non effugere, certè vel non timere. Iuſtus quippe mortem etſi non cavet, tamen non pavet. Denique ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* 2. Quòd idem Sacerdos ſicut dixit, & locutus eſt in cathedra, ita vixerit quoque, id eſt, exemplo etiam, quæ prædicaverat, comprobârit. Memor ſalubrrimæ doctrinæ à S. Laurentio Juſtin. l. de conflict. intem. datæ, dum ait: *Dabis voci tuæ vocem virtutis, ſi, quod ſuades, tibi perſuaſeris ſe priùs cognoſcaris; validior operis, quàm oris vox eſt, fac, ut loqueris.* Non enim difficile æſtimatur, quod jam factum conſpicitur. Oſtendatur ergo per aliquot exempla, quomodo doctrinas à ſe datas impleverit.

PRO VIRO HONORATO.

XX. Ex occaſione thematis: *Cúmque convertiſſem me ad univerſa opera, quæ fecerant manus meæ; & ad labores, in quibus fruſtra ſudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Eccleſ. 2. poteſt proponi ſequens Epitaphium:

Sta Viator,
Et quid de rebus mundanis
Sentias, ab experto disce.
Vanitas vanitatum, & omnia vanitas,
Præter amare DEUM,
Et illi soli servire.

Circa quod duo præstanda. 1. Ostendendum, quàm omnibus bonis mundi affluxerit Defunctus, ita ut jure cum Salomone l. c. dicere potuerit: Magnificavi opera mea &c. possedi servos & ancillas, armenta & boves, coacervavi aurum & argentum &c. & tamen cùm ad hæc omnia se convertisset, nihil nisi vanitatem, & afflictionem animi, maximè ob severam rationem reddendam, invenerit. Nimirum rectè dixit S. Augustinus l. 1. Conf. *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*; ad imaginem quippe DEI facta anima rationalis, inquit S. Bernardus, cæteris rebus occupari potest, repleri non potest; capacem quippe DEI, quidquid DEO minus est, replere non potest; sicut nec vas triangulare à re figuram rotundam habente repleri potest. 2. Demonstretur, quàm verè dicatur, in solo amore DEI veram hominis felicitatem consistere; cùm hic amor sit possessio DEI, atque adeò finis ultimus hominis; omnis autem rei felicitas in finis sui possessione consistat. Quare ostendatur, quomodo hunc finem sectatus sit Defunctus, & in usu suorum bonorum consilium S. Pauli. 1. Cor. 7. observaverit, suadentis, ut, qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes sint, eò quòd prætereat figura hujus Mundi.

PRO DIVITE.

XXI. Ex occasione thematis: *Dives, cùm dormierit, nil secum auferet.* Job. 27. proponi potest sequens Epitaphium;

Ut quid divitias in Divitis
Sepulchro quæris, O Viator.
Heu! universas mors abstulit.
Tu, si sapis,
Eas dem in cælum præmitte.

Circa

Circa quod inprimis dici potest, quantas divitias sibi congregaverit Defunctus, & quomodo eas uno momento mors abstulerit, sícque verificaverit effatum Davidis Ps. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri Divitiarum in manibus suis.* Unde meritò Christus Matth. 6. hortatus est: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra &c.* Et S. Paulus 1. Tim. 6. *Divitibus huius sæculi præcipe, non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo.* Deinde ostendatur, quàm bene & prudenter his divitijs usus sit defunctus, dum scilicet inprimis saluberrimum Psalmistæ Ps. 61. monitum observavit: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Dein verò etiam exemplum prudentis Regis secutus sit, de quo Barlaam in vita Josaphat refert, quòd, cùm adverteret, in regno suo consuetudinem esse, ut Rex non nisi unico anno regnare sineretur, & hoc finito in exilium mitteretur, intra hunc annum pleraſque suas divitias in locum exilii præmiserit, in quem postea relegatus eásdem cum gaudio invenit, & fruitus est. Excitentur itaque Auditores, ut & ipsi opes suas terrenas per Pauperum manus, aliósque pios usus præmittere in cælum studeant; de reliquo autem veras divitias congregare conentur, de quibus S. Bernardus in S. Sexag. dixit: *Veræ divitiæ non opes, sed virtutes sunt, quas secum conscientia portat, ut in æternum dives fiat.*

PRO HONORATA MATRONA.

XXII. Ex occasione thematis: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo: Mulier timens Deum ipsa laudabitur.* Prov. 31. potest hoc Epitaphium proponi.

Sta Viator,
Et formæ inconstantiam in
Deformato cadavere agnosce.
Olim Mariti delicium, formæ
Miraculum, eheu! nunc esca
Sum vermium.
Sic nempe fallax gratia,
Et vana est pulchritudo;
Et sola Mulier timens DEUM
Laudabitur.

Circa

Circa quod 1. dicendum, quàm rarâ pulchritudine & gratiæ venustate prædita fuerit defuncta; & quàm parùm illa ob talem dotem superbierit, memor, quòd corpus etiam pulcherrimum nihil aliud sit, quàm saccus stercorum, & fimus nive tectus. Id quod pulchrè quondam Rex aliquis Aulicis pulchritudinem corporis plùs æquo admirantibus & prædicantibus ostendit, dum vas aliquod stercore refertum eleganter vestiri, faciémque venustissimam imponi, postea verò Aulicis iterum more suo tam raram venustatem laudantibus vestes auferri, & sic, quid lateret, ostendi jussit. Unde meritò Domitianus, teste Patriarcha dial. c. 11. quidam Amico scribens, scias, inquit, nec gratius quidquam esse decore, nec brevius. Quamquam, etiamsi durabile, & perpetuum naturæ donum esset, non intelligo, quid tantopere expetendum habeat iste non solidus, nec in ipso homine, nisi superficie tenus fulgens decor, multáque fœda contegens, & horrenda, levissimæque cutis obtentu sensibus blandiens & illudens. 2. Ostendatur, quàm prudenter hæc Domina secuta sit Diogenis consilium, qui videns formosum Adolescentem ob formæ gratiam amari, dixit illi: Quin operam das Adolescens, ut corporis amatores ad animam transferas. Sed & Socratis consilium adjunxerit, Discipulis suis suadentis, ut speculum inspicerent, & si quidem pulchri viderentur, curarent, ne dignitatem corporis malis moribus fœdarent. Id quod studiosè illa observaverit, dum mentis puritati, in qua vera pulchritudo consistit, quæque auferri contra voluntatem non potest; ita studuit, ut jure de ea dici poterit: Tota pulchra es, amica mea, & macula (præsertim deliberatè admissa) non est in te. Excitentur proin Auditores ad eandem pulchritudinem amandam, & consilium S. Ambrosij sequendum l. 1. de Virg. dicentis: *Non possumus reprehendere divini Artificis opus, sed quem delectat corporis pulchritudo, multò magis delectet illa venustas, quæ ad imaginem DEI intus est.*

PRO MERCATORE.

XXIII. Ex occasione thematis: *Negotiamini, usque dum venio.* Luc. 19. proponi potest sequens Epitaphium:

Quid

Quid quæris, Viator.
Jam taberna clausa est.
Jam Merces in cælum transmissæ.
Tu quoque, si sapis,
Vitam tuam Nundinis similem
Crede, &, dum tempus est,
Strenuè negotiare.

Circa quod duo præstari debent. 1. ostendendum erit, quàm bene Vita nostra à S. Gregorio Nazianzeno & aliis Doctoribus Nundinis comparata sit, cùm verè & vita nostra perinde ut Nundinæ, brevi tempore duret, & hoc ipsum tempus solum concessum sit ad Merces comparandas; post illam verò tabernæ claudendæ sint, tempúsque & occasio negotiandi cessaturum. Unde meritò Christus dixit: *Negotiamini, usque dum venio.* Sed & S. Paulus ad Eph. 5. tam sollicitè monet: *Videte, Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes redimentes tempus.* 2. Ostendatur, quàm sedulò Defunctus Mercatoris non tam temporalis, quàm Spiritualis officium impleverit, mercésque optimas & selectissimas comparârit, nullam vitæ suæ partem sine fructu abire permittens, sed omnes & singulas actiones per intentionem, aliásque conditiones ad meritum præscriptas sedulò observans. Unde & Auditores ad imitationem illis Siracidis c. 4. verbis excitari possunt: *Ne defrauderis à die bonos, & particula boni doni non te prætereat.* Et si difficilis videtur ejusmodi negotiatio, jubeantur Mercatorum Sæcularium industriam & patientiam ob oculos ponere, illáque S. Augustini verba sibi applicare: Potuerunt isti & isti ob temporale lucrum tanta ac talia agere ac pati, & tu ob æternum lucrum non poteris?

PRO OPIFICE.

XXIV. Ex occasione Thematis: *Quodcunque, potest facere manus tua, instanter operare.* Eccl. 9. potest hoc Epitaphium proponi.

Sat laboratum est.
Amodo jam dicit Spiritus, ut
Requiescam à laboribus meis,
Opera enim mea sequuntur me.

Tu

Tu quoque, Viator, si similem
Quietem desideras, similem
Laborem ne recusa.

Circa quod ostendi inprimis, potest quid ad laborem utilem & meritoriũ requiratur, scilicet ut in nomine Domini, id est, propter DEUM, ejúsque gloriam, & in gratiâ DEI, ac cum debita diligentia peragatur; & quomodo hæc omnia accuratè defunctus impleverit. 2. Pariter ostendatur, qualem requiem sibi invenerit, triplicem scilicet. 1. *corporalem*; cùm teste Eccles. c. 5. *dulcis sit somnus operanti.* 2. *Spiritualem*, dum per laborem otium, & cum eo vitia profligans, quietam & securam conscientiam, quæ est quasi juge convivium, & suavissimus somnus, acquisivit. 3. *Æternam*, quia post mortem verificabitur de illo, quod S. David Ps. 117. dixit: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Item illud Apoc. 14 *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Excitentur proinde Auditores, ut, cum & ipsi, teste Job. c. 5. ad laborem nati sint, & tempus ad operandum à DEO concessum breve sit, sibi suprà citatam Siracidis sententiam applicent: *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Nam, ut S. Basilius in reg. 21. fus. recte advertit, *qui nobis vires idoneas ad laborandum suppeditavit, in die iudicii parem in laborando industriam reposcet.*

PRO RUSTICO.

XXV. Ex occasione Thematis: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo.* Gen. 3. proponi poterit hoc Epitaphium;

Siste gradum, Viator,
Et vide oculis tuis,
Quia Modicum laboravi,
Et inveni mihi
Multam requiem.
Esto ergo & tu stabilis
Et abundans
In opere Domini semper sciens,
Quia labor tuus,

Non

Non est inanis
Coram Domino.

Circa quod inprimis ostendi potest, quàm sedulus fuerit Defunctus in laboribus suscipiendis & continuandis, ita ut cum veritate usurpare illud Psalmi 87. potuerit: *Pauper sum ego, & in laboribus à iuventute mea.* Deinde verò ostendatur, quàm magnam requiem invenerit, æternam scilicet felicitatem, cujus obtentæ sat clarum indicium sit labor talis pro DEO libenter & constanter susceptus, eò quòd DEUS perinde se erga nos gerat, sicut Cato Romanus erga Cives Romanos se gessisse memoratur, atque adeò sicut ille Civem electurus, manus sibi ostendi jussit; & si quidem delicatas admodum esse deprehendit, ineptum pro Cive judicavit; secus verò sensit, si manus labore attritas vidit; ita & ipse DEUS eos potissimùm in Cives cælestis Jerusalem admittat, quos manus attritas, id est, in laboribus pro DEO susceptis bene exercitatas habere advertit. Unde meritò S. Paulus 1. ad Cor. 15. hortatur: *Fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non est inanis coram Domino.* Id quod bene S. Arsenius agnovit, hinc, postquam diu in Monasterio vixisset, rogatus, in qua re maximè confideret? respondit: In eo, *quòd homines fugi, quod tacui, quod flevi, at in eo potissimùm, quod laboravi,* & meritò sanè, nam *Sancti viri,* teste S. Gregorio in moral. *quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot iam remunerationis pignora intra Spei suæ cubiculum clausa tenent.* Quanta autem sit ista remuneratio, DEUS ipse in quodam Societatis nostræ Coadjutore Murario ostendit, qui post mortem P. Petro Scargæ Rectori Collegij Vilnensis totus splendidus, sed in manibus præcipuè, apparens dixit, causam tanti splendoris esse, quòd manibus illis specialiter pro DEI gloria laborâsset. Sic nempe verificatur illud Sap. 10 *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius.* Excitentur ergo Auditores, ut & ipsi consilium Siracidis Eccl. 7. sequantur: *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo;* nam, ut idem c. 40. ait, *vita sibi sufficientis operarii condulcorabitur, & in ea inveniet thesaurum.*

PRO

PRO MENDICO.

XXVI. Ex ocaasione Thematis: *Cæcus qui sedebat secus viam mendicans*: proponi potest hoc Epitaphium:

Ein Bettler decket diese Erd /
Das Bettlen hat er gwohnet:
Darumb er auch ietzt Hilff begehrt /
Ach ihm sein Bitt belohnet!

Circa quod 1. ostendi potest, quàm verè, Defunctus, si forte in Purgatorio detineatur, cæcus dici queat, utpote à visione beatifica etiamnum excluſus, atque adeò meritò illud Tobiæ c. 5. usurpare queat: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* & præterea etiam tam gravibus tormentis subjectus crucior. Deinde verò ostendatur, qualem eleemosynam petat ab Auditoribus, scilicet ut precibus & Sacrificiis lectis vel auditis, aliisque similibus operibus eidem subveniant; quàm æquum sit proinde, ut illi promptè & liberaliter petita eleemosyna offeratur, cùm plenè omnes conditiones, ob quas alicui Mendico libentiùs stips porrigitur, possideat; nam 1. est valde miserabilis, cùm majores cruciatus, quàm sint omnia hujus Mundi tormenta, sustineat. 2. Est valde indigens; cùm seipsum nullâ ratione juvare queat, sed omnem suam fiduciam in hominibus positam habeat. 3. Est valde dignus, cùm sit ab omni jam culpa liber, atque adeò Sanctissimus, Deóque carissimus. 4. Est & gratissimus, cùm agnoscat beneficij collati magnitudinem, utpote qui & gravitatem pœnarum in Purgatorio toleraturum expertus sit; & paulò pòst etiam visionis beatificæ dulcedinem sit experturus, atque adeò non quieturus, donec ipsos quoque suos Benefactores & liberatores tum ab iisdem pœnis liberet; tum ad eandem felicitatem perveniant. Excitentur proin Auditores, ut dicant cum S. Bernardo S. de 5. negot. *Surgam in adiutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisfactiam Sacrificio singulari, si fortè videat Dominus, & iudicet, & laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam; his enim & huiusmodi officiis potest earum miseria relevari, sitiri labor, destrui pœna.*

FONS

FONS VII.

Ex Emblematis.

NON minus copiosus Fons iste est, quàm Præcedentes, si Exhortator eum rectè tractare nôrit. Consistit autem hic modus tractandi in eo ferè, ut 1. Emblema ipsum proponatur, dicendo, vel quòd majores nostri ejusmodi Emblemata sepulchralibus marmoribus insculpere vel appingere sint soliti; vel certè, quòd ipse putet appingendum, vel incidendum. 2. Ostendatur, quàm benè defuncto conveniat. 3. Occasio ad Auditores variis affectibus inflammandos desumenda.

Itaque I. Ex occasione Thematis: Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*, proponi posset hoc Emblema, & pingi Leo apertis oculis dormiens cum Inscriptione. *Dum Dormit: vigilat.* Circa quod duo dici possent: Primò ostendi, quòd mortuus verè nunc dormiat, & quòd Mors somno plerumque comparetur. 2. Quòd quoad animam verè vigilet oculos mentis in visione beatifica DEI occupatos atque defixos habens, aut certè brevi habiturus, cujus quidem probabilitatis argumenta afferri possunt. vid. Fab. in con. 9. num. 1.

II. Ex occasione Thematis: *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in Novissimo die de terra Surrecturus sum.* Job. 19. Affingi potest sepulchro Phœnix in suo proprio busto consumptus cum Lemmate: *Evolabit*: Circa quod primò notari potest Historia de Phœnice, qui moriturus congregat ligna aromatica, & ex iis facta strue alis suis aërem percutit, donec ignem eliciat, struémque accendat; tum pectus rostro aperit, ut sanguis in ignem effluat. Ex quo postea novus Phœnix enasci dicitur. 2. Applicetur hæc Historia defuncto, intelligendo per ligna aromatica virtutes & opera: Per ignem verò charitatem; per sanguinem, Mortem. Posset etiam loco Thematis assumi hæc S. Jobi sententia 29. cap. *In nidulo meo moriar, & sicut palma* (Aliqui legunt, ut Phœnix, quæ palmam & avem significat) *multiplicabo dies*: vide Fabrum l. c. numero quinto:

III. Ex occasione Thematis: *Fulgebunt Justi sicut sol.* Matth. 23. Appingi posset sol ad occasum declinans cum

Lemmate. *Tegor, non obtenebror.* Circa quod dici posset. 1. Quomodo defunctus verè fuerit in vita soli similis, videlicet magnus in se, & parvus in oculis aliorum; aut parvus in sua, magnus in aliorum æstimatione: Illuminans per Doctrinam, calefaciens per amorem & Exempla. 2. Quomodo nunc quidem per mortem occiderit aut Eclipsatus sit, sed tamen in se antiquum splendorem & virtutem retineat, breve etiam nobis oriturus. Id est, in altera vita videndus.

IV. Ex occasione Thematis: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum* Matth. 6. Pingi posset cor in cuspide erectum cum Inscriptione: *Exquisivi te in toto corde meo.* Ps. 118. Circa quod dici posset, olim tale cor sepulchris appictum esse duas ob causas. Primò, ut significaretur prompta voluntas & conformatio defuncti cum divina voluntate: item quòd DEUM toto corde dilexerit. 2. Ut indicaretur, quòd, etsi à suis Amicis abierit corpore, corde tamen apud ipsos manserus, cordíque eorum necessitates sit habiturus. Quare excitandi Auditores, ut credant sibi dictum à defuncto, quod olim Jehu ad Jonadab dixit: 4. Reg. 10. *Nunquid est cor tuum rectum cum corde meo, sicut cor meum cum corde tuo? da mihi manum,* id est, adjuva me nunc in necessitate mea.

V. Ex occasione Thematis: *Dormierunt somnum suum, & nil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis:* Ps. 27. Pingi posset Rex splendidè vestitus, cubito innitens & evigilans quasi, cum Lemmate: *Somniavi.* Circa quod duo inculcari possent. 1. Quòd ex omnibus mundi delitiis, & divitiis, & honoribus per se non plus habeatur in hora mortis ac si somnium de illorum perceptione habitum fuisset, ut benè Plato indicavit cuipiam pro Symbolo vocem *omnia* habenti, dum litteram S ad litteram O apponi jussit; ut *somnia* se habuisse intelligeret. Hunc in finem non incommodè narrari posset Historia de Rustico jussu Philippi Regis Burgundi in Regem transformato, & iterum elapso die in finem tum abjecto. 2. Quantoperè proindè veris gaudiis & bonis inhærere ad Exemplum defuncti debeamus.

VI. Ex occasione Thematis: *Spectaculum facti sumus Mundo, Angelis, & Hominibus* 1. Cor. 4. Pingi potest quidem in medio Theatri consistens & cortinam claudens, cum hoc Lemmate. *Peracta Fabula est: plaudite:* Circa quod primò

nò probari posset vitam nostram Comædiæ similem esse, juxta illud Epicteti: *Actorem te fabulæ esse, qualis Magistro probata fuerit, memento.* 2. Non referre quam Personam, sed quàm benè agamus. Quare ostendendum, quàm benè defunctus suam Personam sustinuerit. vid. Drex. in prodr. cap. 31.

VII. Ex occasione Thematis: *Vos estis Lux mundi.* Matth. 5. Pingi posset candela, quam manus emunctorium tenens extinguit, cum Lemmate:

Eheu extincta est.

Circa quod inprimis probari posset, quomodo defunctus verè lux fuerit, vel suæ urbis, vel domus, eámque purificaverit suâ correctione: illustraverit suo exemplo & instructione: calefecerit & accenderit per suam charitatem. 2. Quanto cum dolore & damno suorum extincta sit hæc Candela. Animandi tamen Auditores, ut credant de cælo copiosius fulsuram, aliósque influxus communicaturam.

VIII Ex occasione Thematis: *Heu heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum Senectutis nostræ, spem Posteritatis nostræ?* Tob. 10. Pingi posset baculus arundineus à morte confractus cum Inscriptione. *Fragili ne credite fulcro.* Circa quod duo capita declarari possunt. 1. Quantoperè Parentes aut Amici defunctum dilexerint, & quam meritò spem conceperint, quòd magnum aliquando domus suæ fulcrum esset futurus. 2. Quàm fragilia ejusmodi fulcra sint, utpote de quibus meritò dixerit DEUS; *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, cui si innixus fuerit Homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam.* Is. 36. Quámque adeò meritò spes unica in Deo ponatur juxta consilium Davidis Ps. 145. *Nolite confidere in Principibus, neque in Filiis Hominum, in quibus non est salus.*

IX. Ex occasione Thematis: *Vnus introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.* Sap. 7. Proponi potest hoc Emblema. Pingatur imago una mortualis Centonibus, & purpurâ desuper vestita cum hoc Lemmate, *omnia mors æquat*: vel Germanicè tali modo:

Also der Tod macht Arm und Reich /
Bettler/und gross Herren gleich.

Circa quod duo præcipuè inculcari debent. 1. *Mortis inevitabilis Necessitas.* Nam sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, ita & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. 2. *Vanitas rerum mundanarum* per mortem detecta, cùm omnes, sicut nudi egressi sumus de utero matris, ita nudi quoque recessuri simus, neque ullum amplius inter divites & pauperes, nisi meritorum discrimen sit futurum, uti quondam pulchrè Diogenes Alexandro magno ostendit, dum stans apud accervum ossium eidem Alexando, quid ageret sciscitanti respondit se Calvariam & ossa Philippi Patris Alexandri quærere; nec reperire posse; unde Auditores ad merita augenda & comparanda incitandi.

X. Ex occasione Thematis: *Appensus es in statera.* Dan. 6. Pingi potest in Emblemate. *Manus libram tenens*, cujus altera lanx, eáque multum depressior bona opera, altera altius elevata mala opera continet cum hac inscriptione.

Auff diese wohl gebrauchte Waag.
Ich letzt all mein Vertrauen schlag.

Circa quod duo inculcanda. 1. *Iudicii extremi Severitas* juxta illud Sophon. 1. *Iuxta est dies Domini magnus: iuxta est velox nimis vox diei Domini amara, turpiter ibi erunt fortis, eritque tum tribulatio magna*, teste Christo, Matth. 24. *qualis non fuit ab initio mundi.* 2. Ut maturè studeant se ad hoc judicium præparare per bonam vitam, seu legitimum fidei, quæ justitiam Christianam denotat, usum, defunctis exemplo, cujus hac in re studium proponendum.

XI. Ex occasione Thematis: *Statutum est omnibus hominibus semel mori* Hebr. 9. Pingatur in Emblemate Mors medicum ex horto educens cum hoc Lemmate. *Contra vim mortis non est medicamen in hortis*, vel Germanicè.

Komm Doctor, du must nun mit mir.
Jetzt kan kein Kraut mehr helffen dir.

Circa quod duæ doctrinæ suggerendæ. Primò *mortis inviolabilis lex.* Hîc enim rectiùs, quàm de statuto Medorum & Persarum dicitur, quòd non liceat immutare. Vid. Drex. in prodr. cap. 1. §. 25. 2. *Mortis memoria* refricanda,

& quemadmodum Seneca l. 8. Nat. suadet, cogitatione familiaris reddenda, ut, si ita fors tulerit etiam obviare illi possimus vid. ib. 26. §.

XII. Ex occasione Thematis: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Matth. 16. Pingi potest in Emblemate manus acum vel aliud Opificis instrumentum tenens cum hoc Lemmate. *Hæc cælum aperit*: Circa quod duo probanda, 1. Omnes homines posse DEI Cubicularios esse, & auream clavem charitatis à DEO acquirere cùm DEUS velit omnes salvos fieri, & ad hoc sufficientem gratiam concedat. 2. Clavem hanc non esse aliam, quàm instrumenta, quibus quisque pro suo statu utitur, juxta DEI voluntatem & bene placitum usurpata, ut indicavit Sartor ille ex Societate JESU, qui circa agonem acum petens, & eam in altum elevans dixit: En Fratres mei: Hæc clavis est, quam nunc mihi cælum aperturam spero, quia per illam opera ab obedientia præscripta ad DEI majorem Gloriam accuratè peragere studui. Idem proindè quomodo defunctus præstiterit, erit demonstrandum.

XIII. Ex occasione Thematis: *Ludens coram eo omni tempore* Prov. 8. Pingi potest in Emblemate Manus omnes lapides Latrunculorum (deß Schachspiels) in unam capsulam temerè proijciens cum hoc Lemmate: *Satis lusimus.* Circa quod duæ doctrinæ inculcandæ. 1. vitam humanam lusui Latrunculorum similem esse, in quo Rustici æquè ac Rex & Regina, aliósque digniores calculi ad eundem finem tendunt, & juvant, & sæpè plus præstat, & conducit ad lucrum lodi Rusticus, si munere suo rectè fungatur. 2. Post lusum finitum omnes homines promiscuè à morte in urnam proijci, neque ullum amplius aut Regis aut Rustici discrimen esse, atque adeò quemque suo statu & loco contentum vivere, sícque totum arbitrio Sapientiæ & Providentiæ divinæ in orbe hoc, ludenti nobiscum committere debere, uti defunctum fecisse ostendetur.

XIV. Ex occasione Thematis: *Nil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quòd nec aufferre quid possumus* 1. Tim. 6. Pingi potest in Emblemate linteum in pertica suspensum. Quod Salatinus Turcarum Rex in exercitu post mortem suam circumferri jusserat. Ut omnes agnoscerent, quid secum

ex mundo hoc extulisset; adscribi potest hoc Lemma, *vah ampla spolia mundi*, vel Germanicè.

O wol der Welt ein grossen Lohn!
Ein kurtzes Leilach tragst darvon.

Circa quod duo inculcari possunt; 1. *Vanitas rerum mundanarum*, ad quod abundantius explicandum serviet Parabola Barlaami de tribus amicis, quorum primus amicum à Judice citatum per aliquod spatium comitatus est: Alter linteum aut indusium obtulit; Tertius autem, quem omnium minimè amaverat, & sibi devinxerat, ad ipsum usque Judicem secutus, potenter defendit, & hic bona opera & vitam, primus mundum, secundus cognatos denotat. 2. *Soliditas bonorum operum*, ut quæ sola post mortem auferre licet, id quod prudenter feciſſe defunctum probandum est.

FONS VIII.

Ex Sepulchro.

EX hoc fonte licet rariores, vel ideò tamen utiles conceptus erui possunt, quod sepulchra variis rebus comparari, & Doctrinæ inde deductæ firmius memoriæ imprimi queant.

Itaque I. Ex occasione Thematis. *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis.* Cant. 8. Sepulchrum Scholæ comparari potest, ut ait S. Chrysost. Hom. de fid. & leg. natur. *Ante portas sunt sepulchra, ante agros sunt sepulchra, ut ubique ante oculos esset humilitatis schola, & doceret nos, in quod desinamus tandem, & videamus, qualia futura sint phantasmata.* Tria autem in hac schola potissimùm discenda. 1. Quid simus, nempè pulvis & umbra juxta illud Ecclesiæ: *Memento Homo, quia pulvis es, & in pulverem revertêris.* Hanc doctrinam benè didicit S. Franciscus Borgia ex funere Isabellæ Reginæ Hispaniæ conversus, & dicere solitus: Augustæ mors mihi vitam attulit. Rectè ergò S. Bernardus in sententiis dixit: *Tria hæc semper in mente habeto. Quid fuisti, nempè sperma fœtidum: Quid es? nempè vas Stercorum; quid eris, videlicet esca Vermium.* 2. Quantilli simus, quod nempè; ut S. Ambrosius l. de Naboth. c. 1. ait. *Cespes angustus æquè & pauperi abundet & diviti; Et terra, quæ viventi*

non

incipit affectum, totum iam divitem capiat. Hinc egregiè Philippus Imperator in Hippodromo ex equo delapsus, cùm impressam arenæ corporis sui figuram conspexisset, dixit: Ecce quàm exiguà nos arena capiet, qui totius orbis Imperium stultè affectamus. 3. Quid sint omnia mundana, nimirum vanitas vanitatum; Ita ut de illis dici possit, quod Daniel cap. ult. de statua Beli aurea destructa dixerat: Ecce quem colebatis. Ecce maxima vestra bona; Ita Christus Marc. 13. videtis has omnes magnas ædificationes, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur vid. Fab. in conc. fu. n. 1. 23.

II. Ex occasione Thematis: *Erat hortus, & in horto monumentum novum* Jo. 19. Potest comparari Cæmeterium horto ob tres causas. 1. Quia in Cæmeterio perindè ac in horto reperiuntur multæ arcolæ (**bettlen**) seu tumuli, quos aliqui dicunt tumentes uteros esse. 2. Quia in eodem etiam stili lignei cum notis, id est, cruces cum Inscriptione reperiuntur, ut dignoscatur, quisnam ibi sepultus sit; scilicet Christianus, characterem agni in fronte habens, ut eum Angelus à percussione servet. 3. Quia ex Cæmeterio varij homines scilicet boni & mali olim resurgent, & prodibunt, velut in horto flores, & zizania nascuntur. Hinc Apostolus: 1. Cor. 15. dixit, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Quare concludendum, quòd, etsi defunctus probabiliter inter flores sit nummerandus; quia tamen etiam flores, ut citò nascantur, & prodeant, irrigatione opus habent, ideò & ipse desideret, ut lachrymis, precibus, Sacrificiis, Eleemosynis, aliisve bonis operibus irrigetur. vide Fab. con. 2. funebri.

III. Ex occasione Thematis: *Vocatus est ager Haceldama, id est: Ager Sanguinis*: Matth. 27. Potest Cæmeterium agro comparari, (**einem Gotts-Acker**) dicíque repræsentatum jam olim per agrum illum, pretio, quo Christus est venditus, emptum; Idque ob tres causas. 1. Quia in illum cadavera perinde ut semen resurrecturа jaciuntur, teste S. Paulo 1. Cor. 15. *sic & resurrectio mortuorum* (intellige, erit sicut seminatio seminis) *seminatur in corruptione, surget in incorruptione; Seminatur*

in ignominia, surget in Gloria. 2. Quia est ager Figuli juxta illud Jer. 18. *Descende in domum Figuli, & ibi audies verba mea.* Sed quæ? *Ecce sicut lutum in manu Figuli, sic vos in manu mea domus, Israel.* Unde cavendum, ne in nos meritò dicatur illud Is. 45. *va qui contradicit Fictori suo de Samiis terra. Nunquid dicet lutum Figulo suo: quid facis?* 3. Quia ager sanguinis, id est, pretioso Christi sanguine emptus, imò etiam irrigatus, ut frumentum electum ferat. Incitandi proinde Auditores, ut defuncti cadaver libenter in hunc agrum seminent, & lachrimis aliisque operibus rigent, memores, quòd olim copiosum gaudiorum manipulum ex eo sint reportaturi juxta illud Ps. 125. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* vid. Fab. conc. funebri 3.

IV. Ex occasione thematis: *In tenebris stravi lectulum meum*: Job. 17. Potest sepulchrum lectulo comparari ob sequentes causas. 1. Quia in eo dormit, & requiescit defunctus juxta illud Christi. *Amicus noster Lazarus dormit.* Jo. 2. 2. Quia ibi cessatur à laboribus, eò quòd nox ingruerit, de qua Christus Jo. 9. dixit: *Venit nox, quando nemo potest operari.* Et S. Joannes Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* 3. Quia ibi exuitur veste mortalitatis, ut indumenta cælestis gloriæ indui queat juxta illud S. Pauli 1. Cor. 15. *Oportet enim hoc corruptibile induere corruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Excitandus itaque Auditor, ut Defuncto precetur voto & facto quietam noctem, dicátque cum Ecclesia: Requiescat in Pace.

V. Ex occasione Thematis: *Hic est titulus monumenti Rachel.* Gen. 35. Vel: *Posuerunt eum in monumento.* Act. 13. Dici potest, cur sepulchra monumenta vocentur, nempe ob tres causas. 1. Quia monent nos quid simus, & quid futuri simus: Nimirum quòd simus cinis & pulvis juxta illud Eccl. 10. *Quid superbit terra & cinis?* Hinc Philippus Macedoniæ Rex puerum sibi quotidie ter inclamare jussit. Philippe Homo es. Sed & monet, quòd erimus esca vermium, juxta illud Ps. 17. Job. *Putredini dixi Pater meus es, & soror mea vermi-*

vermibus. Nimirum continget, quòd ſtatuæ Nabuchodonoſoris, quæ ab unico lapillo dejecta eſt, contritáque ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta in favillam. 2. Quia monet nos, quorſum tendant labores noſtri, quòd nimirum omnia ſint vanitas, præter amare DEUM, & illi ſoli ſervire. Hinc DEUS Levit. c. 1. juſſit plumas avium immolandarum & veſicularum gutturis in locum cineris abijci, ut oſtenderet divitias & opes, & delicias ciborum, omnia tandem in ſepulchro cum cadavere perire. Hinc illi Sap. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles. Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum iactantia, quid contulit nobis? Tranſierunt illa omnia tanquam umbra.* 3. Quia monent nos, ut memores ſimus defunctorum, & non permittamus locum apud nos habere commune adagium: *Ex oculis, ex animo.* Hinc veteres ſepulchris cordis figuram inſculpere ſolebant, ut ſignificarent, ſe corde illis adhuc conjunctos eſſe, & in ultima neceſſitate non derelicturos. vide Fab. conc. fu. ſeptima.

VI. Ex occaſione thematis: *Scio, quia morti trades me, ubi conſtituta eſt domus omni viventi.* Job. 30. Sepulchrum comparari poteſt domui ob tres cauſas. 1. Quia ibi nati ſumus, & eſt domus noſtræ Proſapiæ, das Stamm-Hauß Nam *formavit DEVS hominem pulverem de terra.* Gen. 2. Hinc ab hoc fundo primus Homo Adam ab Adama ſeu terra dictus. 2. Quia in hac domo habitare debemus uſque ad diem judicii juxta illud Pſ. 48. *Et ſepulchra eorum domus illorum in æternum.* 3. Quia in illo nobiſcum habitat Familia noſtra tota. Hinc Hebraicè domus Machid, id eſt, Congregationis vocatur, uti Jacob Patriarcha indiçavit, dum Gen. 39. dixit, *Ego congregor ad populum meum, ſepelite me cum Patribus meis.* Hinc etiam DEUS Levit. cap. 25. Legem ſtatuit; Ne terra venderetur in perpetuum (ſeu in proprietatem, ut Chaldaicus textus ait) Quia jure naturæ eſt communis omnium Mater, ut concilium Tiburienſe cap. 16. aſſerit. Gratulandum ergo, quòd in hac domo pacificè quieſcere ei conceſſum ſit, optandúmque, ut brevi in aliam domum non manufactam transferatur.

VII. Ex occaſione thematis: *Dies mei pertranſierunt ſicut navis.* Job. 9. Sepulchrum Telonio (einem Zoll-Hauß)

comparari potest. Et 1. dici, quòd, ut S. Gregorius lib. 6. Epist. 26. ait, sit naviganti similis, qui undique à fluctibus hujus calamitosæ vitæ deprimitur ac impetitur. 2. Quòd Telonium, ubi omnes vectigal pendere debemus, sit sepulchrũ, ibi enim omnes implere debemus, quod S. Paulus Heb. 9. dixit: *Statutum est omnibus semel mori, & post hoc iudicium.* 3. Quòd post hoc debitum solutum tandem facultas exscendendi ad portum concedatur. Quare excitentur Auditores, ut quoniam fortè adhuc Pars aliqua deest vectigalis persolvendi, ipsum in eodem persolvendo juvare conentur, ut citiùs ad portum appellere possit. vide Fab. con. fun. 6. 2.

VIII. Ex occasione thematis: *Ingredieris in abundantia in sepulchrum. Sicut infertur acervus Tritici in tempore suo.* Job. 5. comparari potest sepulchrum Horreo, & 1. dici. Quòd sicut triticum & palea simul in Horreum portantur, ita & justi cum injustis in sepulchrum. 2. Quòd triturentur à morte, quæ, sicut Job. 18. dicitur, *Calcat super illos, quasi Rex interritus.* 3. Quòd excutiantur, & ventilentur à DEO, *cuius ventilabrum est in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit Triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Math. 3. Excitentur proin Auditores, ut & ipsi ventilabrum in manus sumant, & paleas, si quæ adhuc Defuncto conjunctæ sunt, excutere suis operibus studeant.

FONS IX.

Ex ætate.

HIc Fons, si ullus copiosissimam affert materiam pro Exhortationibus, utpote, qui totidem particulares rivos, quot genera ætatis continet.

PRO INFANTE.

Itaque I. Ex occasione Thematis: *videte: Ne unum contemnatis ex his pusillis.* Math. 18. Dicendum, quòd olim Thraces & Frausivicini habuerint consuetudinem plorandi in Nativitate Infantis, & gaudendi in morte illius. Hanc autem multò magis in morte Catholicorum & Baptizatorum observandam esse, atque adeò ob tres causas gaudendum. 1. Quia certò Regnum cælorũ possident; si ergo gauderent parentes

tentes & cognati, si fortè Rex Hispaniæ aut Galliæ Titium natum ad se vocâsset, atque in Successorem Regni destinâsset, etiamsi illum nunquam ampliùs viderent; quantò magis gaudere deberent, si eum à supremo Imperatore DEO vocatum, & Regem cæli constitutum esse credant? 2. Quia DEUS ipse & Sancti, tum Angeli, tum alii Cælites gaudent summè de morte talis Infantis, quatenus numerum Sanctorum DEUM laudantium auctum advertunt. An non ergo his potiùs, quàm imperfectis Hominibus de morte tristantibus conformare nos decet? 3. Quia DEUS magis illum diligit, quàm Parentes, magísque Patris nomen meretur, ut qui corpus & animam illi dederit; cùm ergo haud dubiè ideò mori tam maturè illum permiserit, quia magis ad suam Gloriam, & ipsius Infantis bonum hanc mortem conducere advertit, cur non & Parentes approbent hoc decretum, Filióque majus bonum gratulentur, & gaudeant? vid. Pist. **In dem allgemeinen Klaghauß** con. 1.

II. Ex occasione Thematis: *Placita erat DEO anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Sap 4. Afferri possunt causæ, cur DEUS Infantes immatura morte eripiat, quorum tres sunt potissimæ. 1. Propter bonũ Infantis ut eum à gravioribus malis eriperet. Hanc rationem Salomon Sap. cap. 4. indicavit, dum ait; *Placens DEO factus est dilectus, & vivens inter Peccatores translatus est; Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animã illius.* Sic Rebecca Jacobum mittebat aliò, ne eum per insidias Esau amitteret. Gen. 47. & Josaba filia Regis Joram furabatur Joam Filium Ochoziæ, & occultabat, ne ab Athalia occideretur. 4. Reg. 11. 2. Propter bonum parentum; partim ut castigati propter peccata sua, quæ sæpè ex occasione Filiorum committunt, deinceps ab ijs desistant, sicut Davidem castigavit ereptione Filij ex Adulterio nati. 2. Reg. 12. Et Valentem Imperatorem morte filij, quia ad eum Hæreticos vocaverat: partim ne amore nimio Liberorum ab amore DEI & salutis propriæ cura avocentur. Quam rationem S. Chrysost. verbis his insinuat hom. 6. in Epist. ad Thess. *Quomodo non putas DEVM irritari? Nam ob id ipsum plerumque Filios auffert, ne ad illum modum illis alligata sis, ut spem tuam ab eo auferas; æmulator enim est DEVS, & vult à nobis omnium ma-*

um maximè diligi, idque ea ratione, quòd nos admodum vehementer amat. Propterea & DEVS illum tibi abstulit. Sic Mariti mortem interpretata est S. Melania, quæ eo mortuo gratias DEO egit, & dixit: *Iam expeditius servitura sum tibi, Domine, quia tanto me onere liberâsti,* ut S. Hieronymus testatur Apoc. 25. 3. Propter bonum aliorum hominum; ut discant mortem timere; Si enim in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet? Sic Filij David videntes Amanem à Fratre Absolone occisum, omnes conscenderunt mulos suos, & ad Patrem fugerunt; sic & pulli Gallinacei videntes unum ab accipitre abreptum, sub matris alas confugiunt. vide Pistor. conc. 2. & Fab. conc. fu. 32. n. 3. 4. & 5.

III. Ex occasione Thematis: *Melior est dies mortis die Nativitatis.* Eccl. 7. ostendi potest, quàm bene actum sit cum Infante mortuo ob duplicem causam: Propter terminum, *à quo* discessit, scilicet à mundo, qui est miseriarum vallis & lachrymarum. Hinc & Plautus dicere solitus: Quem Dij diligunt, Adolescens moritur. Et Sylenus à Rege Mida interrogatus, quæ maxima esset Hominis felicitas? respondit, nunquam natum esse, vel citò mori. Hinc & Job. 3. & Jeremias cap. 20. maledixerunt diem, in qua nati sunt. 2. Propter terminum *ad quem*, scilicet propter Beatitudinis possessionem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; de qua nunc Infans securus est, nec unquam redire cupit. Cur ergo & non parentes gaudeant, ibidem ipsum appulisse, quo ipsi venire tantopere desiderant?

IV. Ex occasione Thematis: *Descendam ad Filium meum lugens in infernum.* Gen. 37. Dici potest 1. evenisse videri Patri hujus Infantis, quod Jacobo olim contigit, dum ille multò verius, quam iste dicere potest: *Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph* (id est, mors repentina, quæ Filium sustulit.) *Descendam itaque lugens ad eum in Infernum.* ostendatur subinde lugendi causa ex qualitatibus Infantis. V. G. pulchritudine, amabilitate, integritate &c. 2. Consolari poterit Parentem dicendo venturum olim tempus, ut Filium suum perinde ac Jacob suum Josephum recipiat, dicátque: *Sufficit mihi, si adhuc Filius meus vivit, vadam & videbo eum.* Gen. 45. Habeat proin patientiam, donec optatum tempus adveniat.

V. Ex

V. Ex occasione Thematis: *Nunquid potero revocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum: Ille verò non revertetur ad me.* 2. Reg. 12. ostendi potest, quomodo se Parentes gerere debeant in Liberorum morte. Et 1. quidem, quòd cogitare debeant, quòd sæpe Liberi propter ipsorum peccata in matrimonio commissa puniantur, sicut Filium David propter Adulterium cum Bersabæa commissum punivit. 2. Quòd possint meritò dolorem concipere ob Liberorum periculum, quia juxta commune proverbium: **Kinder komen von Hertzen / vnd gehen wider zu Hertzen.** Atque adeò DEUM pro salute eorum deprecari, sicut David deprecatus est pro parvulo, & jejunavit, & super terram jacuit. 3. Quòd, si mortuus est filius, non debeant immodicè lugere, sed divinæ ordinationi & voluntati se submittere, sperantes, quòd aliquando sint ad ipsum venturi. Sic David post mortem Filii totus & unctus est, ingressus est domum DEI, adoravit, venit in domum suam, petijt panem, consolatus est uxorem suam, & prudenter respondit mirantibus: *Nunc quia mortuus est, cur ieiunem?*

VI. Ex occasione Thematis: *Exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reversa est anima Pueri in eum, & revixit.* 3. Reg. 17. ostendi potest, quòd idem ferè Parentibus defuncti Infantis contingat, quod scilicet gravissimè sentiant Filij mortem, & quodammodo quærantur ad DEUM: *Quid mihi & tibi, ô DEUS, Nunquid ingressus es ad me, ut renumerarentur iniquitates meæ, & interficeres Filium meum?* 2. Quòd Christus post mortem in lectulo seu sepulchro eum posuerit, ibique trina vice expanderit se super Puerum, quatenus ei assimilatus est, in utero per conceptionem, in vita per nativitatem, in morte per resurrectionem. 3. Quòd Anima hujus Infantis suo tempore reversura sit ad corpus, ipséque à Christo restituendus sit matri suæ, dicendúmque: *En vivit Filius.*

PRO ADOLESCENTE.

VII. Ex occasione Thematis: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Sap. 3. Vel: *Placens DEO factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est*: ibidem dici potest, quòd Infanti huic acciderit verè, quòd Ganymedi olim

lim contigisse falsò & fictitiè fabulæ narrant. Potest ergo comparari Felicitas Adolescentis hujus cum Ganymede ex triplici capite. 1. *Ex dignitate rapientis*; cùm hic raptus sit à DEO vero & summo Domino, ille à falso. *Ex finis præstantia*; propter quem raptus est, non ut ministret, sed regnet; Non ut pocula & epulas alteri porrigat, sed ipse fruatur, & gustet; Non ut vultu suo DEUM recreet, sed ipse DEI aspectu summè delectetur. 3. Ex loci, ad quem raptus est, amœnitate & pulchritudine; De quo dixit David Ps. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*: unde inferendum, si olim Ganymedes beatus reputatus est ob talem raptum, & nemo non illi sortem suam, licet fictitiam gratulatus est; quantò magis conveniat tristitiam moderari ob raptũ defuncti Adolescentis, suámque illi verissimam & summam felicitatem gratulari?

VIII. Ex occasione Thematis: *Doleo super te, Frater mi, Ionatha, Decore nimis & amabilis super amorem mulierũ, sicut mater unicum amat Filium, sic ego te diligebam.* 2. Reg. 1. ostendi potest: Quòd justus dolor concipiatur ex Defuncti morte. Eò quòd decorus nimis & amabilis fuerit propter varias dotes & qualitates: v. g. Ingenium, Formam, corporis Indolem, profectum in scientiis, & virtutibus, quales oportet breviter commemorare. 2. Dici potest hoc ipso, quòd tam amabilis fuerit, maturè subtrahendum fuisse; ne corrumperetur, sicut bonus Paterfamilias maturos fructus decerpit, ne computrescant: Pater videns Filium in periculo vastari inter cæteras Nationes, mox revocat in patriam: Hortulanus flores teneros & delicatos in cella recondit, ne frigore perimantur. Itaque magis gaudendum, quàm tristandum.

IX. Ex occasione Thematis: *Ecce efferebatur Filius unicus matris suæ.* Luc. 7. ostendendum varios assignari Portatores, qui Adolescentes ad sepulchrum deportent, bonos scilicet & malos. Et 1. quidem pro malis plerumque assignari hos quatuor Inobedientiam, luxuriam, Gulam, Temeritatem, de quibus videri potest Fab. Dom. 15. Pente. con. 3. Quos tamen in defuncto Adolescente non repertos fuisse probetur. 2. Pro bonis assignari voluntatem seu Gloriam Dei, meritis

merita Adolescentis, commodum Parentum, utilitatem in alios tum senes, tum præcipuè Adolescentes ex tali morte redundantem, quæ proin causæ breviter ostendantur.

X. Ex occasione Thematis: *Et dedit illum matri suæ.* ostendi potest, quantum solatium capere debeat Mater Adolescentis; aliíque cognati ex eo, quòd sperare & ipsi possint, quòd Christus iterum daturus sit hunc Adolescentem, non jàm mortalem, ut illi matri dedit. sed immortalem; non variis miseriis subjectum, sed innumeris delitiis affluentem; non periculis salutis expositum, sed de felicitatis suæ perenni duratione securum. Quàm meritò proinde dicatur matri: *Noli flere*; & illud S. Pauli Thess. 4. *Nolumus ignorare vos, Fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut cæteri, qui spem non habent.*

XI. Ex occasione Thematis: *Mortuúsque est Aran ante patrem suum, in terra Nativitatis suæ in Vr Chaldæorum.* Gen. 2. Possunt tres salubérrimæ Doctrinæ afferri. 1. Quòd istè Aran primus fuerit, qui ante Patrem mortuus est, & hoc S. Scriptura tam signanter notârit, ut innueret mortem nemini parcere, juxta notum illud: *Mors servat legem, tollit cum paupere Regem. Nullus eum emollit, Juvenem unà cum sene tollit*: *Contra vim mortis non est medicamen in hortis.* **Wann GOtt will / ist vnser Zill** 2. Quod specialiter etiam S. Scriptura commemoret, eum in Patria esse mortuum inter suos, ut hoc pro speciali beneficio agnoscendum esse indicaret. Hinc DEUS Jer. 22. *Minatus est tanquam gravem pœnam: Et mitte te, & matrem tuam, quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini.* Certè magna est consolatio à suis oculos claudi. 3. Quòd mortuus sit in Ur Chaldæorum, id est, in gratia & charitate (nam Ur ignem significat) & ideo beatus juxta illud: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Apoc. 14. **Wohl sterben / ist nicht verderben. Der gute Todt / hilfft auß der Noth. Andere Zeit / andere Freud.**

XII. Ex occasione Thematis: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Sap. 4. Dici potest, sicuti fructus alij citiùs matureścunt, atque adeò citiùs decerpi debent, ita & Hominibus idem evenire. Talem autem Fructum fuisse defunctum Adolescentem, utpote quem maturum cælo fuisse colligi potest ex tribus indiciis, ex quibus pomorum & aliorum

rum fructuum maturitatem colligere plerumque solemus. 1. *Ex colore*: Per quem Modestia externa intelligitur, quæ qualis fuerit in hoc Adolescente, per partes ostendatur. 2. *Ex odore*: per quem bonum Exemplum intelligitur, quod tam sui similibus, quàm aliis, & præcipuè parentibus dedit, dum studuit proficere ætate, sapientiâ, & gratiâ, ita ut jure de eo dicere posset Parens cum Isaac Gen. 27. Ecce odor. Filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. 3. *Ex sapore*, per quem intelligi potest vitæ innocentia, quia nil puerile, aut non satis excoctum, id est, passionum inordinatarum habebat.

PRO PUELLA VEL VIRIGNE:

XIII. Ex occasione Thematis: *Despondi vos uni Virum Virginem castam exhibere Christo.* 2. Cor. 2. ostendi potest non habere parentes causam plorandi, cùm Filia Sponso optatissimo, scilicet Sponso cœlesti seu Christo desponsata, & jam in thalamum introducta sit, ut piè credere fas est. Describatur qualis sit Sponsus per conditiones in Sponso plerumque requiri solitas à Sponsa, videlicet 1. Ut sit pulcher. 2. Ut dives. 3. Ut nobilis. 4. Ut sapiens. 5. Ut sanus. 6. Ut amabilis & mansuetus. Quæ omnia in Christo facile erit ostendere. Claudatur Exhortatio illis verbis: Apoc. 19. *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt Nuptiæ, & uxor eius præparavit se.*

XIV. Ex occasione Thematis: *Et quæ parate erant, introierunt cum eo ad nuptias.* Math. 25. ostendi potest, quam meritò defuncta virgo ad nuptias cælestes evocata sit. Quia scilicet parata erat. Et 1. quidem tota mundata in balneo Pœnitentiæ; ita ut dicere de ea Sponsus posset: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant. 4. 2. Quia ornata aureo vestitu Charitatis: de quo Psalm. 44. *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* 3. Quia pretiosis monilibus variarum virtutum erat ornata, de quibus S. Agnes ut in Officio illius videre est, dixit: *Dexteram meam & colum meum cinxit, lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis margaritas æstimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus & coruscantibus gemmis.* Claudenda proin erit Exhortatio, & dicendum, quòd Filia Parentes suos perinde, ut olim S. Agnes de-

cælis apparens, suos alloquatur: *Ne me mortuam Parentes lugeatis, quia unà cum his virginibus vivo apud illum in cælis, quem in terris dilexi.*

XV. Ex occasione Thematis: *Simile est regnum cælorum decem virginibus.* Math. 25. ostendi potest, quòd meritò defuncta in cælum intromissa credatur. 1. Quia *Virgo* erat, & sæ virginitatis conservandæ singularem curam gerens, diligenter fugiendo otium, malas occasiones, & societates. 2. Quia *prudens* erat, diligenter considerando, quantò satiùs esset Christum quàm alium sibi in Sponsum assumere, utpote qui solus, teste Sponsa Cant. 5. candidus & rubicundus, electus ex millibus est. 3. Quia *lampadem cordis paratam*, & oleo Charitatis accensæ bene instructam habebat; unde oportebit ostendere, quomodo hanc Charitatem erga DEUM & Proximum ostenderit, itáque gratulandum ei potiùs, quàm ex ejus discessu tristandum sit.

XVI. Ex occasione Thematis: *Surgam, & circuibo civitatem per vicos & plateas, & quæram, quem diligit Anima mea.* Cant. 3. explicari potest ardentissimum Virginis desiderium, quo Christo copulari per amorem desideravit, simúlque causæ explicari, ob quas tantopere eum amaverit, scilicet propter eas, quas S. Agnes indicaverat, dum dixit: *Amo Christum, in cuius thalamum introibo, cuius mater Virgo est, cuius pater faminam nescit. Cuius mihi organa modulatis vocibus cantant; quem cùm amavero, casta sum; cùm tetigero, munda sum: cùm accepero, virgo sum: ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum promisit.* Excitandi proin Auditores, & præcipuè virgines, ut & ipsæ hunc Sponsum eligant, dictúmque sibi ab eo putent. Quod 1. Reg. c. 1. Elcana Uxori suæ dixit: *Nunquid tibi non ego melior sum, quàm decem Filii* (aut Sponsi) dicant proinde cum S. Agnete: *Te confiteor labiis, te corde, & totis viribus concupisco.*

XVII. Ex occasione Thematis: *Esther quoque inter alias puellas tradita ei est, ut servaretur in numero faminarum, quæ placuit ei, & invenit gratiam in conspectu illius.* Esther. 2. Dici potest defunctæ Virgini evenisse, quòd olim sacri fasti Estheri contigisse memorant; Nam & DEUS. 1. quæri jussit puellas, id est, Animas speciosas, quæ loco Vasthi, id est Luciferi, seu Angelicæ rebellísve naturæ ei copularentur. 2.

Ut Esther non quæsivit mundum muliebrem, id est, vanum & sæcularem, sed naturali, id est, à ratione, & fide sibi dictata pulchritudine seu innocentia vitæ contenta, placuit DEO præ aliis puellis sive animabus, ideóque jussit Is accelerari præparationem illius, & dedit illi socias septem puellas speciosas, id est, tres virtutes Theologicas, & quatuor Cardinales. 3. Ut Esther ducta est post mortem à suo Angelo Custode ad cubiculum supremi Regis, & adamavit eam Rex plus, quàm omnes mulieres, habuítque gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres. Et posuit Diadema regni in capite ejus, dixítque: *Quæ est petitio tua Esther, ut detur tibi, & quæ vis fieri? & si dimidiam partem Regni mei petieris, dabitur tibi.* Itaque gaudendum cum Mardochæo ob talem Filiæ assumptionem negotiáque ei nostra, quæ coram DEO feliciter transacta cuperemus, commendanda.

XVIII. Ex occasione Thematis: *Heu me Filia mea decepisti me, & ipsa decepta es.* Jud. 2. Narrari inprimis potest Historia de Filia Jephte DEO immolata, & tres ex ea doctrinæ eruendæ. 1. Quàm verè dicere possit Parens defuncta: Decepisti me, & decepta es. Quia nec Ego, nec tu, nec alij putabant, te tam citò morituram. unde meritò Mors inexspectata accidit. vid. Drex. in prod. cap. 1. §. 20. 2. Quòd sicut Jephte eam diligenter offerebat DEO; quia sic DEUM per voti Religionem ab eo exigere arbitrabatur, ita & Parentes, quia sic DEUS exigit, libenter Filiam suam eidem in Sponsam offerre debeant, eíque tantam felicitatem gratulari. 3. Quòd, sicut Filia Jephte, antequam DEO immoleretur, in sylvis flevit duobus mensibus, ita fortassis & Filia hæc in purgatorio defleat, & luat præteritam vitam suam, atque adeò excitandi Auditores ut comitentur illam, & fleant cum illa, donec redeat ad Patrem suum cælestem, ibíque DEO tota consecretur, & desponsetur.

XIX. Ex occasione Thematis: *Tolle Filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac.* Gen. 22. Potest in Filii vel Filiæ unigenitæ morte ostendi quàm præclaram habeant Parentes occasionem, Abrahamum, in immolatione Filij, imitandi, imò superandi. Itaque dictum sibi primò putent: Tolle Filium vel Filiam tuam, quam diligis. 2. Consurgant, fligent Filium & ponant in Sarcophago, velut lignorum struc.

3. Ex-

3. Extendant manum, arripiant gladium egregiæ conformationis cum divina voluntate, dicántque cum Jobo: *Dominus dedit hunc Filium vel Filiam: Dominus abstulit. Sit Nomen Domini benedictum.* 4. Sperent se à DEO audituros: *Per memetipsum iuravi, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti Filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli.*

PRO MARITO.

XX. Ex occasione Thematis: *Occupatio magna creata est omnibus Hominibus, & iugum grave super Filos Adam.* Eccl. 40. Probari potest, quàm grave jugum ferant conjugati propter morum diversitatem, alimentorum difficultatem, Liberorum carentiam, vel malos mores eorundem, famulorum inobedientiam & Infidelitatem, separationem in morte, ubi tantò gravior est dolor, quantò major præcessit amor, juxta notum illud: **Was hertzt/ das schmertzt. Was liebt/betrübt.** 2. Inferri potest, cùm ab hoc onere modò uterque Conjux liberatus sit, & Maritus insuper, ut spes est, ad æternam quietem in cælis capiendam admissus, quòd non modò tristari non debeat, Uxor ob Mariti obitum, sed gaudere cum Melania Romana Matrona, quod nunc expeditiùs sibi & Deo vivere, & servire queat.

XXI. Ex occasione Thematis: *Quis, putas, est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam, ut det illis cibum in tempore suo?* Math. 24. ostendi potest quàm perfectè defunctus officium boni Patrisfamilias gesserit. Et 1. quidem, quàm fidelis fuerit respectu DEI in mandatis ejus exactè observandis, & perfecta conformatione voluntatis suæ cum divina in omnibus casibus, præcipuè mortis tempore. 2. Quàm prudens fuerit respectu sui, quatenus scilicet ita aliorum curam gessit, ut suam salutem propriam omnibus præferret: ita temporalia administravit, ut omnia ad spirituale & æternum lucrum per bonam intentionem dirigeret. 3. Quàm fuerit liberalis & sedulus in Familia regenda, providendo non modò corporalem cibum refectionis, sed etiam spiritualem solidæ Instructionis & paternæ correctionis in tempore suo; unde non dubitandum esse, quin DEUS nunc juxta promissionem suam super omnia bona cum constitue-

rit, atque adeò omnes ei gratulari & congaudere debeant.

XXII. Ex occasione Thematis: *Pater noster, qui es in cælis.* Math. 6. ostendendum, quòd Liberi & Amici nunc post mortem dicere possint, quòd B. Aloysius post mortem sui Patris dixisse fertur: Nunc verè dicere potero. Pater noster, qui es in cælis: Itaque probari poterit, quòd Patris officium de cælis perfectius erga eos sit obiturus, quàm in terris fecerit. 1. Quia magis ibi eos diligit, cùm non DEI Charitas duntaxat, sed proximi etiam, & Propinquorum innumeris partibus sit aucta. 2. Quia clariùs cognoscit eorum miserias, & necessitatem, magísque æstimare novit, maximè salutis incertitudinem, & æternæ mortis incurrendæ periculum. 3. Quia potentior est ad succurrendum, cùm preces ipsius & ardentiores sint ob affectum; & DEO gratiores propter perfectionem: Quare gaudendum potiùs de Patris & Amici obitu, quàm dolendum, eíque cura sui & suarum rerum toto pectore committenda.

PRO UXORE.

XXIII. Ex occasione Thematis. *Ecce Mater tua.* Jo. 19. Narrari potest ex Speculo Exemplorum pulchra illa Historia de Matre, quæ, cùm filios suos alere se posse diffideret, ambos in templum duxit, suúmque in illos maternum jus Virgini Matri transscripsit, & mox mirabiliter illis prospectum vidit, uti in cit. Spec. dist. 9. ex. 116. narratur. unde dici potest, quòd Mater defuncta idem respectu Liberorum suorum faciat, atque adeò hi non immoderatè tristari, sed potiùs de meliori Matre gratulari sibi debeant, & ad eam deinceps confugere.

XXIV. Ex occasione Thematis. *Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Psal. 26. Dici potest, quòd Mater defuncta nunc imitari videatur Struthionem (einen Strauſſen) Qui, cùm ova sua parit, foveam in arena facit, eáque sabulo operit, solíque excoquenda relinquit. Quod, ubi est factum, Pullúsque perfectus prodiit tum demum Mater denuo ipsum cum gaudio cognoscit, & nutrit. Simili ergo modo Mater Liberos suos DEO committit, illáque ad eos verba S. Pauli cap. 5. usurpat: *Humiliamini sub potenti manu DEI, ut vos exaltet in tempore visitationis,* solici-

sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Excitandi proinde Liberi ad fiduciam erga hanc suam Matrem concipiendam; reliqui verò Auditores ad Exemplum hujus Matris imitandum.

PRO VIDUA.

XXV. Ex occasione Thematis. *Viduas honora: quæ verè Viduæ sunt.* 1 Tim. 5. ostendi potest, quàm verè Vidua fuerit, quæ defuncta est imitando Turturem, quæ plerumque pro Exemplo Viduis proponitur. Et primò quidem, quòd post obitum Mariti non ampliùs nupserit, ut DEO faciliùs servire posset. 2. Quòd, ut turtur perpetuò gemuerit, id est, orationi & cælestibus suspiriis vacaverit. 3. Ut turtur nulli ampliùs viridi ramo insederit, id est, omnes vanitates mundanas repudiaverit, solas cælestes delicias consectata. Quæ omnia fusius proponi & Exemplis illustrari possunt. vid. Pist. conc. fun. 16.

XXVI. Ex occasione Thematis. *Luxitque eam omnis populus diebus septem.* Judith. 16. Dici potest, quòd meritò etiam Auditores lugendi causam habeant, eò quòd alteram Judith in Vidua defuncta amiserint; Nam primò & ipsa virtuti castitatem junxerat, dum, ex quo vir ejus defunctus est alium virum non cognoverat. 2. Quia & ipsa cum suis Puellis diligenter clausa morabatur, & jejunio ac orationi indesinenter vacabat. 3. Quia timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de ea verbum malum. 4. Quia Holofernem longè potentiorem, scilicet, varios sollicitatores ad libidinem vel Matrimonium generosè superavit. Ob quam causam meritò ei suo modo acclamari poterat: *Tu Gloria Jerusalem. Tu lætitia Israël. Tu honorificentia Populi nostri.*

PRO SENE.

XXVII. Ex occasione Thematis. *Corona dignitatis senectus, quæ in viis Justitiarum reperietur.* Prov. 16. Dici potest meritò coronam dignitatis vocari senectutem in via Justitiæ consumptam, quia triplici ex titulo eam meretur. 1. *Propter senectutem naturalem*, de qua dixit Ecclesiasticus c. 8. *Ne spernas Hominem in senectute sua; etenim ex nobis senescunt.* 2. *Propter senectutem moralem*, de qua dixit Salomon. Sap. 4. *Senectus*

nectus venerabilis est non diuturna, nec annorum numero computata; Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata. Consummatus in brevi explevit tempora multa. 3. *Propter senectutem æternam*, de qua Apoc. 5. *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum, id est, Sanctorum, Agnum stantem.* Excitentur proin Auditores ad honorem ultimum exhibendum, qui est sepultura Christiana, id est, cum auxilio spirituali conjuncta.

XXVIII. Ex occasione Thematis: *Timor Domini apponet dies, & anni lustorum abbreviabuntur.* Prov. 10. ostendi potest, quòd, etsi Senectus per se sit venerabilis, multò tamen per se sit honorabilior, si ex tam bona & honorata radice, scilicet timore Domini proveniat, esse autem timorem Domini causam longæ vitæ, colligitur ex triplici causa. 1. Quia DEUS est, qui habet vitæ & mortis potestatem, & deducit ad portas mortis, & reducit: uti Sap. 16. dicitur. 2. Quia, ut ibidem dicitur, Homo per malitiam suam occidit animam. Et ut S. David Ps. 54. ait, *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos; Atqui timor Domini expellit peccatum*, teste Eccl. cap. 1. Hinc Moyses Deut. 30. sic allocutus est Israelitas: *Testes invoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum: Et diligas Dominum DEVM tuum, & obedias voci eius, & illi adhæreas. Ipse enim est vita tua, & longitudo dierum tuorum, ut habites in terra, pro qua iuravit Dominus Patribus suis.* 3. Quia *timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione illum DEVS conservabit, & liberabit à malis.* ut Ecclesiasticus c. 33. ait: Hinc Salomon Prov. 3. hoc hortatur. *Time Dominũ, & recede à malo; Sanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio ossibus tuis.* Gratulandum proin Defuncto ob tam honestum senectutis Titulum. Atque ad eundem titulum Auditores excitandi.

XXIX. Ex occasione Thematis. *Et* (Abraham) *mortuus est in senectute bona, provectáque ætate, & plenus dierum congregatus est ad populum suum.* Gen. 25. Dici potest hoc fuisse pulcherrimum Abrahami Elogium, omnibúsque notandum videri autem non immeritò etiam attribui ipsi defuncto. 1. Quia & ipse mortuus est in senectute bona, id est, honorata; nam, ut supra ex Prov. dictum; *Corona dignitatis senectus,*

qua

quæ in viis Iustitiæ reperitur, &, ut idem Sap. 4. ait, *Senectus honorabilis est diuturna, neque numero annorum computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* 2. Quia & in provecta ætate mortuus est, id est, procul vectâ, dum non tantùm in ætate, sed etiam sapientiâ, gratiâ, & meritis quotidie crescere studuit. 3 Quia plenus dierum, id est, meritorum tam apud DEUM, quam apud Homines discessit; ita ut meritò illi applicetur, quod S. David Ps. 72. dixit: *Et dies pleni inveniuntur in eis*; non verò menses vacui, de quibus Job. cap. 7. locutus est. Itaque excitandus Auditor, ad plenam etiam laudem defuncto tribuendam, & imitationem procurandam.

PRO ANU.

XXX. Ex occasione Thematis. *Vixit autem Sara 127. annis, & mortua est.* Gen. 23. Dici potest videri hodie alteram Saram mortuam. 1. Quia & ipsa defuncta erat *Sara*, id est, *Domina* suarum cupiditatum, & *odorans* seu *boni odoris* per bonum Exemplum dati. 2. Quia ut Sara implebat illud S. Petri. 1. cap. 3. *Quorum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis Homo in incorruptibilitate quieti & modesti Spiritus, qui est in conspectu DEI locuples, sic enim & sanctæ mulieres sperantes in DEO amabant se.* 3. Quia sicut Sara obediebat Abrahæ Dominum eum vocans, ibid. ita & ipsa suum Maritum honorabat, eique in omnibus obediebat. Hinc & Apost. Coloss. 3. Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in Domino, imò sicut Domino, & sicut Ecclesia est Christo subjecta. Eph. 5. 4. Quia ut Sara erat maximè patiens in sterilitate, & in improperiis Ancillæ portandis, & in imperata immolatione filii unigeniti, ita & hæc Anus in adversitatibus Viri, asperitate morbi, morte &c. Itaque sicut Abraham luxit Saram; ita etiam meritò sui hanc Anum, sed ita, ut observetur illud Eccl. 22. *Modicum plora super mortuum, quoniam requievit.*

FONS X.

Ex variis Statibus.

Hic Fons meritò inter copiosissimos censeri potest, ut qui plurimos alios, eósque uberrimos fontes in se comprehendit,

hendit, ex quibus tamen tantùm potiores seligentur, & ex quovis unus altérve conceptus eruetur. Ex his enim non erit difficile plures ejusmodi conceptus invenire.

PRO SACERDÔTE.

I. Ex occasione Thematis. *Ascenditque Aaron Sacerdos in montem Hor iubente Domino, & ibi mortuus est.* n. 33. Potest Sacerdos mortuus Aaroni comparari ob triplicem causam. 1. *Ob electionem*, quia & ipse designatus est Sacerdos per potestatem Sacerdotalem tanquam virgam, ex qua turgentibus gemmis bonorum operum eruperunt flores variarum virtutum (quarum aliquæ recenseri possunt) & foliis dilatatis in amygdalas, id est, solatium proprium, & subditorum formati sunt, vid. n. 17. 2. *Ob officium* quod gerebat, scilicet, ut esset Socius Moysis (id est, Christi.) Nam & de ipso dicebat quasi DEUS ad Christum quod Moysi Exod. cap. 4. dixerat: *Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: Tu autem eris ei in his, quæ ad DEVM pertinent.* Hinc tam sanctè & castè eloquia DEI tractavit; Item offerebat Sacrificia, & incensum suavissimum orationis, quæ facilè etiam Sacerdoti defuncto applicari possunt, simúlque ostendi, quod longè perfectius hæc omnia officia exercuerit. 3. *Ob mortem*; quia & Sacerdos, in montem Hor, id est, perfectionis ascendere jussus est cum Aaron, ibíque libenter mortuus est, usurpans illud Simeonis. Luc. 2. *Nunc dimittis servum tuum, Domine, quia toties non viderunt* tantùm, sed etiam tetigerunt, & gustaverunt *oculi* & sensus *mei salutare tuum.*

II. Ex occasione Thematis: *Senuit autem Ionatha plenus dierum, & mortuus est.* 2. Par. 24. Pulchrè comparari potest Sacerdos Jonathæ. 1. Quia refici, & instaurari curavit domum ad cultum DEI, uti l. c. legitur. 2. Quia erat plenus dierum, id est, meritorum erga DEUM propter legitimum cultum; erga Ecclesiam propter fidelitatem in defendendis cæremoniis & fide Catholica: Erga Parochianos propter fidelem administrationem officii; erga suos domesticos & consanguineos propter sincerum & paternum amorem. 3. Quia & ipse cum Regibus (Sacerdotibus) in civitate David, id est, Ecclesia ubi Christus velut verus David in throno suo, id est, Hierophylacio sedet, & regnat, sepultus est.

III. Ex

III. Ex occasione Thematis: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum DEI quorum intuentes exitum conversationes imitemini fidem.* Hebr. 13. Excitari possunt Auditores, ut, cùm defunctus Sacerdos toties pro ipsis & aliis memento in SS. Sacrificio missæ fecerit, etiam ipsi nunc & deinceps tria in ipsius solatium memento facere ne graventur. 1. *Memento gratitudinis*, in memoriam revocando beneficia ab eo accepta: Quàm fideliter Sacramenta administrârit; quàm zelosè & utiliter verbum DEI prædicârit; quàm impigrè & constanter diu noctuque adstiterit. Dicant proin cum S. David Ps. 115. *Quid retribuam ei pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* 2. Memento *imitationis* juxta illud Hebr. 13. *quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem, in ea perseverando*: Spem, nunquam eam deserendo: Charitatem, totis viribus eam procurando: Humilitatem, eam constanter exercendo: Itaque sibi dictum ab eo velut è sepulchro credant illud S. Pauli 1. Cor. 4. *Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 3. *Memento subventionis*; ut scilicet, sicut is toties in necessitatibus subvenit verbo & opere; ita & ipsi nunc mutuas vices exhibere ne graventur, ideóque credant sibi nunc dictum illud S. Joan. 1. c. 3. *Filioli mei, non diligamus verbo & lingua, sed opere & veritate.*

IV. Ex occasione thematis; *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Jo. 10. ostendi potest, quàm benè officio Pastoris functus fuerit defunctus Sacerdos. 1. Quia verè poterat dicere: *Ego cognosco meas, & cognoscunt me meæ.* Hinc tam sollicitè indagavit statum cujuscunque & miserias; Hinc etiam in tanta veneratione à suis ovibus est habitus. 2. Quia diligenter pavit verbo DEI, Exemplo, & Corpore Christi, & eduxit ad fontem aquæ salientis in vitam æternam, per sedulam administrationem Sacramentorum. 3. Quia dum eas ad ovile Christi duxit, vadebat ante eas, id est: Quæ facienda dicebat in concionibus, priùs proprio Exemplo docebat & confirmabat. 4. Quia fortiter defendit contra Leonem, Diabolum circumeuntem & quærentem, quem devoret; contra lupos, id est, homines malos, præcipuè Hæreticos & malos socios & in his laboribus animam posuit: Unde Excitandi Auditores, ut vel nunc Pastorem suum

agnoscant, vocem ejus auxilium invocantis audiant, & sequantur, saltem affectu usque ad purgatorium, & ibi pariter animam suam ponant pro eo, satisfactiones suas, quibus ea purgatorio liberare poterant, eidem applicando:

V. Ex occasione thematis: *Et vidi, & ecce nubes magna & ignis involvens, & splendor in circuitu eius, & in medio eius similitudo quatuor animalium.* Ezech. c. 1. ostendi potest defunctum meritò illis quatuor animalibus ab Ezechiele visis comparari. 1. Quia habebat faciem *Hominis* propter singularem humanitatem, quâ cum singulis agebat: *Bovis* propter labores tam fortiter & constanter exantlatos: *Leonis* in peccatoribus terrendis, difficultatibúsque superandis: *Aquilæ* in perspiciendis veritatibus cælestibus, aliísque rebus ad officium pertinentibus. 2. Quia in eo erat ignis involvens, scilicet zelus animarum, qui vires ei addebat, ut sicut fulgur iret, & reverteretur. 3. Quia splendor in circuitu ejus erat, dum passim apud omnes famam perfecti & Sancti Pastoris fuerat consecutus, in cælis autem multò magis fulgebit juxta illud Dan. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & sicut stellæ in perpetuas æternitates.*

VI. Ex occasione thematis: *Cúmque pergerent, & incedentes sermocinarentur: Ecce currus igneus & equi ignei diviserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cælum.* 4. Reg. 2. Dici potest idem contigisse Pastori defuncto, & 1. quidem per currum igneum zeli geminis rotis Charitatis DEI & proximi constantem fuisse raptum. 2. Tractum fuisse ab equis igneis, id est, quatuor virtutibus cardinalibus, à Charitate earum actus imperante, inflammatis. 3. Per turbinem ardentissimi desiderij, quo semper cupiebat dissolvi, & esse cum Christo, ascendisse in cælum: Excitandi proindè Auditores, ut & ipsi dicant cum Elisæo: *Obsecro te, Domine, fiat in me Spiritus duplex tuus.*

PRO RELIGIOSO.

VII. Ex occasione thematis: *Tollite iugum meum super vos: Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Matth. 11. cap. ostendatur. 1. Quòd per jugum hoc potissimùm Perfectionis studium intelligatur, utpotè quòd meritò dicitur jugum Christi, quia ipse verbo & exemplo ad id portandum

dum invitavit, dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, tollat crucem suam, & sequatur me*, Luc. 4. jugum suave propter internas consolationes ex bonæ conscientiæ testimonio provenientes: Quas Christus per illa verba: *Et invenietis requiem animabus vestris*: indicavit: onus leve propter amorem, qui teste Thom. K. l. 3. cap 5. *Leve facit omne oneroſum, & fert æqualiter omne inæquale, nam onus ſine onere portat; & omne amarum dulce facit.* 2. Ostendatur, quàm alacriter & constanter defunctus hoc jugum susceperit, atque portaverit. Percurrendo potiores Religiosi Functiones, & quàm accuratè eas obierit, Exemplis demonstrando, & concludendo quàm meritò nunc credatur requiem à Christo promissam accepisse; quàm proindè & ipsi Auditores etiam apprecari debeant dicentes: *Requiem æternam dona ei domine, & lux perpetua luceat ei.*

VIII. Ex occasione thematis: *Domine. Duo talenta tradidisti mihi: Ecce alia duo superlucratus sum.* Matth 25. Ostendi potest; quòd per duo talenta juxta alios intellectus & voluntas, aut potentiæ internæ aut externæ, juxta alios gemina Charitas DEI & proximi intelligatur. Eligatur ergò una ex his explicationibus, & ostendatur, quàm benè impenderit illa duo talenta Religiosus defunctus, varios illius virtutis aut potentiæ actus ab eo exercitos enumerando. 2. Ostendatur similiter, quomodo alia duo talenta lucratus sit, scilicet gratiæ vel gloriæ augmentum, vel salutem propriam & alienam; utroque enim modo potest explicari, geminum hoc Talentum. 3. Inferatur, quàm meritò sperari possit illum audivisse à Christo verba illa: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: Intra in Gaudium Domini tui.*

PRO OFFICIALI ALIQUO AULICO PRIMARIO.

IX. Ex occasione thematis: *Filius accrescens Ioseph: Filius accrescens, & decorus aspectu.* Gen. 49. comparari potest defunctus officiali Josepho ex tribus præcipuè capitibus. 1. Sicut Joseph erat Filius accrescens in timore & amore DEI, fugiendo peccatum omne, & præcipuè Luxuriæ. 2. Quia, sicut Joseph erat Filius accrescens in Fidelitate erga suos Dominos

minos, nolens attingere ea, quæ ad ipsos pertinebant, etsi frequenter à divitiis & honoribus, perindè ut Joseph ab uxore Putipharis ad inhonestam contrectationem tentaretur. 3. Quia erat Filius accrescens in charitate erga subditos quos non ut servos, sed ut proprios Filios amabat, & fovebat. Hinc meritò in ipso quoque impletum est, quod Jacob Filio suo Joseph sequentibus verbis apprecatus est; *DEVS Patris tui erit Adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus uberum, & vulvæ; Donec veniat desiderium collium æternorum*: vid. Joseph. Drexelij.

X. Ex occasione thematis: *Tunc Rex Daniel in sublime extulit, & munera magna & multa ei dedit, & constituit eum Principem super omnes Provincias Babylonis.* Dan. 2. ostendi potest, quòd defunctus similem ferè fortunam cum Daniele habuerit. 1. Ergò ostendatur quantopere à suo Principe æstimatus, & ad varia officia per gradus exaltatus sit, ipse autem quàm demisse, se semper gesserit jure usurpans illud David Ps. 130. *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei*; nimirum recordabatur doctrinæ ab Ecclesiastico datæ cap. 3. *Quantò magnus es, Humilia te in omnibus*, & coram DEO invenies gratiam. 2. Quomodo Princeps ipse us, & magis ipse DEUS dederit, illi munera multa & magna, quorum aliqua enumerari possunt, præcipuè virtutes, utpote de quibus S. Bernardus dicit; *Solæ veræ opes sunt, quæ nos virtutibus divites faciunt.* 3. Quomodo etiam in talentis, per quæ Daniel tantoperè exaltatus est, similis illi extiterit, nempè in Religione erga DEUM, omni timore & respectu humano sepositò: In prudentia & sapientia ad regendum: in constantia & patientia inter persecutiones, aliáque adversa, quæ Leonibus comparari possunt; vid. Dan. Drex.

XI. Ex occasione Thematis: *Ecce statua magna una grandis statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te.* Dan. 2. Potest defunctus statuæ tali comparari dicique: Quòd Anima illius similis sit vel fuerit statuæ quoad temporalia, habuerítque *caput aureum* & summam dignitatem officij, quod gerebat, quóque caput aliorum constitutus est; *pectus & brachia argentea* divitiarum, & possessionum: *ventrem & femora ex ære*, id est, honorem, famam, & favorem

apud

apud Principem ſuum & ſubditos: *Tibias partim ferreas* propter invictam in occurrentibus quibuscunque difficultatibus fortitudinem atque conſtantiam; *partim fictiles* ob mortalitatem & inconſtantiam horum omnium, ſicut apparebat in fine, ubi unicus lapillus, nempè mors hanc totam ſtatuam dejecit, & omnia contrivit. 2. Poteſt explicari in ſpirituali ſenſu, & per aurum intelligi Fides, ſpes & Charitas; Per argentum religio; Per æs miſericordia, & charitas erga proximum, Juſtitia & Temperantia; Per ferrum fortitudo & conſtantia: Per lutum Humilitas & reſignatio erga DEUM, per quam tam facilè dejici & conteri ſe paſſus eſt. vid. Piſt. conc. funeb. 18.

PRO OFFICIALI BELLICO.

XII. Ex occaſione thematis: *Nequaquam, ut mori ſolent ignavi, mortuus eſt Abner.* 2. Reg. 3. comparari poſſunt. 1. inter ſe Mors & Mars, dicíque ſimiles propter tria. 1. Propter *nominis affinitatem.* 2. Propter *cauſam*, ex qua oriuntur nempè, propter peccatum juxta illud S. Pauli 6. Rom. *ſtipendia peccati Mors*, & Mars. 3. Propter *effectus*, quia uterque terribilis, nemini parcit, omnibus ſpoliat, ſubitò & inſperatò venit. 2. oſtendi poteſt, quomodo in utroque ſe geſſerit Defunctus, non ſicut ignavi, ſed imperterritus exceperit, fortiter & conſtanter ſteterit in præliis (quorum aliqua, & præcipuè lucta cum morte enumerari poterunt) & feliciter triumphârit contra hoſtes temporales & ſpirituales, (quæ maxima eſt victoria) & ipſam mortem, ita ut ipſe quoque uſurpare poſſet illud S. Pauli 1. Cor. 15. *Abſumpta eſt Mors in victoria, ubi eſt mors victoria tua? ubi ſtimulus tuus?*

PRO JUDICE.

XIII. Ex occaſione thematis: *Qui ſequitur Juſtitiam, & faciet miſericordiam, inveniet vitam, juſtitiam & Gloriam.* Prov. 25. oſtendi poteſt, quomodo defunctus exercuerit triplicem Juſtitiam, *Legalem* erga DEUM & Cælites per Religionem; erga Superiores per obedientiam, erga Parentes & Liberos ſuos per pietatem, erga ſubditos per manſuetudinem, & Clementiam: *Commutativam* inter partes ad judicium venientes, ubi ob oculos habuit monitum Joſaphat. 2. Par.

Par. 19. *videte, quid faciatis; non enim hominis exercetis iudicium, sed DEI, & quodcunque iudicaveritis, in vos redundabit: sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud DEVM nostrum iniquitas, nec Personarum acceptio, nec cupido munerum.* Hinc Athenienses noctu judicabant, & ante sedem Judicis imaginem oculis & manibus carentem ponebant: *Vindicativam* in delictis puniendis. 2. Quomodo misericordiam sociârit, pauperum causas promptè suscipiendo, & sine respectu potentum judicando, damnatis compatiendo, ita ut verè locum haberet illud Ps. 84. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi. Justitia & pax osculatæ sunt.* 3. Quomodo vitam (temporalem & æternam) justitiam (apud DEUM, qui ei tribuit coronam Justitiæ, & de Adversariis vindicabit) & gratiam apud DEUM & Homines repererit.

XIV. Ex occasione thematis: *Ego autem in justitia apparebo in conspectu tuo.* Ps. 16. Dici potest, Judicibus & Magistratibus commissum esse corpus Christi custodiendum, sicut olim Pilatus Judæis Matth. 27. dixit: *Ite, custodite, sicut scitis.* Atque adeò debere eos esse armatos sicuti Milites apud sepulchrum Christi vigilantes pinguntur. Et 1. quidem habere corpus æreum seu *loricam* triplicem amoris DEI, Proximi & sui ipsius. Item triplicis Justitiæ legalis, commutativæ, vindicativæ. 2. In capite *Galeam* puræ intentionis soli DEO placendi, & Justitiam administrandi, ut sic contra respectus humanos defensi sint. 3. In manibus *chirotheca* ferreas, id est, firmum decretum non acceptandi munera, quæ excæcant prudentes, & subvertunt corda justorum. Qui autem excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit. Isa. 32. 4. *Hastam*, quæ partim dividat per Justitiam commutativam, cuivis tribuendo jus suum: partim repellat eos, qui corpori Christi, id est, Reipublicæ damnum inferre moliuntur. Quæ omnia ostendatur, accurratè à defuncto fuisse observata, ut adeò cum veritate dicere potuerit: *Ego autem in justitia apparebo in conspectu tuo*, & expertus sit verificari illud Sap. 8. *Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes.*

XV. Ex occasione thematis: *Militia est vita hominis super terram.* Job. 7. ostendi potest, quàm difficilis & periculo-

sa sit militia, vita hominis, ob tres causas. 1. *Propter hostium potentiam & astutiam*; nam *non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & Potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, Eph. 6. 2. *Propter locum*; quia non sub muris, sed aperto marte & campo pugnandum est, & in loco, ubi minimè putatur. 3. *Propter incertitudinem victoriæ*; (cum etiam fortissimi quique succubuerint,) & *mortem æternam ex eius amissione subsecuturam.* Hinc Apostolus l. c. monet: *Propterea accipite armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo, nempè loricam Iustitiæ* (& charitatis) *calceati pedes* (per constantiam, vel ut alij, memoriam mortis) *scutum Fidei* sumentes (de qua sibi dictũ putent à Matre Ecclesia, quod olim Spartana mulier Filio dixerat; *aut cum hoc redi, aut super hoc*) *galeam salutis*, id est, spem ejusdem per Christi merita obtinenda: *Gladium Spiritus* (quod est verbum DEI) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu. vid. Pist. con. fun. 19. post med.

XVI. Ex occasione thematis. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi* 2. Tim. 4. ostendi potest, quòd bonum certamen certaverit miles defunctus ex triplici capite. 1. *Bonitate finis*: Quia non propter vanam gloriam aut lucrum temporale, sed propter defensionem gloriæ divinæ, Fidei, & Patriæ pugnavit. 2. *Bonitate iustitiæ & charitatis*: quatenus observavit illud monitum S. Joannis Baptistæ militibus datum Luc. 3. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* 3. *Bonitate fortitudinis* in aggrediendo, repellendo, vincendo hoste; quàm adeò meritò repositam habuerit coronam justitiæ à Domino reddendam in die judicij.

XVII. Ex occasione thematis. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* Matth. 2. ostendi potest, quomodo defunctus vim cælo intulerit. 1. Ascendendo per scalam mandatorum DEI. 2. Ignem charitatis inijciendo. 3. Cuniculos humilitatis fodiendo. 4. Globis orationis muros quatiendo. 5. Tormento (Mörser) Mortificationis & abnegationis propriæ portas effringendo. Quæ omnia fusius per Exempla demonstrari possunt.

PRO

PRO MERCATORE.

XVIII. Ex occasione thematis: *Simile est Regnum cælorum Negotiatori quærenti bonas Margaritas.* Matth. 13. Ostendi potest, quàm benè Negotiatoris officio functus sit. Et 1. Quòd bonas & veras Margaritas emerit, nempè virtutes solidas, quas non tantùm tempore prosperitatis, sed etiam adversitatis exercebat. 2. Quòd non unam duntaxat, sed multas & varias emerit, præcipuè timorem DEI, justitiam in emendo & vendendo. Liberalitatem & misericordiam erga pauperes, constantiam & patientiam in adversis, quarum actus enummerari possunt. 3. Quòd illas Margaritas prudenter non mundo aut hominibus qui vilissimum vanæ laudis pretium offerunt, sed DEO, qui integrum Regnum cæleste pro iis offert, per purissimam intentionem vendiderit: unde meritò post mortem jam expertus est, quod de muliere sapiente Prov. 13. dicitur: *Gustavit & vidit, quia bona est negotiatio eius.*

XIX. Ex occasione thematis. *Dedit omnia sua, & comparavit eam.* Matth. 13. ostendi potest. 1. Quàm pretiosam Margaritam, nempe Regnum cælorum emerit, quod meritò assimilatur Margaritæ propter splendorem (visionis beatificæ) virtutem corroborandi & satiandi animam per delicias cælestes, & decus, quod Beatis affert, juxta illud Ps. 72. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui DEVS.* 2. Quo pretio emerit, scilicet se & omnia dando juxta consilium S. Augustini in lib. de Spirit. & anima. *Ecce venale est regnum DEI; eme, si vis; nec multùm existimes de re magna propter pretii magnitudinem. Tantùm valet, quantùm habes. Noli quærere quid habeas, sed qualis sis: res ista valet, tantùm, quantùm es tu, Te da, & habebis illam. Sed malus sum,* inquies, & fortè me non accipiet? *dando te illi bonus eris.* Ostendatur proin, quomodo defunctus se dederit, scilicet totam suam voluntatem divinæ conformando, juxta monitum Thom. Kemp. l. 3. cap. 37. *Dixi tibi sapissimè, & nunc iterum dico; Relinque te, resigna te, & fruêris magna interna pace; Datorum pro toto, & habebis me.*

PRO OPIFICE.

XX. Ex occasione Thematis. *Voca Operarios, & redde illis*

illis mercedem. Matth. 20. ostendi potest. 1. Quàm fideliter & diligenter in vinea Domini operatus sit defunctus, dum scilicet vineam Animæ suæ diligenter circumfodit per humilitatem: pampinos & palmites potentiarum suarum alligavit ligno crucis, id est, Christo, & mandatis illius: Superflua germina inutilium desideriorum diligenter tempore suo amputavit per mortificationem: botros virtutum suarum subjecit torculari per patientiam, sícque vinum veræ solidæque internæ lætitiæ DEO & sibi creatæ expressit. 2. Quàm largam mercedem acceperit, scilicet denarium continentem tres partes ad summam felicitatem pertinentes, Associationem Sanctorum, adimpletionem desideriorum, amotionem malorum. Itaque Auditores ad gratulationem talis mercedis, similémque in operando fidelitatem & industriam excitandi.

XXI. Ex occasione Thematis: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.* Jo. 9. ostendi potest, quomodo defunctus de die laborârit, nimirum, quia laboravit, dum Sol divinæ Justitiæ ei per gratiam illuxit, seu quia opera sua in statu gratiæ semper peragere studuit. 2. Quia laboravit, dum dies hujus vitæ seu occasio merendi duravit, sempérque illud Eccl. 9. ob oculos habuit. *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare; Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.* Quare cùm, teste Salomone Eccl. 2. *Dulcis sit somnus operanti*, gratulandum erit defuncto, & requies sempiterna apprecanda.

XXII. Ex occasione Thematis: *Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem* Eccl. 51. ostendi potest. 1. Quàm verè dicatur, defunctum, etsi per totam vitam assiduis fuerit in laboribus, modicum tamen laborâsse, quia teste: Dav. Ps. 89. *Mille anni ante oculos tuos* (DEI) *tanquam dies hesterna, quæ præterit.* 2. Quàm multam requiem invenerit, illam scilicet, de qua S. David Ps. 126. dixit. *Cùm dederit dilectis suis somnum, Ecce hæreditas Domini.* Illam, de qua DEUS Apoc. 4. dixit: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo dicit Spiritus, quoniam requiescent in laboribus suis.* Unde dicit jam defunctus ex sepulchro ad suos, quod olim S. Cassianus Eduæ sepultus S. Germano Alti-

siodorensi Episcopo eum quærenti, quid agis hic charissime Frater? respondit: dulciter. In pace quiesco,& adventum Redemptoris exspecto.

XXIII. Ex occasione Thematis. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem* 1. Cor. 3. Dici potest, DEUM in recipiendis ad cælum Sanctis facturum, quod olim Cato Censorinus,quando alicui civitatis jura concedere volebat, fecit, dum scilicet manum sibi à Candidato porrigi voluit, quam si callosam & laboribus obtritam aspexit, in civem eum assumpsit; secus si tenellam & politam vidit. Id sanè Sanctus Gregorius hom. 37. in Evang. indicavit,dum dixit: *Ad magna præmia perveniri non potest,nisi per magnos labores.* Hinc ipse Christus in laboribus erat à juventute sua. Ostendatur dein,etiam defunctum fuisse in iis ita ut jure cum S. Paulo 2. Thess. 3. dicere posset: *Ipsi enim scitis,quemadmodum oporteat imitari nos,quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo,sed in labore & fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus.* Meritò ergò sperandum, quòd,cùm magni fuerint defuncti labores, magna quoque illius merces sit futura.

PRO RUSTICO.

XXIV. Ex occasione Thematis. *Simile est regnum cælorum thesauro, abscondito in agro.* Matth. 13. Dici potest fuisse olim Rusticum,qui,ut Filios suos ad laborem incitaret, in agone eos ad se vocavit, dixítque in vinea sua thesaurum latere, quem post mortem suam ad eum pertinere velit, qui primus eam effodisset, undè Filij post mortem Parentis totam vineam magno labore circumfodientes, thesaurum quidem nullum repererunt, sed vineam egregiè circumfodiendo,magnum ex ea lucrum fecerunt. Inferatur dein, simili modo DEUM cum hominibus egisse, atque ut multos ad vitam rusticanam incitaret, manifestâsse illis, quòd regnum cælorum simile sit thesauro in agro abscondito,id est,qui per labores in agro,ut oportet,exercitos maximè obtineatur, idque ob triplicem causam,quia scilicet ibi humilitas, patientia,& charitas maximè exercetur, quæ omnia in defuncto & aliis per Exempla probari possunt.

XXV.

XXV. Ex occasione Thematis. *Venite benedicti, & possidete paratum vobis regnum.* Matth. 25. Narrari potest à Majoribus nostris Rusticorum officium sic repræsentatum fuisse. Pingebant inprimis Pontificem cum toto Clero, & subscribebant: *Ego oro pro vobis omnibus*: In altero latere pingebant Cæsarem & alios Principes armatos cum hac Inscriptione: *Ego defendo vos omnes*: Juxta hos pictus erat Rusticus saccum farinâ plenum in humeris portans cum hoc Lemmate: *Ego alo vos omnes*: Tandem & mortem juxta hos depinxerunt dicentem. *Ego devoro vos omnes*, Inferatur ex hoc, quanta spes concipi queat, quòd defunctus illam vocem: *venite benedicti &c.* auditurus sit, ut cui verè Christus dicere possit: *Esurivi, & tu dedisti mihi manducare agros colendo*: *Sitivi, & tu dedisti mihi bibere* vineas curando: *Nudus eram, & tu vestivisti me*, pecora pascendo, & custodiendo: à quibus pelles & lana habentur. Quomodo proin & ipsum Christus pane & nectare Angelorum pasturus, & Gloriæ veste circumdaturus sit.

XXVI. Ex occasione thematis: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo.* Gen. 3. Narrari potest, quòd, cùm S. Franciscus quondam nudus & vili tunica tectus incederet, Frater ipsius Carnalis per modum joci ab eo petierit, ut pro crucigero sudorem venderet: Cui S. Franciscus respondit: Ego sudorem meum non vendo hominibus, sed DEO. Inferatur dein idem videri defunctum hodie dicturum, ut qui sciat, quàm pretiosus sit sudor laborantium in conspectu DEI, uti B. Virgo quondam significavit, dum sudorem laborantium Fratrum Chrystallino vasculo exceptum Fratri cuidam ostendit, dixítque, se ideo eum collegisse, ut eum conspectui DEI, qui summè eodem delectetur, repræsentet. Imò idem etiam miraculo pulchro confirmavit, dum post mortem Mennæ Monachi, qui ex obedientia hinc inde discurrendo vitam transegerat, balsamum odoratissimum exsudare fecit. Excitentur proin Auditores, tum ad gratulationem tum ut currant in odorem beneolentis sudoris hujus:

XXVII. Ex occasione Thematis: *Itaque Fratres mei stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino* 1. Cor. 15. Narretur, quòd, cùm Cajus Furius Cresinus ex parvo agello

plures longè fructus, quàm alij ex magnis agris reportâsset, accusatus à Spurio Albino de veneficio, sua instrumenta rustica secum ad senatum attulerit, eáque ante se proijcient, hæc tandem esse instrumenta veneficij sui dixerit: Inferatur, etiam idem videri defunctum facere, & si quidem copiosos fructus quos in hac & altera vita reportavit, quis miretur, rustica sua instrumenta, quibus ad laborem usus est, ostendere, diceréque, ea esse potissima media, quibus totum fructum obtinuerit. Hinc & Apollo Aglaam Isophidicum felicissimum in terra dicebat, eò quòd in Arcadia in vili, sed frugifero prædio vixerit. Et jam olim magis bonus Agricola, quàm miles laudabatur, dicebatúrque: **Ein Ackers-Mann/ ein wackerer Mann.** Quia: **Ackers-Mann erwirbt. Kriegs-Mann verdirbt.** Hinc & Virgilius 2. Georg.

O fortunatos nimium, bona si sua nôssent.
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis.
Fundit humo facilem victum justissima tellus.
Rura mihi, & rigui placeant in vallibus amnes.

XXVIII. Ex occasione Thematis. *Cæpitque Noë vir Agricola exercere terram, & plantavit vineam.* Gen. 9. Dici potest DEUM voluisse Noë primum esse Agricolam, ut Rustici haberent Exemplar vitæ Rusticanæ, & tres ab eo virtutes Rusticorum proprias discerent. 1. *Pietatem & timorem DEI*; nam teste S. Scriptura Gen. 6. *Noë erat vir justus atque perfectus & invenit gratiam coram Domino.* Hinc Rustici præcipuè sibi dictum credere debent illud Matth. 6. *Quærite primùm, regnum DEI, & justitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis.* 2. *Sedulitatem*, quàm arcæ confectio ostendit. Eadem Rusticis necessaria, nam *sedula manus ditat*, uti Salomon ait Prov. 4. *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat*; Hinc Calumella l. 1. cap. 1. dicit, agros se ut debitores habere, qui nil dant, nisi incantur per culturam. 3. *Constantiam*, non enim curavit irrisiones Vicinorum aut laborum difficultatem; sic & Rusticus perseverans usque ad finem, salvus erit. *Nemo enim mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno DEI* juxta Christi Luc. 9. testimonium. Ostendatur tandem, quomodo hæc omnia defunctus observârit.

XXIX. Ex occasione thematis: *Pater meus Agricola*

est.

est. Jo. 15. Dicatur, Christum voluisse Patrem suum vocare Agricolam, ut discerent Rustici, conditiones boni laboris: Nam ut Pater cœlestis usque modò operatur, nunquàm otiosus; ita & Rustici qui ante omnes sibi applicare deberent illud Job. c. 5. *Sicut avis ad volatum; ita homo ad labores natus est.* Atque adeò pro Symbolo habere deberent illud Severi Cæsaris; *Laboremus.* 2. Ut Pater æternus operatur omnia in omnibus; ita & Rusticus diligenter suis Domesticis cooperari & invigilare debet, ut de ipso dici possit, quod Salomon de forti muliere Prov. 31. dixit. *Consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.* 3. Ut pater æternus *universa propter semetipsum operatus est*, teste Salomone Prov. 16. Ita id ipsum Rusticus facere debet sequendo consilium S. Pauli 1. Cor. 10. *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Gloriam DEI facite.* Ostendatur proiode quàm accuratè hæc omnia observârit Defunctus.

PRO MENDICO.

XXX. Ex occasione thematis: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: Matth. 5. dici potest, duplicis generis esse pauperes, *coactos*, qui ægrè ferunt paupertatem, atque adeò per fas & nefas ab ea liberari student; & *voluntarios* seu spontaneos, qui aut ultrò omnibus bonis se exuunt, aut certè si prius jam per DEI voluntatem iis exuti sint, statu suo contenti, DEO gratias agunt, atque in paupertate sua, quàm divitiis vivere malunt. Dein probetur, meritò his regnum cælorum promitti; tum quia propter DEUM libenter dimittunt divitias terrestres, atque adeò pro his cælestes accipere merentur, juxta illud Matth. 9. *Omnis, qui reliquerit domum vel Fratres aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem aut Filios, aut agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*; tum quia talis radicem potissimam malorum operum, aut impedimentum fortissimum bonorum operationum efficaciter removet, nempe divitias de quibus S. Paulus 1. Tim. 1. dixit, *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt Homines in interitum & perditionem: Radix enim omnium malorum est cupidi-*

tas. Econtrario verò paupertas occasionem ad omnes virtutes subministrat. Hinc Eccl. cap. 31. dicitur: *Beatus vir, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris. Quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Denique explicetur, quantopere hanc paupertatem Spiritûs dilexerit defunctus pauper, & quomodo contentus statu suo in magna Sanctitate & patientia vixerit.

XXXI. Ex occasione Thematis: *Scio tribulationem & paupertatem tuam, sed dives es.* Apoc. 2. Dicatur, quænam veræ divitiæ sint, nempe non illæ materiales, cùm illis, qui has possident plerumque illud Apoc. 1. conveniat: *Tu dicis, quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*; veræ ergò divitiæ sunt virtutes & bona opera, quia hæc præcipuè habent conditiones ad veras divitias requisitas; nempè 1. *utilitatem* ad omnia impetranda; Nam *pietas*, teste S. Paulo 1. ad Timoth. 4. *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ* & per consequens etiam illorum, quæ necessaria sunt ad hanc vitam. 2. *stabilitatem*, ut scilicet non possint, possessori invito auferri, quam conditionem vel maximè habent virtutes, uti Christus Matth. 6. indicavit dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi Fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi Fures non effodiunt, nec furantur.* 3. *Auferibilitatem* in alteram vitam, quæ sola convenit virtutibus juxta illud Apoc. 13. *Opera enim illorum sequuntur illos*; Cùm è contrario de divitiis materialibus dicatur: *Dives, cùm dormierit, nil secum auferet, aperiet oculos suos, & nemo aderit ei.* Ostendatur proinde, quàm studiosè has divitias veras congregare studuerit defunctus, illud S. Augustini S. 5. de verbis Apostoli semper in mente habens: *Non tibi displiceat paupertas tua, nil potes ditius invenire. Vis nôsse quàm locuples sit? cælum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod pauperibus videmus indultum? ut ad regnum cælorum veniret, dives possessione sua obtinere non potuit, nunc obtinet, ut contemptu perveniat.* Excitandi proinde Auditores, ut & ipsi deinceps has divitias congregare studeant, juxta illud S. Pauli 1. Timoth. 6. *Divitibus hujus*

sæculi

seculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo, (qui præstat nobis omnibus abundè ad fruendum) benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare, sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.

XXXII. Ex occasione thematis: *Factum est autem, ut moreretur Mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Luc. 16. Dici potest contingere divitibus malè viventibus & pauperibus justitiam & pietatem amantibus post hanc vitam, quod Falconi & Gallinæ evenire solet; Sicut enim Falco dum vivit, ab omnibus, & præcipuè Principibus, amatur, honoratur, in manibus portatur, optimis cibis reficitur, post mortem verò in fimetum abijcitur sine honore; ita divites in divitiis suis confidentes in hac vita quidem honoribus & voluptatibus abundant, induuntur purpura & byssо, & epulantur quotidie splendidè; sed post mortem in fimetum inferni abijciuntur, juxta ejusdem Christi l. c. testimonium: *Mortuus autem est & dives, & sepultus est in inferno*: Sicut autem è contrario Gallinæ, dum vivunt, à nemine honorantur, & ipsæmet in fimeto, & plateis grana & victum quærere coguntur; post mortem verò purgantur, lixantur, condiuntur aromatis, ponuntur in argentea vel aurea patina, jusculo dulci merguntur, traduntur manibus Dapiferorum, portantur ad mensam Principis, ac in ventre ejus ac aliorum hospitum sepeliuntur; ita pauperes in hac vita quidem non honorantur, sed magno labore victum suum quærere coguntur, post mortem verò animæ illorum igne charitatis & patientiæ excoctæ, & aromatibus aliarum virtutum conditæ, Angelis velut Dapiferis cælestibus traduntur, ut DEO offerantur, & ab eo in sinum receptæ perfectissimè ipsi uniantur, atque æternum in eo requiescant, ostendatur dein quomodo hæc omnia etiam ipsi defuncto probabiliter contigisse credatur, atque adeò is meritò illud Siracidis c. 11. semper ob oculos habuerit. *Confide in DEO, & mane in loco tuo; facilè est enim in oculis DEI, subitò honestare pauperem.*

PRO SERVO.

XXXIII. Ex occasione thematis: *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus & Filius Ancillæ tuæ.* Ps. 115.

ostendatur, quàm verè dicere potuerit defunctus: *Ego servus tuus*, quia scilicet semper servavit voluntatem & mandata DEI, à qua observatione aliqui servum dictum putant, & ideò etiam meritò dicere poterat: *Et Filius Ancillæ tuæ*, nempè B. Virginis, quæ de se dixit Luc. 1. *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* 2. Quare præ aliis Dominis DEO servire elegerit, illud S. Pauli Coloss. 3. ob oculos semper habens; *Servi obedite per omnia Dominis corporalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis vestri timentes DEVM*, quia scilicet in DEO potissimùm conditiones ad optatum Dominum requisitas invenit, scilicet summam sapientiam, & summam bonitatem, quâ pro levi servitio infinitum & amplissimum præmium largitur. Eum in finem narrari potest, quod Vincentius Belvacensis in Speculo morali narrat de Famulo, qui diu fidelissimè Domino serviverat, sed, cùm in morte vel ad quadrantem ab eo liberationem à doloribus petiisset, ísque hoc se non posse respondisset, graviter ingemuit, doluítque, quòd tam diu tali Domino serviisset, à quo neque per quadrantem à morbo posset liberari, & non potiùs illius servitio se impenderit, qui ipsum ab omnibus malis liberare, & infinitis bonis ditare potuisset.

XXXIV. Ex occasione thematis: *Quis putas est fidelis servus & prudens?* ostendatur, quàm perfectè omnes servi conditiones Defunctus impleverit. Et 1. quidem diligenter observaverit *promptam obedientiam* juxta illud S. Pauli Coloss. 3. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* 2. *Summam fidelitatem*: Quia ita servivit, ut jure cum Jacob dicere posset Gen. 30. *Tu nôsti, quomodo serviverim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua: Modicum habuisti, antequam venirem ad te, & nunc dives effectus es, benedixitque tibi DEVS ad introitum meum.* 4. *Maximam prudentiam*, quia Domino carnali, non ut homini, sed ut DEO servivit, atque adeò illud S. Pauli Eph. 6. observavit: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes sed ut servi Christi:* Unde meritò ei dici poterat illud Matth. 25. *Euge serve bone*

&

& fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

XXXV. Ex occasione thematis: *Ecce intelliget servus meus, & exaltabitur, & elevabitur; & sublimis erit valdè.* Is. 52. Instituatur comparatio defuncti cum Josepho Patriarcha, & in tribus ostendatur potissimùm similis fuisse. 1. *In fidelitate*, quâ noluit Joseph tangere uxorem Putipharis; Defunctus autem nec uxorem, nec alia bona sui Domini injusta contrectatione usurpavit. 2. *In charitate*, quâ scilicet Joseph Pharaonis domum perindè, ac si sua esset, gubernavit; & auxit; defunctus verò simili industria commodum sui Domini procuravit. 3. *In patientia*, quâ, ut Josephus, omnes injurias seu correctiones Domini sui, aliáque onera servitio annexa generosè supportavit, ut meritò sperari possit, quòd, sicut in his tribus Josephum imitari studuit; ita etiam in exaltatione eidem similis sit futurus juxta promissionem DEI in themate factam.

PRO ANCILLIS.

XXXVI. Ex occasione thematis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Luc. 1. ostendi potest, quàm verè hoc nomen promerita sit defuncta propter fidelitatem triplicem, á qua apud Hebræos nomen Ancillæ derivatum est. Et 1. quidem propter fidelitatem *intentionis*, quâ in Domino suo & Domina non hominem, sed DEUM aspexit, ad exemplum S. Catharinæ Senensis, quæ in Patre Christum, in matre B. Virginem, in aliis Domesticis Apostolos consideravit, & honoravit. 2. Propter fidelitatem *servitii*, quâ omnes officij sui partes fideliter implevit, & commodum Familiæ unicè promovere studuit, sícque servavit illud Apostoli ad Tit. 2. *servas Dominis suis subditas esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri DEI ornent in omnibus*: Ab hac fidelitate nomen **Ehehalten** acceperunt, quia matrimonium & conjuges in officio suo obeundo juvant, & conservant. Hinc Marcus Crassus ipsos viva Instrumenta œconomiæ vocare solitus est. Aristoteles vivam, sed separatam partem Domini. Et olim, teste Pierio, quando prima vice domum ingrediebantur, Pater familias palmarum nu-

cleos, frumentum, aureámque & argenteam monetam super caput effundebat, ut hoc facto ostenderet, quòd officium novi servi futurum sit, totis viribus commodum Familiæ promovere, efficeréque, ut tam in rebus ad victum pertinentibus, quàm in divitiis Pater & Mater familias cum aliis domesticis necessaria habeant. 3. Propter fidelitatem *adhæsionis* seu *constantiæ*, quâ videlicet Dominorum suorum defectus cum charitate supportabat, eorum honorem & famam unicè defendebat, & tam in prosperis, quàm adversis in eorum amore & servitio perseverabat, ita ut jure mereretur audire ab illis, quod Christus Apostolis Luc. 22. *vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, ut edatis & bibatis super mensam meam*; idque multò magis dicturus fuerit ipse Christus post mortem illius, utpote qui omnia, quæ Dominis suis præstitit, servitia sibi facta reputet:

XXXVII. Ex occasione thematis: *Respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Luc. 1. ostendi potest, quàm humilis Ancilla fuerit defuncta, triplici potissimùm exercitio humilitatem suam ostendens, nempe 1. Humilitate *intentionis* seu *propositi*, dum scilicet se ipsam vili pendit, & minimam reputavit, ideóque statu suo contentissima vixit, assiduò in ore habens illud S. Davidis 2. Reg. capite 6. *Ludam & vilior fiam plus, quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum Ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* 2. Humilitate *abiectionis*; quia abjectissima servitij sui opera cum magna alacritate, diligentia, atque constantia peragebat, illud S. Davidis iterum identidem animo volvens Ps. 83. *Elegi abiectus esse in domo DEI mei* (id est, propter DEUM) *magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* 3. Humilitate *subiectionis*; quâ non tantùm Domino, sed etiam aliis Domesticis se subjiciebat, & mandata eorum, & voluntates promptè exsequebatur, injurias & contumelias, & irrisiones ab iis factas æquissimo animo portabat. 2. Ostendatur, quomodo DEUS nunc humilitatem hanc Ancillæ suæ respexerit, eámque inter amantissimas suas sponsas, cælique Reginas assumpserit; ita ut verè ipsa nunc dicere possit: *Ecce beatam me dicent omnes Generationes;*

FONS

FONS II.

Ex variis Generibus Mortis:

ETiam iſte Fons ſi ritè uſurpetur, copioſam valdè materiam ſuppeditabit pro funebribus Exhortationibus, ex quo tamen non niſi paucos conceptus pro Exemplo afferam; inde enim non erit difficile plures alios invenire.

PRO PEREGRINO.

I. Itaque. Quia non pauci extra patriam mori ſolent in ipſo itinere vel peregrinatione, ex occaſione thematis: *En ego hodie ingredior viam univerſæ carnis* Joſ. 23. oſtendendum, quòd, cùm, ut S. Auguſtinus ſapienter advertit, vita noſtra nil aliud ſit, quàm curſus aſſiduus ad mortem; vel, ut S. Gregorius ait, à Tumulo, id eſt, ventre matris, ad tumulum, id eſt, ſepulchrum perganus, via univerſæ carnis rectè mors dicatur, via ſanè *difficilis* (quia mors, teſte Ariſtotele eſt omnium terribilium, terribiliſſimum) *anguſta* (propter anguſtias ex doloribus, & ipſa mortis appropinquatione oriri ſolitas.) Et *periculoſa* (propter inſidias & oppugnationes Dæmonum illo tempore vehementiores. 2. Quòd meritò quivis, qui per hanc viam incedere vult, providere ſibi debeat de neceſſariis ad hoc iter, & 1. Quidem, ſi putet ſe adhuc debilem eſſe, ex aliquo morbo, aut humoribus malignis obnoxius ſit, priùs ſe purgare per aptam medicinam; deinde bonum viaticum & commeatum procurare & aſſumere, & tandem bonum Comitem aſciſcere, quæ omnia fiunt per Sacramenta pœnitentiæ, & extremæ Unctionis, ritè ſuſcepta, Communionem religiosè peractam, & B. Virginis, ac aliorum Sanctorum opem ferventius eo tempore imploratam: Oſtendatur proin, quomodo hæc omnia defunctus obſervaverit, atque adeò meritò ſpes concipi poſſit, quòd curſum ſuum feliciter abſolverit, de quo proinde illi gratulandum. Vide Piſtor. conc. funeb. 26.

II. Ex occaſione thematis: *Dies peregrinationis vitæ meæ pauci & mali.* Gen. 47. oſtendendum. 1. Quòd rectè vita noſtra Peregrinationi comparetur. 1. Quia hic non habemus manentem civitatem, ſed futuram inquirimus Heb. 13.

Et,

Et,ut Cicero rectè advertit,ex hac vita, tanquam ex hospitio discedimus. 2. Quia sicut Peregrini nil secum in hospitium afferunt,aut ex eo aufferunt, nisi pauca propria bona, ita & nos nil intulimus in hunc mundum, & nil aufferemus ex eo, nisi sola opera,quæ proprie bona sunt, & nobiscum in alteram vitam aufferre licebit. 3. Quia ficut modicus victus & commoratio carò plerumque solvi debet Hospiti à Peregrino; ita non nisi severa ratio & solutio manet post hanc vitam; *statutum est enim omnibus hominibus semel mori, & post hoc iudicium.* 2. Ostendatur; quàm meritò se quisque bene præparare debeat ad hanc peregrinationem; baculum, *spei* assumendo, quæ non confundit,teste David Ps. 30. *Pallium* patientiæ contra varias tempestates, *Vasculum* Temperantiæ, *Calceos* seu *Sandalia* constantiæ, quia *in Christianis*, teste S. Hieronymo in Epist. ad Furiam, *non quæruntur initia, sed finis*; quæ omnia facilè defuncto applicari poterunt, vid Pistor. conc. fun. 27.

PRO REPENTINA MORTE MORTUO.

III. Ex occasione Thematis: *Beati illi servi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Luc. 12. ostendi potest. 1. Quàm graves vigilandi causas omnes homines habeant,quia scilicet hora,quâ non putatur,Filius hominis venient undè rectè Thom. K. l. 1. cap. 23. ait: *Abstulte, quid cogitas, te diu victurum, cùm nullum diem habeas hîc securum? quàm multi decepti sunt,& insperatò de corpore extracti? quoties audisti à dicentibus: Quia ille gladio cecidit, ille submersus est;ille ab alto ruens cervicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit.* Et verò, an non & ipse defunctus exemplo suo id confirmavit? 2. Quid sit vigilare,nimirum, ut sint *lumbi nostri præcincti*, id est, semper paratus quisque sit obviare Domino venienti, quod fit, si vitam bonam, & DEI voluntati conformem duxerit; Dein ut sint *lucernæ ardentes in manibus*,id est,bona opera, de quibus Matth. cap. 5. Christus dixit: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona &c.* Ostendatur dein, quomodo hæc omnia defunctus observaverit, quámque adeò spes bona meritò de

de ipsius felici obitu concipi queat. vid. Drex. in prod. cap. 20.

IV. Ex occasione Thematis: *Videte, vigilate, & orate, nescitis enim, quando tempus sit.* Mar. 13. Dici potest, tristem quidem esse casum, qui tam repentè defunctum abstulit, sed tamen vel ideo tolerabilem, quia, licet mors repentina, non tamen etiam perinde improvisa acciderit; hanc enim improvisam mortem solùm timendam esse, uti vel ipsa Ecclesia testatur, dum in Lytaniis orat. *A subitanea & mala morte, liberanos Domine.* Contra hanc autem optimum remedium à Christo per supradicta tria verba oblatum esse; Nam primò, per verbum *Videte* indicatur, mortem sæpiùs, antequam veniat, præmeditandam, cogitandúmque quod verissima sit, quoad substantiam, incertissima quoad horam, & acerbissima quoad præsentiam. 2. Per *Vigilare* intelligitur *bona vita*, quæ est optima dispositio ad Domini Adventum excipiendum. 3. Per verbum *Orate* suadetur Oratio velut optimum medium ad bonam vitam impetrandam. vid Drex. in prodr. cap. 1. §. 26. & 40. & 46.

PRO MULIERE IN PARTV MORTUA.

V. Ex occasione Thematis: *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries Filios.* Gen. 16. ostendi potest, quare DEUS tam grave onus mulieribus imposuerit, & quàm patienter illud defuncta tulerit, etiamsi illi omnino succubuerit. Nimirum 1. In pœnam transgressionis divini mandati ab Eva factæ; Hinc omnibus mulieribus dicitur: *In dolore paries Filios*; atque adeò illæ omnes dicunt illud Mich. 7. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* 2. Ad majorem amorem Matris erga Liberos, & vicissim (nam juxta commune proverbium, **was schmertzt/ das hertzt**) ingenerandum: Hinc Tobias etiam Filium ad honorandam & amandam matrem adhortaturus, hoc potissimùm argumento usus est: *Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo*; sed & Mater Machabæorum. 2. Mach. 7. Non aliud argumentum magis efficax putabat, dum Filium ad constantiam hortatura dixit: *Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi, & alui, &*

in ætatem istam peraduxi. unde facilè apparet, quantopere defuncta Filium suum de cælo dilectura sit, ut quæ illum non solùm cum dolore communi, sed mortis angustiis peperit; *maiorem enim charitatem nemo habet, quàm qui animam suam ponit pro amicis suis.*

VI. Ex occasione Thematis: *Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem.* Gen. 35. ostendi potest defunctam meritò videri Racheli comparari posse. 1. Quia erat pulchra ut Rachel, non tantùm corporis, sed etiam, & multò magis animæ pulchritudine. 2. Quia sicut Rachel erat patiens in doloribus puerperii sui, atque adeò dici poterat de utraque illud Isaiæ 53. *Sicut ovis* (hoc enim significat nomen Rachel) *ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* 3. Quia illi sicut Racheli verè dici poterat: *Noli timere, quia & hunc habebis Filium*, non tam in hâc, quàm in altera olim vitâ; hoc ipso enim, quòd ab ipsa Benoni, id est, Filius doloris nominatus fuerit, ipsáq; dolores suos pro ipso obtulerit, meruit, ut etiam Pater illius cælestis nomen illius per gratiam suam mutet, & Benianim, id est, Filium dextræ vocet, faciátque. 4. Quia ut Rachel in Ephrata (seu ubertate) quæ alio nomine Bethlehem seu domus panis vocatur, sepulta est; In illo nempe loco, de quo S. David Ps. 35. dixit: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*; ita enim sperare vita ejus innocenter transacta jubet; quid ergo aliud supereſt, quàm ut ei titulus & memoria æterna in animo sicut Racheli, erigatur, ut in ipsa quoque verificetur illud Ps. 11. *In memoria æterna erit iustus ab auditione mala non timebit.*

VII. Ex occasione Thematis: *Mulier, cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem pepererit Puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est Homo in mundum.* Joan. 16. ostendi potest 1. quantas dolores & tristitiam passa sit defuncta in suo puerperio, cùm ad communes dolores etiam angustiæ mortis accesserint, ita ut meritò cum Christo dicere potuerit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Quantâ tamen patientiâ & æquanimitate hos omnes dolores & angustias sustinuerit. 2. Quantum gaudium nunc percipiat in cælo, quòd hominem genuerit, id est, causa fuerit, ut per infantem (ut sperare licet, & ipsa, quan-

quantùm est in se, totis viribus procurare conabitur) tot bona, & tantùm decus mundo afferantur: Tanta ipsi infanti gloria in cælo, DEO autem & Sanctis honor & laus in omnem æternitatem, procreetur, atque ita dici potest, eam gaudere, quia homo *naturalis* constans tam nobili corpore & anima: *Supernaturalis & spiritualis* tam perfectè hominis ad Statum supernaturalem elevati officium subiturus. Et tandem *cœlestis* vitam olim cælestem cum ipsa per totam æternitatem victurus sit natus. Quam ob causam meritò illi congratulari, & congaudere decet.

PRO OCCISO.

VIII. Ex occasione Thematis: *Et percussit eum in inguine, & mortuus est.* 2. Reg. 3. Dici potest contigisse defuncto, quod Abneri olim à Joab; sicut enim hic Abnerum seorsum duxit, & insperatò in inguine percussit, & occidit; ita mortem duxisse defunctum in locum, ubi occisus est, & fatale illud telum illi infixisse. Hinc sicut David dixit ad Populum & ad Joab, qui ipsum occiderat: *Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner*; Ita idem suo modo DEUS ad Auditores dicit, jubétque scindere vestimenta per commiserationis affectum (sic enim membra invicem condolere solent) accingi saccis per varia opera pœnitentiæ & humilitatis suscepta. Et denique plangere per orationes varias oblatas. Addet subinde Exhortator Elogium, quale David Abneri pronuntiavit: *Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner* (& qui occisus est, quia forti animo tulit injustam necem) *Manus tuæ ligatæ non sunt (quia semper vel ad DEVM per preces, vel ad pauperes per eleëmosynam, vel ad laborem ad exercitium extensæ) Pedes tui non sunt compedibus* (peccatorum) *aggravati*; Hinc in via mandatorum cucurristi.

IX. Ex occasione Thematis: *Homo quidam descendebat de Iericho, & incidit in latrones.* Luc. 10. Dicatur per hunc hominem rectè defunctum adumbratum fuisse, utpote qui & ipse inciderit in Latrones (occisores suos, aut etiam tortores in purgatorio) qui despoliârunt eum, quia opibus, Amicis, honoribus privârunt, & plagis (id est, vulneribus lethalibus aut pœnis in purgatorio) impositis abierunt semivivo (Nam licet

licet secundùm corpus occisus sit, tamen secundùm alteram dimidiam partem, animam scilicet adhuc vivit, vivétque in æternum, uti vita bene transacta bene sperare jubet) relicto. Inferatur proin, quàm æquum sit, ut & AA. Samaritanum imitentur, & misericordiâ moti alligent vulnera per vinculum charitatis, & oleum operum misericordiæ. vinúmque consolationis affundant, & in Stabulum, id est, locum quietis aut sepulchrum ducant, simúlque duos denarios orationis & Sacrificii Angelis eorum in manus dent, rogéntque, ut curam eorum habeant, ut citò à vulneribus liberati, in patriam suam pergere valeant.

X. Ex occasione Thematis: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 8. ostendi potest, quàm meritò sperari possit occisum, beatitudinem æternam consecutum fuisse, eò quòd verè ob justitiam occisus sit, dum scilicet mortem æquo animo toleravit, moríque maluit, quàm quidquam contra justitiam agere. 2. Quia etiam Inimicis ex corde ignovit, animo magis, quàm linguâ proferens illud Christi: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* 3. Quia, dum justitiâ protegi volebat, odium inimicorum incurrit, atque adeo omnino occisus est. Itaque meritò audivisse modò credendus est: *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Excitandi proin AA. ut & ipsi congaudeant, & congratulentur.

PRO SUBMERSO.

XI. Ex occasione Thematis: *Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Ionam.* Jon. 2. Dici potest, defuncto ferè id, quod Jonæ evenit, contigisse; Nam & ipse missus in mare tribulationum, quæ tempore mortis plerumque obruere solent, devoratus est à morte, & in sepulchro velut ejus ventre latebit, usque ad diem judicii: Tunc enim dicet Dominus morti, ut evomat illum iterum, & tum primùm incipiet prædicare laudes & misericordias Domini. Explicentur hæc omnia fusius, & in subsidium assumatur oratio Jonæ c. 2. cit. Et pro Coronide excitentur Auditores, ut & ipsi non desperent, ubi in mare tribulationum projecti fuerint, sed ad

sed ad Dominum ex corde clament, atque ab eo auxilium sperent.

XII. Ex occasione Thematis: *Sumpsit fiscellam scirpeam, posuitque intus Infantulum, & exposuit eum in arecto ripæ fluminis.* Exod. 2. Dicatur Juveni vel Infanti submerso tristem quidem casum evenisse, sed meritò Parentes solari debere, quòd non Filia Regis, sed ipse DEUS cæli terræque summus Imperator eum in aulam suam transtulerit, ibique inter Aulicos suos deinceps vivere voluerit, ubi & ipsis & toti Populo suo plùs, quàm olim Moyses Israëlitis profuturus sit precibus suis. Instituenda ergo fusior comparatio inter Pharaonis & DEI potentiam & Regnum utriusque, atque inde occasio sumenda Auditores, & præcipuè Parentes ad gaudium & gratulationem excitandi.

PRO FULMINE TACTO.

XIII. Ex occasione Thematis: *Descendit ignis de cælo, & devoravit illum.* 4. Reg. 1. Dici potest fuisse quidem defunctum etiam ab igne de cælo descendente devoratum, sed hoc ex capite feliciorem esse, quàm fuerit Princeps ille quinquagenarius, quòd à meliore igne, quàm iste fuerit absumptus, scilicet ab igne charitatis divinæ, unde ostendatur 1. quantopere defunctus DEUM dilexerit, enumerando varios actus dilectionis, præsertim observationem mandatorum DEI (juxtæ illud Joan. 4. *Hoc mandatum habemus à DEO, ut qui diligit DEVM, diligat & fratrem suum*) Et hilaritatem in adversis ex amore DEI tolerandis juxta illud Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* 2. Ostendatur, cùm DEVS à Creaturis suis vinci se in amore non patiatur, facilè inde colligi posse, quantopere vicissim defunctum dilexerit, atque adeò meritò credi posse, quòd ignis hic absumens illum, fuerit quodammodo currus Eliæ igneo currui similis, per quem in cælum evectus sit. Gratulandum inde potiùs illi, quòd sic evectus sit, rogandúmque, ut duplicem hunc spiritum seu gratiam Auditoribus relinquat, aut impetret, scilicet ut & ipsi sincerè DEUM amare, & vicissim ab eo amari mereantur.

***

FONS XII.

Ex variis Doctrinis.

ETsi hic Fons non videatur esse distinctus à prioribus, tamen si bene inspiciatur, omnino distinctos conceptus, & quidem sat multos offert, cùm innumeræ excogitari possint doctrinæ, quæ velut à mortuis relictæ proponi possunt.

Itaque I. Ex occasione Thematis: *Cúmque convertissem me ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nil permanere sub sole.* Eccles. 4. Dici potest idem defuncto contigisse, & 1. quidem divitiæ, honores, voluptates, quas possidebat, explicari, ostendíque, quàm nil, nisi vanitas & afflictio relicta fuerit. 2. Tamen dici potest, quòd in hoc sapientior fuerit Salomone, quòd præter hæc in collectione verarum divitiarum, honorum, & voluptatum sudârit, & in illis repererit consolationem animi, ad quam proin cum ipso quærendam etiam Auditores sunt excitandi.

II. Ex occasione Thematis: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Rom 6. Narrari potest id, quod aliquando alicui Virgini defunctæ contigisse memoratur, dum scilicet in judicio apparens, & non satis purgatam se videns, vehementer erubuit, multúmque manibus texit, atque adeò inferendum, quòd meritò timendum sit, ne & hoc defuncto contigerit; verùm adhuc levem esse hanc verecundiam & ruborem, si eum illa confusione, quæ in ultimo judicio secutura est, conferatur, eam enim triplici ex capite gravissimam fore. 1. *Ob majestatem judicantis*, quæ tunc extraordinaria apparebit. 2. *Ob multitudinem adstantium*, omnium scilicet hominum & Angelorum. 3. *Ob longitudinem æternæ durationis*, quas ob causas non tantùm manibus vultum operire volent, sed insuper integros super se montes cadere optabunt. Moneantur ergo Auditores, ut præcaveant hanc confusionem, & tanti pœnitere non emant.

III. Ex occasione Thematis: *Vtinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!* Deut. 32. Narrari potest er magno speculo ex tit. Sapientia. Historia illa de sene sapientiam in foro venalem habente, & Regi eam emere volenti, hanc

hanc unicam sententiam bene observandam suadente: *Nil incipe, donec cogites, quis exitus sequatur.* Quam cùm Rex omnibus suis habitationibus & vasis inscribi jussisset, ejus auxilio sapientissimè rexit. Inferatur subinde idem documentum à defuncto nunc amicis suis, aliisque Auditoribus relinqui, & tantò vehementiùs commendari, quantò magis nunc experitur ex ejus observatione neglecta omnes tam suos, quàm aliorum defectus atque peccata ortum duxisse. Sapiant proin ipsi exemplo illius, & vel deinceps in omnibus operibus suis memorent novissima, ut in æternum non peccent.

IV. Ex occasione Thematis: *Mihi heri, & tibi hodie.* Eccl. 38. Narrari potest, quòd Delrius in adagiis refert, scilicet quòd Rex Galliarum à Carolo V. captus, cùm Madriti in pariete legisset Caroli Symbolum: *Plus ultra* adscripserit: *Hodie mihi, cras tibi.* Quod legens Carolus iterum subscripserit: *Homo sum, humani nil à me alienum puto.* Inferatur dein, quòd, cùm plerique ex AA. etiam in animo suo quodammodo scribant, aut dicant: *Plus ultra*: scilicet vivam, & divitias ac honores congregabo; Hodie defunctus dicat illis: *Hodie mihi, cras tibi*, exitus vitæ fortè imminebit; applicent sibi proin hanc doctrinam, & ut feliciter mori possint, mori quotidie discant; juxta illud Poëtæ:

Ut tibi mors felix contingat, vivere disce:
Ut felix possis vivere, disce mori.

vide Drex. in prod. cap. 1. §. 41.

V. Ex occasione Thematis: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Gal. 6. dicendum, quòd si defunctus modò quæreretur, quid de vita sua præterita sentiret, & quid maximè à se factum optaret, haud dubiè responderet illud Poëtæ:

O utinam lapsos reddat mihi Jupiter annos.
Heu bene lapsa mihi vix fuit ulla dies.

Hoc est:

O daß GOtt wider mir vergundt /
Die Jahr / so schon verloffen.
Kaum hab ich wohl angelegt ein Stundt /
Habs leyder übel troffen.

In confirmationem hujus afferatur, quòd olim S. Mechtildis has beatorũ in cælis voces audiverit: *O felices vos, qui in terris adhuc degitis; meritorum enim cumulos maiores potestis vobis com-*

bis comparare. Sanè si intelligeretis, quantùm quovis die mereri possitis, cum summa alacritate è lecto exiliretis, & ad bene operandum vos accingeretis. Ut autem magis appareat, quid mereri Homo possit, afferre proderit memorabilem S. Bernardi sententiam in hæc verba conceptam: *Libet, inquiunt, fabulari, donec hora pratereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio Conditoris indulsit.* Excitentur proin Auditores, ut illud Eccl. cap. 14. accuratè observent: *Ne defraudaris à die bono, & particula boni doni non te pratereat.* vid. Drex. in prodr. cap. 1. § 22.

VI. Ex occasione Thematis: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Eccl. 5. Dicatur multa quidem esse Præconia defuncti, sed inter alia palmam propemodum meretur, quòd nil distulerit eorum, quæ ad negotium animæ pertinebant; præcipuè ultimo tempore morbi sui; viderat enim tria gravissima mala imminere iis, qui vitæ melioris proposita procrastinant, nempe 1. Difficultatem emendationis. 2. Amissionem meritorum, & temporis. 3. Salutis periculum, quia ut idem Ecclesiasticus mox subdit, subitò venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Itaque semper in animo habeant illud Poëtæ:

Sera nimis vita est crastina, vive hodie.

vid. Drex. in prodr. c. 1. §. 8. & 37.

VII. Ex occasione Thematis: *Memor esto iudicii mei, sic enim erit & tuum.* Eccl. 38. ostendi potest 1. Quomodo defuncto contigerit, quod regi Balthasari Dan. 5. *dum appensus est in statera, & inventus est minùs habens*: Addi tamen potest meliorem fuisse exitum defuncti, eò quòd imitatus sit Religiosum illum, qui videns lancem malorum operum præponderare, clamavit: *Ah tenete libram æqualiter. Ah vel unicam guttam sanguinis Christi apponite alteri lanci,* idque ubi impetravit, vicit. Excitentur subinde Auditores ad similem fiduciam concipiendam, cùm simile etiam illorum judicium sit futurum. Eum in finem narrari breviter poterit historia de Viro illo, qui, quoties transijt prope imaginem Crucifixi, per agoniam, quam passus est Christus, dum in cruce animam ageret, rogavit, ut memor illius in morte esse velit, & hujus remedii auxilio sine omni purgatorio ad cælum evolavit.

VII. Ex occasione Thematis: *In obitu suo non est contri-*

status

status, nec confusus est eorum Inimicis. Eccl. 30. Dici potest defunctum fecisse, quod pijssimũ juvenem Joannem Berchmannum è Soc. Jesu fecisse memoratur, dum scilicet in morte Crucifixi effigiem, Rosariũ, & Regulas apprehendens, dixit: *Cùm his tribus libenter moriar.* Ostẽdatur ergo per partes quod hæc omnia tria defunctus observaverit; quantam fiduciã & devotionem ad SS. Christi passionem ostenderit: quàm sincero & constanti cultu B. Virginem coluerit; & quàm perfectè mandata DEI & Superiorum observare studuerit, quantúmq; inde solatium, & robur in morte perceperit. Excitentur tandem AA. ad eadem media adhibenda, ut simile in morte solatium experiri mereantur. vid. Pistor. conc. fun. 36.

IX. Ex occasione Thematis: *Quid superbit terra & cinis.* Eccl. 10. Dic hominibus plerumque contingere, quod de Pavone Plinius & alii scribunt, quòd scilicet, dum pennas suas versicolores extendit, & quodammodo superbit, mox tamẽ, ubi pedes suos nigros aspexerit, dimittat iterum; Ita namque & homines, si superbiæ Spiritu afflatos se advertant, ubi pedes, id est, suam aut aliorũ mortem consideraverint, & quid tunc futuri sint, bene perpenderint, facilè pennas altarum cogitationum contrahere. Hinc S. David Ps. 72. dixit: *Non est respectus mortis eorum, ideo tenuit eos superbia.* Subinferatur postea, hoc medio ipsum etiam defunctũ usum fuisse, & ideo semper magnam humilitatem præsetulisse, ob quam & DEO & hominibus gratus semper fuerit. vid. Pistor. in con. fun. 38.

X. Ex occasione Thematis: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Luc. 23. Dici potest defunctum fecisse quod de S. Dionysio Areopagita scribitur, qui ad mortem damnatus ultimuũ, inquiebat, verbum Domini mei in cruce, sit & mihi ultimum in hac luce: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Ut autem audaciùs hoc dicere posset defunctus, ostendatur eum in vita priùs spiritum quoque suum in manus patris semper commendasse, dum semper & ubique voluntatem DEI indagavit, eique se perfectissimè conformare studuit, memor doctrinæ à Blosio in consol. pusill. datæ his verbis: Nullum exercitium in extremis utilius esse, quàm ut quis se ipsum ex integro voluntati divinæ resignet; Fieri enim nequit, quin is, qui in hujusmodi vera perfectáque resignatione & cum sancta erga DEUM fiducia ex

hac luce exit, confestim ad regna cælestia evolet; Nam sicut nil omnino pœnæ, nil ignis in DEUM cadere potest, ita nec in hominem, qui eo modo per voluntatis conformitatem, amorémque DEO unitus est. Excitandi proin Auditores ad simile medium pro felici morte adhibendum. vide Drex. in prodr. cap. 2. §. 46. 47. & 48.

XI. Ex occasione Thematis: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, Ps. 84. Ostendatur, quàm verè vita nostra cum Araneæ laboribus comparetur, præcipuè ob tres causas. 1. Quia tota vita nostra consumitur in vanis retibus ad muscas capiendas contexendis, id est, in divitiis congregandis, per quas nil aliud, nisi vanissimas vanitates venamur. 2. Quia sicut aranea per labores suos se ipsam eviscerat, ita & nos homines laboribus nostris nimiis vitam abrupimus. 3. Quia, sicut plerumque labores aranearum diuturni non sunt, sed subitò ab Ancillis scopis destruuntur; ita & mors insperatò superveniens omnes nostros labores annihilat. Ostendatur proin, utiliùs laborâsse defunctum, bombycis scilicet in modum, ut qui, cùm insigne opus texuisset, in alitem mutatus ad cælos evolavit. Excitentur Auditores ad similem prudentiam in laboribus suis exercendam. vide Drex. in æter. Consid. 5. §. 1.

XII. Ex occasione Thematis: *Id quod in præsenti momentaneum, & leve est tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum Gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Dicatur olim P. Christophoro Caro è Soc. Jesu à DEO datam esse hanc lectionem. O æternum, ô momentaneum, ô longum, ô breve! Quam doctrinam etiam à defuncto, dum viveret, studiosè fuisse observatam, ut qui in omni tentatione ad voluptates sibi occinere solitus erat notum illud:

Momentaneum, quod delectat,
Æternum, quod cruciat.

E contrario verò in omni tribulatione oppositam sententiam usurpaverit; *Momentaneum, quod cruciat, æternum, quod delectat.* Et per geminam hanc æternitatis considerationem se ad abstinendum, & sustinendum fortiter excitarit. Confirmetur idipsum enumeratione particularium casuum, & seria Exhortatio ad idem medium usurpandum subjungatur.

PARS III.

PARS III.

DE CATECHIZANDI MUNERE.

DE hoc bene & accuratè plerúmque Paſtoralia Diœceſana agunt ; ad pleniorem tamen totius doctrinæ, quæ ad Concionatoris officium Spectat, cognitionem, placet hâc ultima in parte paulò diſtinctiùs de Fine, virtutibus, & praxi hujus munetis agere.

CAPUT I.

DE FINE CATECHISMI.

CAtechiſmus nihil aliud eſt, quàm brevis & facilis inſtructio in rebus ad fidem & Religionem Catholicam pertinentibus ; unde communiter Pueri tantùm & Puellæ in Catechiſmum mittuntur, quia reliqui jam ſupponuntur habere notitiam ſufficientem ſimilium rerum. Atque ex hac deſcriptione facilè colligitur, quiſnam finis Catechizanti præfixus eſſe debeat, videlicet ut Adoleſcentiam in doctrina Chriſtiana bene inſtruat. Porro excellentia finis hujus ac muneris ex variis capitibus colligi poteſt.

I. Ex exemplo & præcepto ipſius DEI, qui Deut. c. 4. ſic locutus eſt ad Moyſen. *Congrega ad me populum, ut audiant ſermones meos, & diſcant timere me omni tempore, quo vivunt in terra, doceántq; Filios ſuos.*

II. Ex Chriſti exemplo & mandato, qui non ſolùm præcepit Apoſtolis, ut irent in univerſum Mundum, & docerent ſervare mandata, ſed etiam ipſemet complexans Parvulos, & imponens manus ſuper illos benedicebat eis. Marc. 10. & ut alios quoque ad ſimilem caritatem invitarent, ulterius dixit: *Quiquis unum ex huiuſmodi Puleris receperit, in nomine meo, me recepit.* Ibid. c. 9.

III. Ex SS. Patrum exemplo, præcipuè Cyrilli Jeroſolymitani, Clementis Alexandrini, & S. Hieronymi, aliorúm-

rúmque, qui hoc munus magna cum caritate, demissione, ac patientia obierunt. Hinc S. Hieronymus ad Lætam Epist. 18. scribens, *Gestabo*, inquit (scilicet Filiam Lætæ) *humeris, & balbutientia Senex verba formabo, multò gloriosior mundi Philosopho, qui non Regem Macedonum Babylonico periturum veneno, sed Ancillam & Sponsam Christi erudiam, regnis cælestibus offerendam.*

IV Ex authoritate & exemplo Ecclesiæ, quæ tantam muneris hujus curam habet, idque tantopere Parochis commendat, uti ex concilio Tridentino patet.

V. Ex exemplo insignium Operariorum in vinea Domini, quibus summè semper cordi fuit hæc Instructio. Inter quos meritò numeratur S. Ignatius, qui non tantùm ipse singulari Zelo atque industriâ in hoc munere sese exercuit, sed etiam in Constitutionibus suis sanxit, ut omnes Rectores & Professi per quadraginta dies à susceptoRectoratu aut Professione facta in hoc opere Catechizationis suam caritatem & demissionem probarent.

VI. Ex Principum & Dominorum sæcularium exemplo, qui summopere laborant, ut subditi sui ea capita, quæ ad suum officium pertinent, probè intelligant, & addiscant; quantò magis ergo laborandum, ut Adolescentia officium boniChristiani, à quo tota ipsius salus & felicitas æterna dependet, bene addiscat.

VII. Ex Ethnicorum exemplo, qui tale munus olim non nisi antiquissimo & supremo totius civitatis Domino commiserunt, uti Xenophon testatur.

VIII. Ex Hæreticorum exemplo, qui singulari industria conantur Adolescentiæ illas Scripturæ Sacræ Sententias inculcare, quibus errores ipsorum & Hæreses potissimùm nituntur.

IX. Ex Hostium Ecclesiæ conatibus in Cathechismo eliminando. Certè Julianus Apostata Christianam fidem deleturus, Catechismum primò tollendum censuit, hinc edicto cavit, ne cui Christano liceret literas publicè profiteri.

X. Ex necessitate Catechismi; cùm enim sine fide impossibile sit placere DEO, uti S. Paulus c. 11. ad Hebræos docet, necessariò sequitur, etiam sine Catechismo Salvari neminem posse; *quomodo enim credent ei, quem non audierunt? quo-*

modo

modo autem audient sine prædicante? ait idem Apostolus c. 10. ad Roman.

XI. Ex utilitate hujus muneris; cùm enim ea, quæ simplici modo traduntur, faciliùs capiantur; ex altera verò parte, quæ Adolescentia semel apprehendit, diutius hæreant, necesse est, ingentes in rempublicam Christianam utilitates ex tali instructione promanare. Certè Joannes Gerson Parisiensis Cancellarius integro libro de hoc munere conscripto, postquam variis rationibus ostendit, hoc munus neque à suâ Cacellarii, Doctoris Theologiæ, vel ullius in quacunque dignitate constituti Persona alienum, tandem concludit, se vix scire, an utilius & efficacius in ullo officio, quam in hoc occupari possit omnésque aliorum objectiones fusè refutat tomo secundo suorum operum.

XII. Ex damnis, quæ ex Catechismo neglecto oriuntur, & clarè videntur ab ipso DEO Isaiæ c. 5. his verbis indicata: *Propterea captivus ductus est Populus meus, quia non habuit scientiam, & Nobiles eius interierunt fame* (doctrinæ & Verbi divini) *& multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino, & descendent fortes eius, & Populus eius, & sublimes, gloriosique eius ad eum.* Quæ omnia, proh dolor! nimis impleta nostro sæculo comperiuntur.

Caput II.

De Virtutibus Catechizantis.

I. PRima virtus illius, qui doctrinam Christianam cum optato fructu docere cupit, est *honoris divini Zelus*; si enim à talis Muneris felici successu tota Mundi Salus dependeret, an non summa cum diligentia in id Catechista incumberet? atqui pluris faciendus est honor & gloria DEI, quàm omnium Hominum & Angelorum, etiam possibilium Salus; Cùm ergo honor iste DEI plurimùm ab hac instructione Parvulorum dependeat, ut constat, an non summa cum alacritate eandem suscipere debebit Catechista?

II. Secunda est *Zelus animarum*; hic enim suadet, ut quàm studiosissimè Salus animarum procuretur, non potest autem hæc meliùs & efficaciùs à Catechista procurari, quàm si exem-

si exemplum S. Tobiæ Senioris secutus ab Infantia Parvulos DEUM agnoscere, & timere doceat; tum quia sic meritorum sibi cumulum ingentem præparabunt: tum quia sic viam virtutis ingressi, etiam, cùm senuerint, non facilè recedent ab ea.

III. Tertia virtus est *Intentio pura*, quâ nihil præter DEI beneplacitum & honorem, & ipsarum Animarum salutem quærat; sic enim & magnam in hoc munere obeundo alacritatem concipiet; &, dum in modico fidelis est, dignus efficietur, etiam ad majora ac præstantiora munera perficienda copiosam à DEO gratiam accipere.

IV. Quarta est *Orationis Studium*: cùm enim Catechista quasi Nutricis munere fungatur juxta illud S. Pauli 1. ad Cor. 3. *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis*; meritò ex aula cœlesti cibum divini auxilij petere debet, quo mediante lac istud conficere, & cum fructu Parvulis offerre queat.

V. Quinta est *Humilitas*: per quam tum suis viribus diffidat, & doctrinæ à S. Paulo 1. Cor. 3. propositæ meminerit: *Neque qui plantat, est aliquid; Neque qui rigat; Sed qui incrementum dat DEVS*: tum etiam non dedignetur cum Parvulis tanquam inæqualibus agere. Certè per hanc humilitatem faciet impleri id quod S. Franciscus Seraphicus dicere solebat: *Quæ sterilis erat* (in oculis Hominum) *peperit plurimos*: *& quæ multos habebat* (ad speciem, ob plausum majorem, quàm fructum) *infirmata est.*

VI. Sexta est *Prudentia*, quâ se accommodet ingenio & Naturæ Parvulorum, & omnibus omnia fiat, ut omnes lucrifaciat. Loquatur ergo ut Parvulus, id est, simplicem proponendi modum eligat, & omnem Personæ gravitatem in hoc actu deponat.

VII. Septima est *Mansuetudo*, quâ omnes indignationis motus ex Parvulorum insciti vel negligentia oriri solitos comprimat; quin potiùs errantes animet, ac Spe de ipsorum secutura emendatione concepta soletur. Hîc profectò, si unquam meminisse debet Catechista illorum Christi verborum Matt. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem* (temporalem scilicet & æternam) *animabus vestris*, id est, vestræ curæ commissis.

VIII. Octa-

VIII. Octava est *Spes & Fiducia* de divino auxilio; si enim Christus, cùm suos Apostolos ad Ethnicos Catechizandos misit, promisit, se cum illis ubique futurum, quidni idem auxilium sperare possit Catechista in rudibus instruendis & efformandis occupatus?

IX. Nona est *Patientia*, quâ molestias in tali Munere frequenter, imò assiduè ferè occurrentes patienter & fortiter sustineat, memor semper sententiæ à Servatore Matt. 25. prolatæ: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

X. Decima est *Liberalitas*, quam tum erga DEUM exhibeat, summâ industria & alacritate hoc munus ob illius honorem & amorem obeundo; tum erga ipsos Parvulos, quà verbis & laudibus; quà munusculis variis eorundem diligentiam liberaliter remunerando: Hîc profectò qui largè seminat, largè & metet de benedictionibus divinis tam in hoc Sæculo, quàm futuro.

XI. Undecima denique virtus est *constantia*: quà nihil de fervore & studio in hoc munere exequendo remittat, etiamsi non appareat, vel sequatur speratus fructus, nam 1. non minus meritum inde reportabit, quàm si maximus fructus fuisset secutus. 2. Spem justissimam concipere poterit, fructum optatum suo tempore secuturum, & nunc perinde ut semen sub terra radicem figere. 3. Sat magnum operæ pretium est, si vel in una, alteráve Persona fructus aliquis, quod plerúmque contingit, subsecutus est, cetè S. Ignatius Lojola totum laborem, quem in domo pro Meretricibus conversis erigenda susceperat, optimè collocatum putabat, si aliqua talium Mulierum vel unica nocte à consueto scelere abstinuisset.

Caput III.

DE PRAXI SEU MODO CATECHIZANDI.

Circa hunc triplicis generis industriæ observandæ occurrunt, quorum aliquæ ante catechizationem, aliæ intra ipsam, & aliæ denique eâ absolutâ exercendæ sunt.

§. IV.

Quid ante Catechizationem obſervandum ſit.

I. Ante omnia hoc negotium tum in quotidianis precibus; tum eo maximè tempore, quo ſe ad Catechiſmum præparat, DEO per præmiſſam orationem brevem commendet; & Spiritus Sancti gratiam per Hymnum *Veni creator*, vel Antiphonam *Veni S. Spiritus*, aut alias ſimiles preces impetrare conetur.

II. Seipſum bene doceat, ita ut Catholica dogmata probè intelligat, & nihil non concoctum, purúmque ſit, priuſquam id alteri tradat; Si enim ipſe aliquid ignorat, quomodo alios docebit, ut in ſimili Catechiſtis Judæorũ S. Paulus ad Romanos c. 2. exprobrat?

III. Etſi optimè calleat Fidei Myſteria, nunquam tamen imparatus ad Catechizandum accedat; alioqui enim ſolummodo Chaos aliquod proponet, & ſine Methodo multa minùs neceſſaria dicet, magíſque neceſſaria omittet, aut modo ad captum minùs accommodato proponet. Certè P. Antonius Poſſevinus in Epiſtola Catechetica cap. 3. duabus quaſi alis magnos Catechiſtam profectus facturum dicit, pietate ſcilicet, & alacritate, ſeu perſpicua docendi ratione.

IV. In prævia præparatione Materiæ ſelectum faciat, eurétque, ut ea nec ampla nimis, neque nimis anguſta ſit, ut intra annum unum, vel ad ſummum duos totus Petri Caniſij Catechiſmus, qui ordinaria Exhortatiuncularum materia eſſe deberet, abſolvi poſſit. Sed & id in ſelectu materiæ obſervabit, ut magis neceſſaria (qualia ſunt, quæ neceſſitate medij aut præcepti ſcire quivis Chriſtianus tenetur) aliis præferat, benéque inculcare ſtudeat.

V. Selectam Materiam in claram & facilem Methodum redigat; qualis erit v. g. ſi, quæ dicturus eſt, in certa puncta, vel quæſtiunculas paucas compingat, ita ut facilè omnia capi, repeti, ac retineri poſſint.

VI. Abſtinebit à Conceptibus, & modo concionatorio, à multis ſententijs S. Scripturæ & SS. Patrum, à citationibus Autho-

Authorum vel Locorum, ex quibus desumpta est materia; Sed modo simplicissimo, & sermone ferè familiari utatur: nam *optimus modus*, teste S. Augustino de catech. rudibus, *est, ut, qui audit, verum audiat; &, quid audiat, intelligat; quid enim prodest clavus aurea, si aperire non potest? & quid obest lignea, quando nihil aliud quærimus, nisi patere, quod clausum est.*

Certè P. Antonius Possevinus per viscera misericordiæ DEI rogat Catechistas, ut utantur castâ & congruâ oratione.

VI. Præparebit etiam sibi utilissimè quæstiones quodlibeticas, quas sub examine proponet, & solvet. Eæ autem esse possunt, tum ex iis, quæ dicta sunt; tum de Festis & Temporibus Sacris imminentibus; tum de quotidianis actionibus & virtutibus ab Adolescentia requiri solitis; tum de Cæremoniis Ecclesiæ, quas sive ad Festa Solemniùs celebranda, sive ad Mysteria firmiùs imprimenda, sive ad reverentiæ & pietatis sensum in celebratione Sacrificii, aliorúmque Sacramentorum, & Sacramentalium administratione ac usu ingenerandum adhibere consuevit. Quem in finem ipsi Institutiones Cosleri, Catechismus P. Georgii Vogleri, P. Georgij Schereri, P. Nicolai Cusani, & præcipuè libellus parvus anno 1675. Ingolstadii recusus (qui hunc titulum habet: **Vnderricht über die Catholische Fragstück** Catechismi &c.) omnes ejusmodi materias succinctè & clarâ, facilique Methodo explicans servire poterunt.

VII. Historiæ non multæ, nec longæ, nec etiam quævis præparabuntur; Sed quoniam ejusmodi simplices Auditores doctrinam traditam magis per exempla & similitudines, quàm per rationes capiunt, talis erit Historia quærenda, quæ Mysterium explicatum probet, & ad vivum quasi declaret. Quæ tamen ipsa sic narranda erit, ut omnes ambages, amplificationes, & circumstantiæ non necessariæ omittantur, soláque propemodum facti substantia breviter indicetur.

§. II. Quid

§. II.

Quid in ipsa Catechizatione observandum sit.

I. Ubi tempus pro Catechismo habendo advenerit, superpelliceo & stola coloris tempori convenientis indutus ad locum huic exercitio deputatum cum modestia ac gravitate accedat, & si quidem Parvulos Catechizandos necdum in Ordinem compositos reperiat, eosdem vel per se, vel per Ludimoderatores præsentes, aut alios componere studeat.

II. Subinde in medio paulò ante ipsos consistens, ut ab omnibus conspici queat, SS. Crucis signum in fronte, ore, ac pectore tardè & reverenter efformet, idémque etiam ab ipsis Parvulis efformari curet. Tum Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum præeundo reciter, & ab iisdem piè & reverenter repeti verba à se prolata faciat; cujus recitationis duplex est finis, nempe ut & has preces crebrò repetendo firmiùs memoriæ imprimant; & per easdem gratiam tam sibi ad doctrinas ritè excipiendas & discendas, tum Catechistæ ad eas fructuosè proponendas tantopere necessariam impetrent. Certè S. Franciscus Xaverius, peritissimus & Zelosissimus Catechista plurimi semper fecit hunc orandi modum, &, ut ex vita ipsius constat, studiosissimè observavit.

III. Finitâ oratione Caput è Catechismo (nisi alia sit alicubi consuetudo, qualem Rituale Augustanum indicat, ut scilicet repetitio eorum, quæ in priori Catechismo sunt dicta, exigatur) recitari jubeat, quod, si longius sit, uti quintum, in duas partes dividi pro arbitrio poterit. Sic autem instituatur hæc recitatio, ut duo Adolescentuli vel Puellæ ex adverso (& ubi commodè fieri potest, etiam in editiori quodam loco, ut ab omnibus aliis conspici & audiri possint) consistentes, facto reverenter Crucis signo, Catechismi quæstiones sibi mutuò proponant, & ad easdem tardè & distinctè per stropharum recitationem respondeant, totóque capite recitato iterum Crucis signum efforment. Quòd si verò ex pluribus Scholis Parvuli sint adducti, consultiùs ferè est, ut

mutatis

mutatis per Dominicas aut Festa vicibus, ejusmodi capita recitent, quàm ut quælibet Schola speciale caput sibi recitandum assumat; cùm enim tempus pro Catechismo deputatum vix aliis magis necessariis & utilibus actionibus sufficiat, meritò cavendum est, ne per ejusmodi longas recitationes minùs utiliter constringatur. Absolutâ capitis hujus recitatione collaudet eos, qui absque multis erroribus illud recitârunt, oblatóque munusculo eorum diligentiam remuneretur alióque ad eorum sequendum exemplum hortetur. Priùs tamen, quàm eos, qui caput recitaverunt, abire sinat, unam, alterámve quæstiunculam magis necessariam circa idem caput illis proponet, & resolutionem vel ab illis, vel ab alijs petat; sic enim ea quæ alias in explicatione talium capitum, vel alia occasione dicta sunt, repetentur, firmiúsque memoriæ imprimentur.

IV. Post hæc quærat, quid in postrema Catechizatione sit dictum. Quòd si ipsi Pueri aut Puellæ pauca aut nihil retinuerint, aut non nisi historiolas (ut fieri solet) in memoria servârint, repetat ipse breviter quæstiones propositas, earúmque solutionem subjiciat, & mox iterum repeti ab uno, alteróve jubeat. Porrò tam in hoc, quàm aliis examinibus (in quibus totus ferè Catechismi fructus existit) non sit contentus, ut ab uno tantùm, alteròve doctrina aliqua addiscatur, sed curet, ut à pluribus repetatur, sícque Instructionis fructus in plures redundet. Quòd si verò interdum in ejusmodi doctrinis percipiendis tardiores aut minùs attentos advertat, attentionem & alacritatem discendi proposito præmio alliciat.

V. Ab hoc examine transeat ad illos, qui alia, quàm quæ in Catechismo proximo explicata sunt, didicerunt; quo in examine proderit Ordinem servare, ne alij frequentiùs, alij rarius audiantur; aut illa, quæ sæpius jam recitârunt, iteratis vicibus repetere sinantur, sic enim ad nova addiscenda stimulum non haberent. In hunc finem juverit Catechizandos (si nimij non sint) vel in charta descriptos habere, vel certè peculiarem cuíq locum in templo assignâsse.

VI. Denique id ipsam Exortatiunculam progredietur, quàm vel sedens in sella, vel, ut aliqui, stans peragere pote-

poterit, ita tamen, ut frequenter circumspiciat, num attentè singula à Catechizandis percipiantur. Curabit autem, ut ista Exhortatiuncula non diu nimis protrahatur, uti & totum tempus Catechismi, quod ultra horæ spatium extendi ordinariè, præsertim in hyeme, non debet. Multùm fieri potest per horam, si Catechista bene paratus omnia in promptu habeat. Ut autem faciliùs exhortationis hujus capita percipiantur, & retineantur, ea in fine in breve compendium redigèt, repetètque; imò quandoque potiora puncta quibusdam scripto consignata tradet, ut eadem per hebdomadem memoriæ tradant.

VII. Finitâ exhortatiunculâ surget, & modestè ac graviter, sicut ab initio, Decalogum, quinque præcepta Ecclesiæ, & quatuor novissima recitando præibit, & signo Crucis formato, toti Catechismo finem imponet.

VIII. Ut autem hæc omnia faciliùs & fructuosiùs peragantur, sequentia sedulò observâsse proderit. 1. Ut inter catechizandum, magnam potiùs, & maturam hilaritatem, quàm tristem ac morosam severitatem præseferat; nam, ut S. Augustinus ait, *multò gratiùs audimur, cùm & nos eodem opere delectamur.* Unde autem hæc hilaritas peti debeat, mox subdit: *Sed hæc hilaritas ad horam ut adsit, eius est misericordiæ, qui ista præcepit.* 2. Ut sedulò caveat graviores objurgationes, & omne impatientis animi signum; excuset potiùs, & juvet ignorantes, animétque. 3. Ut munusculis etiam laudes adijciat, quod maximè erga magis ingenuos observandum erit; dum autem munuscula distribuit; jam alius constitutus aliquid recitet, ut nihil temporis otiosè effluat.

§. III.

Exemplar Practicum Exhortatiunculæ in Catechizatione habendæ.

De SS. Crucis signo devotè & frequenter efformando.

EXORDIUM.

I. Perdilecti Filij & Filiæ, in proxima exhortatione vo-

bis

bis explicavi, quis verus Catholicus & Christianus sit dicendus; nunc quia in Catechismo nostro sequitur quæstio: per quod signum agnosci soleat verus Christianus? & ibidem respondetur, cum per hoc, quòd se S. Crucis signo signet, & devotè dicat: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Amen*: cognosci, oportet de hac saluberrima & piissima consuetudine formandi crucis signum, aliquid dicere. Quare quatuor quæstiones breviter proponam, nimirum quomodo, cur, & quando formanda sit, & quos effectus habeat hæc formatio. Diligenter proin attendite, operámque date, ut, quoniam omnia, quæ dicturus sum, valde vobis necessaria & utilia sunt, singula bene & integrè percipiatis.

Pars Prima.

II. Prima ergo quæstio est, quomodo crucis Sacrosanctæ signum formandum sit? ad quam respondeo 1. Latinam quidem sic formandam, ut manum integram expansam aliquis à fronte primùm ad pectus, & à sinistro humero ad dextrum moveat; minorem verò seu vernaculam, ut vocant, ita faciendam, ut solo pollice parvam inprimis crucem in fronte; tum in labiis, & tandem in pectore efformet. Resp. 2. Utramque hanc formationem, ut debito cum fructu fiat, distinctè reverenter, & devotè faciendam esse. *Distinctè* quidem, ut non media duntaxat, sicut aliqui interdum faciunt; nec puncta tantùm in minore cruce, sed veræ & integræ Cruces, nec nimis parvæ, nec nimis magnæ formentur. *Reverenter* autem, ut non præcipiti, aut joculatoria manûs agitatione, sed cum convenienti gravitate, & moderata tarditate, quæ interioris æstimationis præbeant indicium, dextra ad cruces formandas moveatur. *Devotè* denique, id est, cum pio fiduciæ & religionis affectu; quo & Passionem Christi religiosè recolere, & per ejusdem merita varios effectus, de quibus in quæstione quartâ sermo erit, impetrare studeamus.

Pars Secunda.

III. Altera quæstio est, quando hoc signum formare debeamus? ad quam Resp. 1. in genere cum S. Hieronymo, quòd ad singula opera, & introitum vel exitum è domo facienda sit; sic enim primos Christianos facere consuevisse,

Tertullianus testatur. Resp. 2. in Specie verò hoc signum formare convenit manè, cùm surgitur; & noctu, dum cubitum itur; in initio cujusvis orationis, uti & in fine ejusdem juxta S. Matris nostræ Ecclesiæ exemplum: ante & post Scholas, vel labores nostros, quia, ut SS. Patres & Ascetæ dicunt, signum Crucis est quasi sigillum, quo si opera nostra signentur, plurimùm DEO placebunt, ejúsque nobis benevolentiam, gratiámque conciliabunt: ante & post mensam, ne nobis eveniat, quod Moniali cuipiam contigisse legitur, quæ à Diabolo obsessa est, eò quòd lactucam, cui Dæmon insederat, cruce priùs non signatam comedisset, uti in Spec. Ex. V. Crucis signum ex. 1. refertur: Item quando in periculo vel tentatione constituti sumus; tunc enim cum Ecclesia armare se crucis signo decet, & dicere: *Per signum Crucis de Inimicis nostris libera nos DEVS noster.* Vel: *Ecce signum Crucis, fugite partes adversæ: vicit Leo de tribu Iuda.* Ob eandem causam etiam non inutiliter Crucis signum aliqui formant, quando fulgur aut fulmen è nubibus excussum est, item quando oscitant, ne ex similibus casibus aut actionibus damnum aliquod patiantur. In quibus omnibus, & pluribus similibus casibus Parvuli maturè assuefieri debent, ut laudabilem hanc consuetudinem in adultiori etiam ætate cum suo & aliorum magno commodo & solatio retineant.

Pars Tertia.

IV. Tertia quæstio est, cur, seu quos ob fines Crucis signum formandum sit? ad quam quæstionem breviter respondeo, ob triplicem potissimùm finem eam formari. 1. *Ad Crucis & Passionis Christi memoriam recolendam*; cùm enim ipse Christus quondam Religioso cuipiam revelaverit, nihil gratiùs sibi præstari posse, quàm si frequenter SS. illius Passio animo revolvatur; meritò creditur, etiam formationem crucis, quæ ob eandem memoriam recolendam suscipitur, gratissimam illi futuram. 2. *Ad Fidei nostræ Professionem faciendam*: cùm enim præcipua Fidei nostræ mysteria seu articuli sint Unitas Divinæ naturæ, & Trinitas Personarum, & Christi Incarnatio, ac Passio atque humani generis redemptio; hæc autem clarissimè in crucis signo exprimantur, verbísque etiam ipsis nominentur, facilè apparet, formationem crucis

merito pro vera fidei nostræ professione agnosci, si quidem cum debita devotione ac reverentia peragatur. 3. *Ad obligationem nostram indicandam*; quâ ob Sacramentum in Sacramento Baptismi dictum, ad crucem velut vexillum Christi, per quod redempti sumus, sequendam obligamur; cùm enim Christum, qui est Dux & Caput nostrum, oportuerit pati, & ita intrare in gloriam suam, quemadmodum ipse Luc. ult. dixit, æquissimum sanè est, ut per eandem viam & januam nos quoque intrare velimus. atque adeò, quoties Crucis signum formamus, nos ipsos sequentibus pij Ascetæ verbis l. 1. de imit. Christi c. 56. excitemus: *Eia, Fratres, pergamus simul: IESVS erit nobiscum: Propter IESVM suscepimus Crucem, propter IESVM perseveremus in Cruce. Erit Adiutor noster, qui est Dux noster, & præcessor. En, Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis: Sequamur viriliter, nemo metuat terrores: simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, ut fugiamus à Cruce.*

Pars Quarta.

V. Quarta quæstio est, quos effectus producere soleat pia crucis Sacrosanctæ efformatio? Ad quam Resp. varios à variis assignari, sed quinque potissimùm. Primus est, quòd contra visibilium Hostium insidias & potentiam nos defendat; uti celeberrimus Imperator Constantinus Magnus expertus est, qui, cùm ingentem Exercitum adversus Hostem numerosissimum & potentissimum eduxisset, & de victoria dubitaret, Crucem præfulgidam in aëre vidit, simúlque hanc vocem audivit: *In hoc signo vinces.* Quam ob causam crucis signum suis vexillis cum dictis verbis inscribi jussit, & duas insignes victorias reportavit. Alter effectus est, quòd multò magis contra invisibiles hostes, nempe contra Dæmones defendat; uti expertus est Judæus ille, qui, cùm à nocte superveniente obrutus in Fanum aliquod antiquum se recepisset, ibique tumultuari Spectra advertisset, gravi timore correptus, crucis se signo, Christianorum more, signavit, tantúmque effecit, ut, cùm Dæmones ad illum accessissent, nihil se illi nocere posse fatentur, eò quòd vas quidem vacuum, sed signatum, id est, cruce munitum foret. Tertius effectus est, quòd etiam contra Hominum malorum, nempe Mago-

rum & Incantatorum, Sagarúmque insidias & machinationes protegat. Hinc Saga quædam aliquando confessa est, se ultra quinquaginta vices in alienam domum transvectam, Infanti cuipiam nocere voluisse, nunquam tamen id efficere potuisse, eò quòd Mater Infantem semper priùs, quàm in Lecto deponeret, crucis signo muniisset. Quartus effectus est, quòd etiam contra venenum, ac venenata animalia multùm prævaleat; uti suo exemplo Christianus ille docuit, qui, cùm à Creditoribus suis importunè nimis ad debita solvenda urgeretur, denique in desperationem actus ter sibi hausto veneno (quorum ultimum tam potens erat, ut Cani datum momento eum extinxerit) vitam sibi eripere conatus sit; quod tamen nunquam potuit, eò quòd ex consuetudine priùs, quàm venenatum poculum hauriret, Crucis signo illud signâsset. Et sanè hic ipse effectus jam olim à DEO Israëlitis promissus videtur, dum iisdem per Moysen indicari voluit, ut, si à morsibus venenatorum Serpentum, à quibus in deserto plurimi jam perempti fuerant, curari vellent, ad Serpentem æneum in ligno erectum, per quem Crux Christi præfigurabatur, respicerent. Quintus denique effectus est, ut ipsarum etiam tempestatum terrores & damna arceat, uti iterum expertus est Christianus quidam, qui cum Hæretico iter faciens, gravissimâ tempestate ortâ, ad quodvis tonitru crucis signo se armavit, & à fulmine illæsus mansit, quo tamen Socius ejus Hæreticus, qui ipsum velut Superstitiosum irriserat, percussus, & interemptus est.

Epilogus.

Atque hæc de SS. Crucis signo dicta sufficiant, quæ, ut faciliùs in memoriâ teneatis, breviter repeto. Quatuor ergo vobis de Crucis signo quæstiones proposui. 1. Erat, quomodo Crucis signum faciendum sit? & respondi, distinctè, reverenter, & devotè hoc modo faciendum. 2. Quando formandum sit? & Resp. ante & post singulas primarias actiones, uti & in gravioribus periculis & tentationibus. 3. Cur faciendum? & Resp. ob tres fines, nempe ab memoriam Passionis Christi renovandam: ad Fidei nostræ Professionem faciendam: ad obligationem nostram, quâ cum Christo crucem portare, & per tribulationes in regnum cœlorum ingredi

di tenemur, indicandam. 4. Quos effectus aut virtutes habeat? & Resp. quòd contra Hostes visibiles & invisibiles, malos Homines, venena, & tempestates, aliaque ejusmodi pericula defendat. Hæc ergo diligenter servate in memoria, & ubi occasio se obtulerit, practicate; nec dubitate, quin paulò antè descriptos, pluresque alios similes effectus copiosè sitis reportaturi.

§. IV.

Quid post Catechizationem observandum sit?

I. Post exhortatiunculam finitam, simili modo, ut initio Catechismi fecit, stans, junctis manibus, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, & Quatuor novissima præeundo recitet. & non facilè brevitatis causâ omittat, quia sic paulatim memoriæ firmiùs inhærebunt; ob quam causam ipsi etiam Hæretici suas preces, puta orationem Dominicam, & similia ante vel post singulas Conciones recitare consueverunt.

II. Post preces, si fieri potest, Cantiunculam aliquam tempori accommodatam cantari faciat; id quod etiam ad principium Catechismi observari convenit. Quem in finem aliquos Pueros vel Puellas à Ludimoderatoribus instrui jubeat.

III. Curet, ut modestè è templo egrediantur; neque finito cantu ullum facilè audiat, aut usque ad Sacristiam se sequi patiatur.

IV. Antequam è templo ipse discedat, partim gratias agat pro successu habiti paulò antè Catechismi: partim verò etiam supplex roget, ut bono semini jacto incrementum & fructum centesimum benignus DEUS largiri dignetur.

Caput IV.

DE VARIIS INDUSTRIIS A CATECHISTA ADHIBENDIS.

I. Variæ à diversis industriæ sunt adhibitæ, aut præscriptæ ad optatum fructum ex Catechismo referendum, sed quæ ad sequentes ferè revocari possunt. Prima

est, ut diligenter frequentari curet Catechismum, eúmque in finem Ludimagistrorum, Parentum, &, si opus erit, etiam Magistratûs Sæcularis industriam & sollicitudinem exstimulet; nisi enim sedulò & constanter temporibus constitutis compareant instruendi, multa, quæ in præcedentibus Lectionibus dicta sunt & repeti saltem fusiùs non possunt, negligent, & ignorabunt.

II. Altera industria est, ut quietem & modestiam Catechizandorum singulari studio & sollicitudine procuret, ideóque neminem non vocatum loco suo exire, aut discurrere sinat; quod quidem per Ludimagistrorum, aut aliatum Personarum maturiorum præsentiam & vigilantiam obtinebit; aut si neminem se eorum ad recitationem admissurum minitetur, qui loco suo quietus non substiterit.

III. Tertia est, ut varios libellos parvos de iis rebus, quæ scire quemvis Christianum decet, tractantes, & passim in Bibliopoliis vili pretio vendi solitos pro munusculis distribuat; sic enim, quod in Catechizatione ipsa satis non perceperunt, domi repetere, discereque possunt. Ejusmodi autem libelli v. g. sunt. **Kleines Bettbüchlein. Litaney Büschele. Richtschnur eines gottseligen Lebens. Geistlicher Lehrmeister.** Agnus DEI **Büchlein. Beicht- und Communion-Form Catechismus von der ersten Communion. Catholischer Bericht vom Weyhwasser / und geweyhtem Saltz. Von deß H Creutzes Bedeutung / Zeichen / und Form. Christliche Lehr in hundert Fragen gefast. Fasten-Lehr / oder Bericht / wie und wer zu fasten schuldig sey. Fragstück über den Catechismum** P. Canisij. **Güldnes Kleinod. Meßbüchlein.** Rudimenta Fidei. **Tag-Ordnung. Zucht-Spiegel.** Qui omnes & plures alij similes libelli Dilingæ vel Monachij venales reperiuntur.

IV. Quarta est, ut maturiores aliquos Juvenes aut Virgines alliciat ad certos Pueros aut Puellas de certis capitibus domi instruendos, &, ubi instructos adduxerint, illos periade ac hos convenientibus munusculis remuneretur.

V. Quinta est, ut nonnunquam certa quædam capita scripto communicet, quæ per hebdomadam memoriæ mandent, & in sequenti Conventu non sine præmio & commendatione recitent.

VI. Sexta est, ut omni modo apud ipsos etiam Parentes, aut

aut etiam Ludimoderatores impetrare conetur, ut, ubi post Catechizationem domum, vel in Scholam redierint, eosdem examinent, quid in Catechismo didicerint, & negligentes commeritis pœnis castigent; sic enim, quos spes munusculorum ad attentionem non excitat, saltem pœnarum timor attentos faciet.

VII. Septima est, ut, quantùm fieri potest, attendat, quid vel quantùm quisque ab ultima recitatione didicerit, ne eadem frequentiùs repetendo ad nova addiscenda minùs animentur. Quâ in re Ludimoderatorum, & eorum, qui curam Catechizandorum gerunt, cooperatio multùm juvabit.

VIII. Octava est, ut, ubi interdum aliquos valde inquietos, aut aliâ ratione contra modestiam & reverentiam graviùs peccâsse adverterit, minis denunciationis Ludimagistro aut Parentibus faciendæ terreat; & si minæ non sufficiant, actu denunciari, meritisque pœnis castigari curet.

INDEX TITVLORVM

PARS I.

De Officio ipso Concionatoris. Fol. 1.

§. 1. *De praestantia huius muneris.* 2

§. 2. *Quid sit Concio.* 4

§. 3. *De primo Officio Concionatoris seu materiæ electione.* 6

Membrum I. De electione materiæ. 7

Membrum II. De libris ex quibus petenda est materia Concionum. 9

Membrum III De Bibliotheca à Concionatore paranda. 11

Membrum IV. De modo fructuosè notandi. 17

Membrum V. De varietate materiæ. 21

§. 4. *De secundo officio Concionatoris, seu de argumentorum inventione,* 24

Primus Locus. Per nominis interpretationem. 24

Secundus Locus. Per verborum Discussionem 25

Tertius Locus. Per Concordantias Authoritatum. 26

Quartus Locus. Per expositionem alicujus Sententiæ in Vario sensu. 27

Quintus Locus. Per Comparationes. 29

Sextus Locus. Per Varias Compositiones. 30

Septimus Locus. Per Rerum proprietates, 30

Octavus Locus. Per similitudines. 31

Nonus Locus. Per oppositorum assignationes. 31

Decimus Locus. Per Divisionem in Partes. 32

Vndecimus Locus. Per Ratiocinationem. 33

Duodecimus Locus. Per Causas, & effectus. 33

§. 5. *De Tertio officio Concionatoris, seu de elocutione.* 36

§. 6. *De quarto officio Concionatoris, seu de Dispositione.* 39

Membrum I. De Methodo in partibus Concionis servanda. 39

Membrum II. De Methodo in Confirmatione servanda. 42

§. 7. *De quinto Concionatoris officio seu de pronuntiatione.* 45

§. 8. De

§. 8. *De sexto officio Concionatoris, seu bono exemplo.* fol. 49
§. 9. *Monita quædam generalia Concionatori observanda.* 51

PARS II.

De praxi habendarum Concionum. 51

CAPUT I.

Quid in genere circa praxin habendarum Concionum observandum sit? 56

CAPUT II.

De praxi Dominicales Conciones habendi 58
Exemplar I. In quo ostenditur quomodo una doctrina Auditoribus persuaderi debeat. 58
Exemplar II. In quo ostenditur, quomodo ex eadem sententia plures doctrinæ deduci queant. 67
Exemplar III. In quo ostenditur quomodo per parabolam aliqua doctrina inculcari possit. 75
Exemplar IV. In quo ostenditur, quomodo Doctrina aliqua per Historiam inculcari possit. 81
Exemplar V. In quo ostenditur, quomodo moralis lectio in Concione institui possit. 86
Exemplar VI. In quo ostenditur, quomodo Vitium aliquod reprehendi, & corrigi debeat. 92
Exemplar VII. In quo ostenditur, quomodo materia aliqua controversistica in concione tractari debeat. 100
Exemplar VIII. In quo ostenditur, quomodo Catechetica aliqua doctrina in Concione cum fructu explicari possit. 107

CAPUT II.

Quomodo de Beatissima Virgine Conciones variæ haberi possint. 112
§. 1. *De concionibus in Festis Beatissimæ Virginis Mariæ habendis.* 112
Exemplar I. In quo ostenditur, quomodo Concio de Beatissima Virgine festo accommodata haberi possit. 112

Exemplar II. In quo oſtenditur, quomodo motivum aliquod ad Beatiſſimæ Virginis amorem alliciens proponi queat. fol. 120

Exemplar III. In quo oſtenditur, quomodo Variæ Devotiones perſuaderi debeant. 137

§. 2. *Quomodo Conciones de Beatiſſima Virgine in peregrinatione inſtitui debeant.* 144

§. 3. *Quomodo in Congregationibus Roſarii haberi Conciones debeant.* 166

CAPUT III.

Quomodo de Sanctis Conciones inſtitui poſſint. 176

Exemplar I. Quomodo de Sanctis ſimul ſumptis Concio inſtitui poſſit. 176

Exemplar II. Quomodo tota alicujus Sancti vita in Concione percurri poſſit. 186

Exemplar III. Quomodo Concio de una virtute alicujus Sancti inſtitui poſſit.

CAPUT IV.

Quomodo Conciones in Dedicatione templi inſtitui debeant. 209

§. 1. *Exemplar I.* Quomodo directè de Dedicatione templi Concio habenda ſit. 210

§. 2. Alij Conceptus de eadem materia. 219

§. 3. Quomodo ex occaſione Dedicationis alia Doctrina Auditoribus inculcari poſſit. 225

§. 4. Alij Conceptus de eâdem materia. 236

CAPUT V.

De praxi Conciones in Patrocinio Templi inſtituendi. 239

Exemplar I. Concionis de ipſo Patrocinio inſtituendæ. 239

Alij Conceptus. 246

CAPUT VI.

Quomodo Conciones in Primitiis Neomiſtarum inſtitui debeant. 249

CAPUT VII.

Quomodo Conciones apud Ruſticos haberi debeant. 261

§. 1. Mo-

§. 1. Monita quædam Generalia ad ejusmodi Conciones pertinentia. fol. 261
§. 2. *Exemplar. I.* Quomodo utilis & grata materia Rusticis in Concione proponi possit. 264
§. 3. *Exemplar II.* In quo ostenditur, quomodo certa quædam actio breviter Rusticis Commendari queat. 273
§. 4. *Exemplar III.* In quo ostenditur, quomodo una materia in plures Conciones dividi, & tractari possit. 279
§. 5. *Exemplar. IV.* In quo altera pars prioris materiæ explicatur. 285
§. 6. *Exemplar V.* In quo tertia Pars explicatur. 292

Caput VIII.

De praxi Conciones pro felici auspicio, sivè Concionum, sivè novi anni habendo. 297
§. 1. *Exemplar.* Quomodo pro felici Concionum auspicio instituenda sit Concio. 297
§. 2. Quomodo pro felici anni novi auspicio habenda sit Concio. 311

Caput IX.

De praxi Conciones Paschales habendi. 336
§. 1. *Exemplar I.* Quomodo Ova Paschalia Spiritualia à Concionatore distribui queant. 337
§. 2. Quomodo fabula paschalis narrari possit. 351

Caput X.

De praxi Conciones de Passione Domini habendi. 367
§. 1. Quid in his Concionibus in Genere observandum sit. 368
§. 2. *Exemplar.* Concionis de Passione Dominica instituendæ. 372
§. 3. Alij Conceptus de eadem materia breviter indicantur. 389

Caput XI.

Quomodo Conciones funebres instituendæ sint. 394
§. 1. Quid in his Concionibus in genere sit observandum.

§. 2. *Exemplar I.* Quomodo in exequiis alicujus defuncti Concio haberi possit. fol.397
§. 3. *Exemplar II.* Quomodo in sepultura exhortatio institui possit. 413
Fons I. *Exhortationum pro defunctis ex vita Defuncti,* 416
Fons II. *Ex signis prædestinationis.* 479
Fons III. *Ex motivis succurrendi.* 437
Fons IV. *Ex Mediis.* 447
Fons V. *Ex Impedimentis.* 455
Fons VI. *Ex Epitaphiis.* 460
Fons VII. *Ex Emblematis.* 481
Fons VIII. *Ex sepulchro.* 486
Fons IX. *Ex ætate.* 490
Fons X. *Ex variis statibus.* 503
Fons XI. *Ex variis generibus mortis.* 523
Fons XII. *Ex variis doctrinis.* 530

PARS III.

De Catechizandi munere. 535
Cap. I. De fine Catechismi. 535
Cap. II. De virtutibus Catechizantis. 537
Cap. III. De praxi seu modo Catechizandi. 539
§. 1. *Quid ante Catechizationem observandum sit.* 540
§. 2. *Quid in ipsa Catechizatione observandum.* 542
§. 3. *Exemplar practicum Exhortatiuncula in Catechizatione habenda.* 544
§. 4. *Quid post Catechizationem observandum sit.* 549
Cap. 4. De variis industriis à Catechista adhibendis. 549

INDEX MATERIARUM

Præcipuarum in hac Instructione contentarum.

A

Anima templum DEI. fol.220
Animabus Purgatorij cur succurrendum, & quomodo. 75.405.437.447

S. An-

S. Antonij de Padua laus. fol. 186
Argumenta pro concione quomodo invenienda. 26
Auſpicium anni quomodo celebrandum. 311. 325

B.

Beatitudo cœnæ magnæ comparata. 185
Benedictio quomodo obtinenda. 81
Bibliotheca qualis à Concionatore paranda. 11

C.

Catechetica doctrina quomodo in concione proponenda. 107
Catechiſmi neceſſitas & utilitas. 535
Praxis.
Catechizantis virtutes. 537
Chriſtus Hoſpes optimus. 238
Ejus vexillum cur ſequendum. 366
Cœlum quomodo expugnandum. 152
Conceptio immaculata B. V. cur & quomodo celebranda. 113
Concio quid ſit. 4
Ejus materia quomodo eligenda. 7
Quomodo auſpicium concionum habendum. 297
Dominicales quomodo inſtituendæ. 58
Concionatoris munus quod. 2
Ejus officia in ſpecie. 6. & ſeq.
Confeſſiones multæ cur infructuoſæ. 356
Conſcientia bona jugi convivio comparata. 237
Ejus fructus. 359
Controverſia quomodo in concione tractanda. 100

D.

Dedicatio Spiritualis quomodo peragenda. 209. 219
Abuſus dedicationis quomodo cavendi. 225
Diſpoſitio in Concione qualis obſervanda. 39
Doctrinæ plures quomodo in eâdem concione proponendæ. 58
Doctrina unica quomodo in concione perſuadenda. 67

E.

Elocutio qualis in Concione obſervanda. 36
Emblemata pro defunctis.

Encæ-

Encænialia dona quomodo in concione distribuenda. fol. 238
Epitaphia varia pro defunctis. 460
Exemplum bonum à Concionatore cur dandum. 36

F.

Fabellæ Paschales quomodo in concione narrandæ. 351
Familiæ bene administrandæ præcepta. 225
Fidei Catholicæ veritas unde colligenda. 104
Figuræ quales in concione usurpandæ. 37
Fontes duodecim, ex quibus conciones funebres petendæ. 416
Funebres conciones quomodo instituendæ. 394
Funebres exhortationes quomodo habendæ. 413

G.

Gestus concionatoris quales esse debeant. 48

H.

Historia in concione quomodo proponenda. 81

I.

S. Ignatius quomodo Ecclesiam defenderit. 199
Inspectio sui quàm necessaria & utilis. 337
Intentio bona operibus cur præfigenda. 83
Judicia humana cur spernenda. 365

L.

Labor cur amandus. 273
Quid ante laborem observandum. 279
Quid in labore. 285
Quid post laborem. 292
Lectio moralis in concione quomodo instituenda. 86
Libri quales à Concionatore eligendi. 9
Quid ante eorum emptionem observandum. 12
Loci communes pro argumentis inveniendis. 24

M.

Mater DEI cur colenda. 121. 137.

Cur imitanda. fol.152
Est Mater respectu nostri. 128
Materiæ varietas in concione quomodo observanda. 21
Memoria in concione quomodo juvanda. 47
Methodus in partibus concionis observanda. 39
Methodus observanda in confirmatione. 42
Monita Concionatori observanda. 51.56

N.

Neomystis quomodo Spiritualia dona in concione offerenda. 249
Notata pro Concionibus quomodo fructuosè facienda. 17

O.

Orationis errores quomodo corrigendi. 87
Ova Paschalia quomodo distribuenda. 337

P.

Parabola quomodo in concione proponenda. 75
Passio Christi quomodo prædicanda. 368.389
Est Spirituale myrothecium. 372
Patrocinij dies quomodo celebrandus. 239
Patronus Templi Salvaguardiæ comparatus. 246
Advocato. Proregi. 247
Custodi, Ductori. 248
Peregrinationes sacræ quomodo instituendæ. 157.158
Earum antiquitas & utilitas. 162
Pronunciatio in Concione qualis esse debeat. 45

R.

Resurrectio Spiritualis quomodo peragenda. 346
Rosarij recitatio cur & quomodo frequentanda. 166
Rusticanæ Conciones quomodo instituendæ. 261
Rusticorum status quàm felix. 264

S.

Sacerdotes cur & quomodo honorandi. 249
Sancti DEI cur & quomodo colendi. 176
Sunt nostri Protectores, Advocati, Amici, Ductores. 184

Eorum

Eorum felicitas quanta. fol. 185
Comparantur Soli. 195
Sunt boni Actores. 196
Milites, Negotiatores. 197
Dispensatores Fideles, vigilantes servi. Viri secundùm cor DEI. 198
Superbiæ tentatio quomodo reprimenda. 93

T.

Templum cur domus Orationis vocetur. 220
Variis domibus comparatum. 221
Cœlo simile. 222
Quomodo in eo conversandum. ibid.
Temporis ratio cur habenda. 75
Tribulationes patienter cur ferendæ. 358

V.

Vanitas rerum creatarum. 354
Verbum DEI comparatum in auribus. 306
Speculo. 367
Gladio. 399
Lucernæ. 310
Vitium quomodo in concione corrigendum. 92
Voluntas divina convivio comparata. 236
Conciliat perpetuam lætitiam. 237
Voluntas propria cur exuenda. 145

Omnia ad maiorem DEI Gloriam.

ERRORES.

Fol. 3. *lin.* 16. *le.* oves. *fol.* 4. *lin.* 9. animas *le.* homines. *fol.* 9. *lin.* 21. *le.* arguendum. *fol.* 13. *lin. penult. le.* Daurolij. *fol.* 14. *lin.* 14. vitiorum *adde* cognoscendam. *fol.* 21. *lin.* 1. *le.* ut ea, quæ annotat. *fol.* 23. *lin.* 2. *le.* ova Paschalia. *fol.* 26. *lin.* 31. ibi mare *le.* manna. *fol.* 45. *in tit. le.* de quinto Concionatoris officio. *fol.* 47. *lin. pen.* nec *le.* ne. *fol.* 49. *lin.* 18. *le.* appositas. *fol.* 51. *lin.* 11. *le.* doctrinis. *fol.* 52. *lin.* 15. *le.* appositè. *fol.* 57. *lin.* 14. *le.* canatur. *lin.* 17. *le.* cantione. *fol.* 63. *lin.* 37. *le.* intra nos. *fol.* 65. *lin.* 12. *le.* asse. *fol.* 68. *lin.* 15. *le.* nónne vos magis. *fol.* 71. *lin.* 29. *le.* fiamus. *fol.* 72. *lin.* 33. *le.* morrèm. *fol.* 77. *lin.* 5. *le.* consuetudini. *fol.* 80. *lin.* 31. *le.* nox. *lin.* 34. *le.* in-

*le.*induamur. *fol.*81. *in tit.* Exemplar Sextum *le.*quartum. *fol.*82 *lin.*1 *le.*exSurio, *lin.*11. *le.*eámque. *lin.*15. *le.*ſudem. *lin.*3. *le.*Columbum. *fol.*83. *lin.*8. *le.*ſumpta. *lin.*10. *le.*remendicare. *lin.*14. *le.*oſtendendi. *fol.*87. *lin.*13. *le.*multis. *fol.*86. *in tit.* Septimum *le.*Quintum. *fol.*88. *lin.*23. *le.*præſcripto. *fol.*89. *lin.*3. *le.* orationum. *lin.*26. *le.*eſſet. *fol.*91. *lin.*32. *le.*menſuram. *fol.*93. *lin.*24. *le.* virtute gloria. *fol.*97. *lin.*26. *le.*ſuperbiat. *fol.*98. *lin.*18. *le.*rectè. ib. *lin.*37. *le.*re. *lin.*38. *le.*qui te ſcit. *lin.*39. *le.*propter te. *fol.*100. *lin.*3. *l.* & ſi de. *fol.*104. *lin.*30. fatetur *le.* fateatur. *fol.*105. *lin. penult* quia *le.*quid. *fol.*108. *lin.*20. *le.*ſacrificia. *fol.*114 *lin.*22. *le.*ſequitur. *fol.*116. *lin. penult. le.*Machab. *fol.*117. *lin.*2. *le.*&. ib. *lin.*18. *adde* opera. ib. *lin.*34. *le.*Sancti. *fol.*118. *lin.*4. *le.*ſerm. ib. *lin.*15. *le.*deliberatè. *fol.*126. *lin.*2. *le.*vitalis. *fol.*128. *lin.*1. *le.* filialis. ib. *lin.*35. *le.*oblatam. *fol.*129. *lin.*5. *le.*ex quo plurimæ. *fol.*133. *lin.*2. *le.*Dauroltius. *fol.*142. *lin.*30. *le.*prœlium. *fol.*145. *lin.*9. *le.* demonſtrare. *fol.*146. *lin.*14. *le.*ceſſet *lin.*18 *le.*mundum. ib. *lin.*28. *le* abnegationem. *fol.*148. *lin.*18. *le.*tuum. *fol.*150. *lin.*2. *le.*habitum. *fol.*151. *lin.*35. *le.* per lumen. *fol.*158. *lin.*18. *adde* offerendo. *fol.*159. *lin.*8. *le.*Regis prodeunt. *fol.*160. *lin.*12. *le.*cum doctrina. *fol.*162. *lin. pen. le.* diligenter. *fol.*163. *lin.*11. *le.* ſic. *fol.*171. *lin.*1. *le.*refunditur. *fol.*172. *lin.*23. *le.*Saravia *fol.*174. *lin.*21. *le.*poſſet. *fol.*184. *lin.*33. *le.*rectiſſima. *fol.*184. *lin.*33. *le.* rectiſſima. *fol.*189. *lin.*33. *le.* ſi. *fol.*191. *lin.*23. *le.* noſtris. *fol.*196. *lin.*18. *le.*quatuor. *fol.*198. *lin.*9. *le.* exemplo. *fol.*200. *lin.*33. *le.*vel maximè amor. *fol.*208. *lin.*36. *le.*viſio. *lin.*17. *le.*ædificia. *fol.*216. *lin.*26. *le.*rariori. *lin.*36. ut Judicis *le* & Judicis. *fol.*217. *lin.*13. *le.* reconſecrate. *fol.*223. *lin.*11. **ihm begehrt** *le.* **ihm wird begehrt.** *fol.*232. *lin.*30. *le.*ſi fortè. *fol.*234. *lin.*20. *le.*conjuncti. *fol.*235. *lin.*21. *le.* fabella. *fol.*237. *lin.*1. *le.*repleta. *fol.*238. *lin.*3. ut *le.* ſit. *lin.*5. *le.* ex iis. *fol.*242. *lin.*16. *le.* elegimus *fol.*244. *lin.*26. *le.*Jetro. ib. *lin. antep.* invocetis. *adde.* ſed etiam ut rectè invocetis. *fol.*246. *lin.*33. *le.*defenſo. ib. *lin.*14. *le.*offert. *fol.*248. *le.* Patronus Ductori. *fol.*254. *lin. pen. le.*revelentur. *fol.*251. *lin.*8. *le.*flantium. ib. *lin.*11. *le.* Syrtes. ib. *lin.*24. *le.*ſolita. *fol.*264. *lin.*21. *le.* præſumat. *lin.*28. feliciſſimus *adde*; ſit. *fol.*266. *lin.*20. *le.*potiſſimæ. *fol.*267. *le.*Sanitatis. *fol.*268. *lin.*33. *le.* adumbratam. *fol.*270. *lin.*10. *le.*mortis. *fol.*277. *lin.*29. *le.*judicandorum. *lin.*32. *le.* nitentésque. *fol.*278. *lin.*14. ſi. *le.*ſe. ib. *lin.*25. *l.*remoto. *fol.*280. *lin.*22. *le.* ſtudeat. *fol.*282. *lin.*30. *le.*Sutores. *lin.*35.

*le.*Su-

le. Sutor. *fol.* 289. *lin.* 31. dubitare. *adde* se. *fol.* 290. *lin.* 20. *le.* Cresinus. ib. *lin. ult. le.* Diatiam. *fol.* 291. *lin.* 29. *le.* distincto. *fol.* 298. *lin.* 13. *le.* offerrent. *fol.* 307. *lin.* 12. *le.* cuivis. *fol.* 312. *lin.* 19 *le.* debeant. *fol.* 313. *lin.* 11. nec flu- *le.* nec fla- ib. *lin.* 30. *le.* possit. *fol.* 314. *lin.* 5. *le.* quales. *lin.* 15. concordet. *adde.* Præterea verò indicatur etiam. *lin.* 26. *le.* accurrat. *fol.* 315. *lin.* 1. *le.* rectas. *lin.* 26. facile. *adde.* Præterea lineæ in litera H. pares sunt magnitudine, quo pulchrè. *fol.* 320. *lin.* 19. *le.* JESULI. ib. *lin.* 28. *le.* tantus. *fol.* 321. *lin.* 10. autem. *adde.* parum. *fol.* 324. *lin.* 11. vita. *adde.* optima. ib. *lin.* 16. quia *adde.* sicut aurũ. *f.* 326. *lin.* 14. Vanitas. *adde.* vanitatũ. *fol.* 333. *lin.* 23. evadere. *le.* cadere. *fol.* 335. *lin.* 24. Christum *le.* Deum. *fol.* 336. *lin.* 25. & 30. Tabellam. *le.* Fabellam. *lin.* 23. *le.* conducentes. *lin.* 27. *le.* ea. *lin.* 33. *le.* ut autem etiam. *fol.* 336. corrige sequentes numeros, & scribe 3. *pro* 5. *fol.* 338. *lin.* 7. *le.* provideas. *fol.* 341. *lin.* 8. *le.* cuditur. *fol.* 344. *lin.* 23. *le.* seu. *lin.* 30. *Luc.* 12. *adde* dixit. *fol.* 349. *lin.* 29. *le.* quæ. *fol.* 351. *lin.* 15. *le.* tenacitate. *fol.* 356. *lin.* 7. *le.* voraturum. *lin.* 19. *le.* vorando. *fol.* 357. *lin.* 34. *le.* tutela Pastoris. *fol.* 360. *lin.* 28. *le.* peccati. *lin.* 34. *le.* usurpat. *fol.* 362. *lin.* 24. dele. si. *fol.* 364. *lin.* 4. *le.* demonstretur. *lin.* 3. *le.* ostendatur. *lin.* 30. *le.* omnium difformitatem deformissima. *fol.* 370. *lin.* 26. *le.* 2. Intensus. *fol.* 371. *lin.* 21. *le.* quod. *fol.* 376. *lin.* 4. *le.* pœnitentiæ. *lin.* 7. *le.* primarijque. *fol.* 379. *lin.* 7. *le.* habeas. *lin.* 9. *le.* proinde. *fol.* 382. *lin.* 8. *le.* sum. *lin.* 13. *le.* toties. *fol.* 389. *le.* suus *lin.* 28. *le.* excitare. *fol.* 391. *lin.* 13. *le.* Pharmacopolio. *fol.* 396. *lin.* 34. *le.* peccatorum. *fol.* 409. *lin.* 18. *le.* exaudiat. *fol.* 411. *lin.* 5. *le.* olim pro Fratribus. *fol.* 413. in tit. *le.* sepultura. *fol.* 418. *lin.* 2. adde operum. *fol.* 420. *lin.* 12. *le.* illud monitum. *fol.* 422. *lin.* 15 *le.* reverti. *lin.* 16. 30. *le.* 3. *fol.* 425. *lin.* 31. *le.* variegatam. *lin.* 33. *le.* taciturnitas. *fol.* 426. *lin.* 5. per dele *lin.* 25. *le.* artem. *fol.* 433. *lin.* 8. *le.* quia. *fol.* 436. *lin.* 30. *le.* etiamsi. *fol.* 440. *lin.* 15. Et *le.* O. *fol.* 445. *lin penult. le.* decedet. *fol.* 449. *lin.* 17. ex. 6. *adde* narrat. *fol.* 454. *lin.* 24. *le.* incitentur. *fol.* 456. *lin.* 6. *l.* impendit. *lin.* 24. *le.* damnantis. ib. *le.* liberantis. *fol.* 457. *lin.* 8. *adde* sint. *fol.* 462. *lin.* 2. *adde* habent. *fol.* 468. *lin.* 31. *le.* te jure. *fol.* 480. *lin.* 26. *le.* tolceratarum. ib. *lin.* 29. *le.* perducat. *fol.* 484. *lin.* 23. turpiter ibi evitabit. *le.* tribulabitur ibi fortis. *fol.* 493. *lin.* 15. *le.* lotus. *fol.* 496. *lin.* 32. *le.* monilibus. *fol.* 517. *lin.* 16. *le.* proinde. *fol.* 530. *lin.* 2. *le.* vultúmque. *fol.* 535. *lin.* 25. *le.* Parvulis. *fol.* 539. *lin.* 24. *le.* certè. *fol.* 541. *lin.* 11. *le.* Præparabit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN